DANIELIS NETTELBLADT
POTENT. BORVSS. REGI A CONS. INTIMIS
ET PROFESS. IVR. ORDIN. IN REGIA
FRIDERICIANA

SYSTEMA ELEMENTARE
VNIVERSAE
IVRISPRVDENTIAE
NATVRALIS
IN
VSVM
PRAELECTIONVM ACADEMICARVM
ADORNATVM.

EDITIO TERTIA.

HALAE MAGDEBVRGICAE
IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.
MDCCLXVII.

CONSPECTVS.

INTRODVCTIO IN IVRISPRVDENTIAM NATVRALEM.

Discursus praeliminaris. §. 1.

P. I. Praecognita iurisprudentiae naturalis. §. 4.
T. I. De iurispr. natur. natura et indole §. 5.
T. II. De partibus iurispr. natur. §. 11.
T. III. De methodo docendi et discendi iurispr. natur. §. 18.

P. II. Historia litteraria iuris naturae. §. 21.
T. I. Notitia naturalistarum. §. 22.

T. II. Historia iurispr. natur. §. 28.
T. III. Notitia scriptorum iuris naturalis. §. 34.

P. III. Iurisprudentia naturalis generalis. §. 38.

L. I. Iurisprudentia naturalis generalis stricte sic dicta.

S. I. De personis, factis et rebus. §. 41.

M. I. De personis §. 42.

T. I. De personis earumque actioni-in genere §. 43.

T. II. De consensu et dissensu nec non vtriusque declaratione. §. 52.

T. III. De actionis auctore, nec non sociis et fautoribus agentium. §. 60.

T. IV. De actionum libertate. §. 69.

T. V. De actionum moralitate. §. 75.

T VI. De actionum rectitudine vt et de decoro. §. 82.

T. VII. De actionum imputatione. §. 88.

M. II De factis. §. 98.

T I. De facto in se spectato §. 99.

T. II De circumstantiis facti. §. 104.

T. III. De probationibus et praesumtionibus §. 109.

M. III. De rebus. §. 115.

T. I. De rebus earumque causa in genere. §. 116

T. II. De rerum substantia et vsu nec non impensis et valore. §. 124.

T. III. De rerum detentione. § 128.

S. II. De legibus et actibus iuridicis. §. 133.

M. I. De legibus et actibus iuridicis in se spectatis. §. 135.

T. I. De legibus in se spectatis. § 135.

T. II. De actibus iuridicis in se spectatis. §. 144.

M. II. De interpretatione iuridica et applicatione iuris ad factum §. 160.

T. I. De interpretatione iuridica §. 161.

T. II. De applicatione iuris ad factum. §. 163.

S. III. De obligatione. §. 165.

M. I. De obligatione in se spectata §. 166

C. I De obligatione in se spectata in genere §. 167.

T. I. De obligationis gemino conceptu. §. 168.

T. II. De variis obligationis diuisionibus §. 174.

C. II. De obligationibus quibusdam generalissimis. §. 185.

T. I. De obligatione nos perficiendi. § 186.

T. II. De obligatione alios perficiendi §. 192.

M. II. De obligatione contrahenda, dissolvenda et corroboranda.

T. I. De obligatione contrahenda. §. 198.
T. II. De obligatione dissoluenda, §. 212.
T. III. De obligatione corroboranda. §. 222.

S. IV. De iure pro facultate agendi morali sumto. §. 226.

M. I. De iure in se spectato. §. 227.

C. I. De iure in se spectato in genere. §. 228.
T. I. De iuris genuino conceptu. §. 229.
T. II. De variis iuris diuisionibus. §. 234.

C. II. De iuribus quibusdam generalissimis. §. 254.
T. I. De libertate naturali et communione primaeua. §. 255.
T. II. De dominio in genere. §. 263
T. III. De iure securitatis indeque fluente iure defensionis et iure puniendi connato. §. 285.
T. IV. De iure indemnitatis. §. 294.
T. V. De iure necessitatis. §. 300.

M. II. De iure acquirendo, amittendo et conseruando. §. 310.
T. I. De iure acquirendo. §. 311.

T. II.

T. II. De iure amittendo. §. 339.
T. III. De iure conseruando. §. 350.

S. V. De possessione. §. 355.

M. I. De possessione in se spectata. §. 356.
T. I. De possessione quatenus est facti. §. 357.
T. II. De possessione quatenus est iuris. §. 364.

M. II. De acquirenda, amittenda et retinenda possessione. §. 371.
T. I. De acquirenda possessione. §. 272.
T. II. De amittenda possessione. §. 379.
T. III. De retinenda possessione. §. 382.

S. VI. De remediis persequendi ius nostrum. §. 385.
T. I. De retentione et retorsione. §. 388.
T. II. De bello pro remedio ius nostrum persequendi sumto. §. 393.

L. II. Iurisprudentia naturalis generalis socialis. §. 403.

S. I. De societatibus in se spectatis in genere.
T. I. De societatis definitione et constitutiuis societatum. §. 405.
T. II. De iuribus et obligationibus nec non possessione societatum. §. 410.
T. III. De imperio societatum. §. 418.

 T. IV.

T. IV. De societatum potestate directorio et officiis. §. 423.

S. II. De speciebus societatum. §. 433.
T. I. De speciebus societatum in genere. §. 434.
T. II. De societatibus aequalibus. §. 442.
T. III. De societatibus inaequalibus. §. 465
T. IV. De collegiis et corporibus. §. 469.

S. III. De societatum ortu et interitu, earum membris et modis quibus talia fiunt et esse desinunt. §. 475.
T. I. De societatum ortu et interitu. §. 476.
T. II. De membris societatum. §. 480.
T. III. De modis quibus membra societatum talia fiunt. §. 483.
T. IV. De modis quibus membra societatum talia esse desinunt. §. 488.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA.

THEORETICA

SECVLARIS ALLODIALIS

CIVILIS,

P. I. De officiis erga nos et erga alios absolutis eorumque cum iis iuribus. §. 494.

S. I.

S. I. De officiis erga nos. §. 495.
T. I. De officiis erga nos quoad animam. §. 500.
T. II. De officiis erga nos quoad corpus. §. 505.
T. III. De officiis erga nos quoad statum externum. §. 509.

S. II. De officiis erga alios absolutis, et cum iis connexis iuribus. §. 516.
T. I. De officiis erga alios absolutis quoad animam. §. 521.
T. II. De officiis erga alios absolutis quoad corpus. §. 525.
T. III. De officiis erga alios absolutis quoad statum externum. §. 529.

P. II. De officiis erga alios hypotheticis et iuribus cum iis connexis. §. 531.

I. I. De iuribus et obligationibus successionem concernentibus. §. 539.

S. I. De iure rerum. §. 540.

M. I. De iuribus in re. §. 541.

C. I. De iure occupandi res corporales singulares. §. 542.
T. I. De iure occupandi, praesertim res corporales singulares in se spectato. §. 543.
T. II. De iuris occupandi acquisitione conseruatione, amissione et persecutione. §. 559.

C. II. De dominio praefertim rerum corporalium singularium §. 551.

T. I. De dominio praefertim rerum corporalium singul. in se spectato. §. 552.

T. II. De domini, praefertim rerum corporalium singul. acquisitione, §. 574.

T. III De dominii, praefertim rerum corporalium singul. amissione conseruat. et persecut. §. 586.

C. III. De iuribus in re aliena constitutis §. 590.

T. I. De iuribus in re aliena constitutis in se spectatis. § 596.

T. II. De iurium in re aliena constitutorum acquisitione, conseruatione, amissione et persecutione §. 620.

M. II. De iuribus ad rem. §. 625.

C. I. De iur. ad rem immediatis. §. 626.

T. I. De iuribus ad rem immediatis in se spectatis. §. 627.

T. II. De iurium immediatorum acquisit. conseru. amissione et persecutione. §. 636.

C. II. De iurib. ad rem mediatis. §. 637.

A) Generalia de pactis principia. §. 638.

T. I. De pactorum definitione et variis eorum diuisionibus §. 639.

T. II. De subiecto et obiecto pactorum. §. 649.

T. III. Communia pactorum. §. 656.

B) De iuribus ex pactis. §. 688.

a) De iuribus ex pactis in se spectatis. §. 689.

T. I. De iuribus ex pactis veris simplicibus, obligatoriis, principal. re initis. §. 690.

T. II. De iuribus ex pactis simplicibus obligatoribus principalibus, sine re initis. §. 711.

T. III. De iuribus ex pactis veris simplicibus obligatoriis minus principalibus praeparatoriis. §. 734.

T. IV. De iuribus ex pactis veris simplicibus obligatoriis minus principalibus adiectis. §. 739.

T. V. De iuribus ex pactis simplicibus liberatoriis et mixtis. §. 746.

T. VI. De iuribus ex pactis compositis. §. 753.

T. VII. De iuribus ex quasi pactis. §. 758.

b) De acquisitione, amissione, persecutione et conseruatione iurium ex pactis. §. 761.

T. I. De acquisitione iurium ex pactis. §. 762.

T. II. De amissione iurium ex pactis, §. 769.

T. III. De conseruatione et persecutione iurium ex pactis. §. 774.

S. II. De iure personarum. §. 776.

M. I. De statibus non socialibus. §. 777.

T. I. De statibus non socialibus naturalibus §. 778.

T. II. De statibus non socialibus ciuilibus. §. 786.

M. II. De statibus socialibus. §. 792.

T. I. De societate paterna. §. 793.

T. II. De societate coniugali. §. 807.

T. III. De societate herili. §. 819.

T. IV. De domo s. familia. §. 827.

L. II. De iuribus et obligationibus successionem concernentibus. §. 832.

S. I. De successione hereditaria. §. 834.

M. I De successione hereditaria vniuersali. §. 835.

C. I. De delatione successionis hereditariae vniuersalis. §. 836.

T. I. De delatione successionis hereditariae vniuersalis per legem. §. 837.

T. II. De delatione successionis hereditariae vniuersalis per heredis institutionem. §. 840.

C. II. De successione hereditaria vniuersali ipsa eiusque effectu. §. 852.

T. I. De successione hereditaria vniuersali ipsa. §. 853.

T. II. De effectu factae successionis hereditariae vniuersalis. §. 857.

M. II. De successione hereditaria particulari. §. 864.

T. I. De delatione success. hered. particularis. §. 865.

T. II. De ſucceſſione hereditaria particulari ipſa eiusque effectu. §. 873.

S. II. De ſucceſſione ſingulari. §. 877.

T. I. De delatione ſucceſſionis ſingularis. §. 878.

T. II. De ſucceſſione ſingulari ipſa eiusque effectu. §. 881.

IVRISPRVDENTIA CRIMINALIS.

P. I. Generalia de laeſionibus principia. §. 885.

T. I. De laeſionis definitione et variis eius diuiſionibus. §. 886.

T. II. De ſubiecto et obiecto laeſionum. §. 894.

T. III. De iuribus et obligationibus laeſiones concernentibus in genere. §. 900.

T. IV. De gradu moralitatis laeſionum. §. 907.

T. V. De indiciis et corpore laeſionis. §. 912.

P. II. De ſingulis laeſionum ſpeciebus et iuribus atque obligationibus quae occaſione earum ex legibus oriuntur. §. 914.

T. I. De laeſionibus veris generalibus. §. 915.

T. II. De laeſionibus veris ſpecialibus officiis erga alios abſolutis ratione animae contrariis. §. 923.

T. III.

T. III. De laeſionibus veris ſpecialibus officiis erga alios abſolutis ratione corporis contrariis. §. 928.

T. IV. De laeſionibus veris ſpecialibus officiis erga alios abſolutis ratione ſtatus externi contrariis. §. 935.

T. V. De laeſionibus veris ſpecialibus officiis hypotheticis contrariis. §. 941.

T. VI. De quaſi laeſionibus. §. 957.

IVRISPRVDENTIA FEVDALIS.

P. I. Generalia de feudis principia. § 961.

T. I. De feudi definitione et origine feudorum. §. 962.

T. II. De ſubſtantialibus, naturalibus et accidentalibus feudi. §. 969.

T. III. De inueſtitura feudali in genere. §. 923.

T. IV. De praeſcriptione feudali in genere. §. 980.

T. V. De perſonis feudalibus. §. 983.

P. II. Specialis de feudis tractatio. §. 988.

L. I. De feudo conſtituendo. §. 989.

T. I. De modis quibus infeudatio fit. §. 995.

T. II. De rebus quae poſſunt infeudari. §. 998.

T. II

T. III. De perſonis quae feudum concedere poſſunt, §. 1002.

L. II. De feudo conſtituto. §. 1004.

S. I. De feudi acquiſitione. § 1005.

T. I. De perſonis feudorum capacibus. §. 1007.

T. II. De feuda acquirendi modis. §. 1009.

S. II. De iuribus et obligationibus feudalibus ipſis. §. 1015.

T. I. De iuribus et obligationibus feudalibus circa perſonam. §. 1017.

T. II. De iuribus et obligationibus feudalibus circa feudi dominium directum. §. 1022.

T. III. De iuribus et obligationibus feudalibus circa dominium vtile. §. 1026.

T. IV. De iuribus et obligationibus feudalibus circa ipſam rem infeudatam. §. 1034.

S. III. De nexus feudalis diſſolutione. §. 1041.

T. I. De diſſolutione nexus feudalis per priuationem iuris in poenam. §. 1043.

T. II. De nexus feudalis diſſolutione quae fit citra priuationem in poenam. §. 1047.

S. IV. De perſecutione iurium feudalium. §. 1050.

IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA.

P. I. Generalia de religione principia et de officiis hominum religionem concernentibus. §. 1052.

T. I. De religione in genere. §. 1053.

T. II. De officiis erga Deum. §. 1060.

T. III. De officiis erga alios homines quoad religionem. §. 1065.

P. II. De iuribus et obligationibus hominum in eccleſia viuentium circa religionem in ſpecie. §. 1077.

L. I. Tractatio generalis de iuribus et obligationibus hominum in eccleſia viuentium. §. 1078.

S. I. De religione in ſe ſpectata in genere. §. 1079.

T. I. De definitione eccleſiae eiusque conſtitutiuis. §. 1080.

T. II. De iuribus et obligationibus, nec non poſſeſſione eccleſiae. §. 1086.

T. III. De poteſtate eccleſiaſtica, et regimine eccleſiaſtico, nec non verbi diuini miniſterio. §. 1088.

T. IV. De directorio et officiis eccleſiae in genere. §. 1092.

S. II. De variis ecclesiarum speciebus. §. 1094.

T. I. De variis ecclesiarum speciebus in genere. §. 1095.

T. II. De ecclesiis quae sunt societates aequales. §. 1099.

T. III. De ecclesiis quae sunt societates inaequales. §. 1102.

S. III. De ecclesiarum ortu et interitu, membris earum, modisque quibus talia fiunt et esse desinunt. §. 1104.

T. I. De ecclesiarum ortu et interitu. §. 1105.

T. II. De membris ecclesiarum. §. 1107.

T. III. De modis quibus membra ecclesiae talia fiunt. §. 1111.

T. IV. De modis quibus membra ecclesiae talia esse desinunt. §. 1114.

L. II. Tractatio specialis de iuribus et obligationibus hominum in ecclesia viuentium. §. 1116.

S. I. De cultu diuino. §. 1117.

T. I. De dogmatibus religionis. §. 1123.

T. II. De actibus sacris externis. §. 1126.

T. III.

T. III. De conuentibus et diebus sacris, §. 1131.

S. II. De rebus ecclesiasticis. §. 1135.

T. I. De rebus ecclesiasticis ipsis. §. 1136.

T. II. De rerum ecclesiasticarum acquisitione, administratione, amissione et conseruatione. §. 1141.

S. III. De officiis et beneficiis ecclesiasticis §. 1143.

T. I. De officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum erectione, fundatione et innouatione. §. 1145.

T. II. De prouisione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum. §. 1148.

T. III. De iuribus et obligationibus officialium et beneficiatorum. §. 1151.

T. IV. De amissione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum. §. 1156.

S. IV. De laesionibus ecclesiasticis. §. 1159.

T. I. De laesionibus ecclesiasticis communibus. §. 1161.

T. II. De laesionibus ecclesiasticis officialium ecclesiae propriis. §. 1164.

PRACTICA.

NON LITIGIOSA.

P. I. Tractatio generalis de expeditione negotiorum iuridicorum non litigiosorum. §. 1167

T. I. De personis per quas negotiorum non litigiosorum expeditio fit.

T. II. De modo proponendi in negotiis non litigiosis. § 1172.

T. III. De forma negotiorum non litigiosorum. §. 1175.

T. IV. De congregationibus negotia iuridica non litigiosa expediendi causa. §. 1180

P. II. Tractatio specialis, de singulis negotiis iuridicis non litigiosis. §. 1183.

L. I. De negotiis iuridicis non litigiosis generalibus. §. 1184.

T. I. De negotiis acquisitionem iurium et obligationum in genere concernentibus. §. 1185.

T. II. De negotiis amissionem iurium et obligationum in genere concernentibus. §. 1186.

T. III. De negotiis probationem iurium et obligationum in genere concernentibus. §. 1187.

T. IV

T. IV. De negotiis conservationem iurium et obligationum in genere concernentibus. §. 1188.

T. V. De negotiis quae modum corroborandi iura et obligationes concernunt. §. 1189.

L. II. De negotiis non litigiosis iuridicis specialibus. §. 1190.

M. I. De negotiis successionem concernentibus. §. 1191.

T. I. De negotiis successionis futurae determinationem concernentibus. §. 1192.

T. II. De negotiis in ipsa successione obvenientibus. §. 1193.

M. II. De negotiis non litigiosis successionem non concernentibus. §. 1194.

T. I. De negotiis ius rerum concernentibus. §. 1195.

T. II. De negotiis ius personarum concernentibus. §. 1199.

LITIGIOSA.

P. I. De belligeratione. §. 1201.

T. I. De personis belligerantibus. §. 1202.

T. II. De singulis actibus in belligeratione obvenientibus. §. 1206.

T. III. De ipso belligerationis actu. §. 1213.

P. II. De amicabili compositione. §. 1219.

T. I. De pactione pacis. §. 1225.

T. II. De amicabili compositione in specie sic dicta. §. 1230.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS CIVILIS.

THEORETICA.

PECVLARIS ALLODIALIS.

CIVILIS.

PVBLICA IN SPECIE SIC DICTA.

P. I. De iuribus et obligationibus statum publicum concernentibus in genere. §. 1234.

L. I. De republica in se spectata in genere. §. 1235.

T. I. De reipublicae in sensu politico genuino conceptu, eiusque constituuntis. §. 1236.

T. II. De reipublicae in sensu geographico genuino conceptu, s. territorio reipublicae. §. 1247.

T. III. De potestate ciuili in genere. §. 1255.

T. IV. De subiectione ciuili in genere. §. 1267.

T. V. De legibus fundamentalibus rerumpublicarum in genere. §. 1276.

T. VI. De comitiis in genere. §. 1280.

L. II. De variis rerumpublicarum speciebus. §. 1283.

T. I. De variis rerumpublicarum speciebus in genere. §. 1284.

T. II. De regnis et principatibus. §. 1292.

T. III. De rebus publicis in specie sic dictis. §. 1301.

T. IV. De rebus publicis compositis. §. 1309.

L. III. De rerumpublicarum ortu et interitu, earum membris, modisque quibus tales fiunt et esse desinunt.

S. I. De rerumpublicarum ortu et interitu. §. 1318.

T. I. De ortu rerumpublicarum §. 1319.

T. II. De rerumpublicarum interitu. §. 1322.

S. II. De membris rerumpublicarum. §. 1324.

M. I. De membris rerumpublicarum. quae regna sunt. §. 1325.
T. I. De principibus regentibus. §. 1327.
T. II. De principibus futuris. §. 1339.
T. III. De statibus s. ordinibus regni. §. 1345.
T. IV. De vicariis regnorum. §. 1352
T. V. De officialibus publicis regnorum. §. 1358.
M. II. De membris rerumpublicarum in specie sic dictarum. §. 1365.
T. I. De optimatibus rerumpublicarum in specie sic dictarum. §. 1366.
T. II. De senatoribus rerumpublicarum. §. 1369.
T. III. De officialibus publicis rerumpublicarum. §. 1372.
M. III De membris rerumpublicarum compositarum. §. 1374.
T. I. De membris reipublicae compositae ipsius. §. 1375.
T. II. De membris rerumpublicarum minorum. §. 1377.
S. III. De modis quibus membra reipublicae talia fiunt et esse desinunt. §. 1379.

T. I.

T. I. De modis quibus ciues in genere tales fiunt et esse desinunt. §. 1380.
T. II. De modis quibus princeps talis fit et esse desinit. §. 1385.
T. III. De modis quibus status et vicarii regnorum tales fiunt et esse desinunt. §. 1405.
T. IV. De modis quibus optimates et senatores tales fiunt et esse desinunt. §. 1413.
T. V. De modis quibus officiales publici tales fiunt et esse desinunt. §. 1417.
P. II. De singulis partibus potestatis ciuilis et iis respondentibus obligationibus. §. 1419.
L. I. De singulis partibus potestatis ciuilis et iis respondentibus obligationibus quoad subditos in genere. §. 1420.
S. I. De partibus potestatis ciuilis generalibus. §. 1421.
T. I. De potestate ciuili rectoria. §. 1422.
T. II. De potestate ciuili inspectoria. §. 1435.
T. III. De potestate ciuili exsecutoria. §. 1439.
S. II. De partibus potestatis ciuilis specialibus §. 1446.
T. I. De potestate bellica. §. 1447.
T. II. De potestate politica. §. 1459.

T. III. De potestate camerali. §. 1475.
T. IV. De potestate iudiciaria. § 1505.

L. II. De singulis partibus potestatis ciuilis, iisque respondentibus obligationibus quoad societates in specie. §. 1517.

T. I. De diuersis societatum in relatione ad rempublicam consideratarum speciebus. §. 1581.
T. II. De societatibus priuatis in republica existentibus. §. 1520.
T. III. De societatibus publicis in republica existentibus. 1534.

IVRIS GENTIVM PRVDENTIA.

P. I. De gentibus in genere. §. 1540.

T. I. De gentis definitione et speciebus gentium. §. 1541.
T. II. De membris gentium et peregrinis. §. 1550.
T. III De officiis gentium in genere. §. 1555.
T. IV. De legibus gentium. §. 1558.

P. II. De officiis gentium erga se in specie §. 1564.

L. I. De officiis gentium inter se absolutis. §. 1565.

T. I. De officiis gentium inter se inuicem absolutis quoad ipsam vnionem ciuilem. §. 1566.

T. II. De officiis absolutis gentium inter se inuicem quoad territorium in se consideratum. §. 1569.
T. III. De officiis gentium inter se absolutis quoad res corporales in mundo obuias. §. 1573.
T. IV. De officiis gentium inter se absolutis quoad iura potestatis ciuilis §. 1578.
T. V. De officiis gentium inter se absolutis quoad honorem. §. 1591.

L. II. De officiis gentium erga se hypotheticis. §. 1596.

S. I. De officiis gentium erga se hypothecis in genere.

T. I. De officiis gentium erga se hypothecis quae concernunt iura in re. §. 1598.
T. II. De officiis gentium erga se hypotheticis quae concernunt iura ad rem. §. 1602.

S. II. De officiis gentium erga se quoad legatos seu iure legationum in specie. §. 1609.
T. I. De legatis in genere, eorum charactere repraesentatio et speciebus. §. 1610.
T. II. De missione, admissione et reiectione legatorum. §. 1618.

T. III. De ipsis iuribus et obligationibus, a statu legati dependentibus. §. 1627.
T. IV. De hominibus, vasis et aedibus legatorum. §. 1638.
T. V. De modis quibus legatus talis esse desinit. §. 1649.

IVRISPRVDENTIA PRIVATA.

P. I. Iurisprudentia priuata stricte sic dicta seu priuatorum. §. 1647.
P. II. Iurisprudentia principum priuata. §. 1661.

IVRISPRVDENTIA CRIMINALIS.

P. I. De delictis in genere. §. 1671.
T. I. De delicti definitione et diuisionibus. §. 1672.
T. II. De subiecto et obiecto delictorum. §. 1675.
T. III. De potestate ciuili criminali. §. 1677.
T. IV. De iuribus et obligationibus delicta concernentibus in genere. §. 1687.
T. V. De gradu moralitatis delictorum nec non indiciis et corpore delicti. §. 1689.
P. II. De singulis delictorum speciebus. §. 1690.
T. I. De delictis quae conueniunt cum laesionibus singulorum hominum extra rempublicam viuentium. §. 1691.
T. II. De delictis subditis propriis. §. 1693.

IVRISPRVDENTIA FEVDALIS.

P. I. Generalia de feudis principia. §. 1697.
T. I. De diuisione feudorum in publica et priuata. §. 1698.
T. II. De potestate ciuili feudali. §. 1702.
P. II. Specialis de feudis tractatio. §. 1708.
L. I. Ius feudale generale. §. 1709.
L. II. Ius feudale speciale. §. 1711.

IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA.

P. I. Generalia de religione principia et de officiis hominum religionem concernentibus
P. II. De iuribus et obligationibus hominum in ecclesia viuentium circa religionem in specie. §. 1718.
L. I Tractatio generalis de iuribus et obligationibus hominum in ecclesia viuentium. §. 1719.
S. I. De potestate ciuili ecclesiastica. §. 1720.
T. I. De potestate ciuili ecclesiastica in genere. §. 1721.
T. II. De iure reformandi circa sacra. §. 1725.
T. III. De iure aduocatiae circa sacra. §. 1729.
S. II. De habitu ecclesiarum ad rempublicam. §. 1732.
T. I. De habitu ecclesiarum ad rempublicam in genere. §. 1733.

T. II. De habitu ecclesiarum aequalium ad rempublicam. §. 1735.
T. III. De habitu ecclesiarum inaequalium ad rempublicam. §. 1738.
L. II. Tractatio specialis de iuribus et obligationibus hominum in ecclesia viuentium. §. 1741.
T. I. De cultu diuino. §. 1742.
T. II. De rebus ecclesiasticis. §. 1747.
T. III. De officiis et beneficiis ecclesiasticis. §. 1749
T. IV. De lectionibus ecclesiasticis. §. 1753.

PRACTICA

PRACTICA IN SPECIE SIC DICTA

CIVILIS.

IVRISPRVDENTIA PRACTICA PVBLICA.

P. I. De expeditione negotiorum publicorum in genere. §. 1757.
P. II. De expeditione singulorum negotiorum in specie. §. 1758.
L. I. De negotiis publicis non litigiosis. §. 1759.
T. I. De negotiis in acquisitione potestatis ciuilis obuenientibus. §. 1760.
T. II. De negotiis publicis non litigiosis in ipso regimine publico obuenientibus.
L. II. De negotiis publicis litigiosis. §. 1763.
S. I.

S. I. De belligeratione publica. §. 1763.
M. I. De belligeratione publica solenni. §. 1765.
T. I. De belligerantibus. §. 1766.
T. II. De singulis actibus in belligeratione publica solenni obuenientibus. §. 1770.
T. III. De ipso belligerationis publicae solennis actu. §. 1784.
M. II. De belligeratione publica minus solenni. §. 1787.
S. II. De amicabili compositione. §. 1789.

IVRISPRVDENTIA PRACTICA PRIVATA.

EXTRAIVDICIALIS.

P. I. Tractatio generalis de expeditione negotiorum iuridicorum extraiudicialium. §. 1796.
P. II. Tractatio specialis de singulis negotiis iuridicis extraiudicialibus. §. 1798.

IVDICIALIS.

P. I. De iudiciis ciuilibus in genere. §. 1801.
T. I. De iudiciis ciuilibus ipsis. §. 1802.
T. II. De personis iudicialibus in iudiciis ciuilibus obuenientibus. §. 1805.
T. III. De negotiis ciuilibus eorumque expeditione in genere. §. 1808.
P. II. De expeditione actuum voluntariae iurisdictionis. §. 1811.

T. I.

T. I. De expeditione cauſarum voluntariae iurisdictionis in genere. §. 1812.
T. II. De ſingulis actibus voluntariae iurisdictionis in ſpecie. §. 1816.
P. III. De expeditione cauſarum contentioſae iurisdictionis. §. 1818.
T. I. De perſonis litiganibus. §. 1819.
T. II. De ſingulis actibus in expeditione cauſarum voluntariae iurisdictionis obuenientibus §. 1824.
T. III. De proceſſu ciuili ipſo. §. 1827.

IVRISPRVDENTIA PRACTICA CRIMINALIS.

P. I. De iudiciis criminalibus. §. 1833.
P. II. De ſingulis negotiis in expeditione cauſarum criminalium obuenientibus. §. 1840.
P. III. De proceſſu criminali ipſo. §. 1842.

ARS ACTA TRACTANDI

ARS RELATORIO - DECRETORIA.

P. I. Ars relatorio-decretoria principalis. §. 1849.
P. II. Ars relatorio-decretoria minus principalis. §. 1852.

ARS ARCHIVA TRACTANDI.

P. I. De archiuis et archiuariis §. 1855.
P. II. De modo & ordine quo ſcripturae in archiuis aſſeruandae. §. 1858.

INTRODVCTIO IN IVRISPRVDENTIAM NATVRALEM.

DISCVRSVS PRAELIMINARIS.

§. 1.

Arctissimus nexus, qui est inter iurisprudentiam naturalem et varias alias eruditionis partes, efficit, quasdam veritates, ad eruditionis partes a iurisprudentia naturali diuersas, pertinentes, cognitas esse debere ei, qui felices in iurisprudentia naturali facere vult progressus. Harum aliae ita comparatae sunt vt ex aliis collegiis, praeter collegia iuris naturae, addisci possint et soleant, aliae non. Ad posteriores refero eas quas fistit 1) *philosophia practica universalis theoretica* seu *iurisprudentia naturalis generalis*; 2) *historia litteraria iuris naturalis*.

§. 2.

Prout porro cuiuibet parti eruditionis praemittenda sunt *praecognita*: ita et quo-

reles veritates de iuribus et obligationibus hominum enim adsunt, in quascunque etiam conditione viuat homo.

§. 8.

Licet absurda sit distinctio inter iurisprudentiam naturalem philosophicam et iuridicam, seu ius naturae philosophicum et iuridicum, quam somniant nonnulli; distingui tamen optimo iure potest inter iurisprudentiam naturalem quae ita docetur, vt doceat eam iurisprudentiae positiuae accommodet, et quae ita non docetur. Siue enim philosophus, siue ICtus, veritates de iuribus et obligationibus, quae in rerum natura et essentia rationem sufficientem habent, tradat, semper eaedem sunt. Att, potest tamen hic docens magis ac alter eas ita tradere, vt influant in iurisprudentiam positiuam.

§. 9.

Eruditus qui callet iurisprudentiam naturalem, dicitur *iuris naturalis peritus* seu *Naturalista*.

§. 10.

Generales eruditorum diuisiones in empiricos et rationales (§. 44. *Pr. er. vniu.*); *in theoreticos et practicos* (§. 46. *l. c.*); *in sectatores et eclecticos* (§. 48. *l. c.*); *in pragmaticos et non pragmaticos* (§. 52. *l. c.*); *in primi et secundi ordinis* (§. 53 *l. c.*), *quoad iuris naturalis peritos locum habent, nec dantur praeter eas speciales diuisiones.* Id quod ex ipsis definitionibus l. l. c. c. obuiis, collatis cum §. 9. patet.

TIT.

TIT. II.

DE

PARTIBVS IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS.

§. 11.

Veritates naturales de iuribus et obligationibus, quarum complexus totam iurisprudentiam naturalem constituit (§. 5.), in eo a se inuicem differunt, quod aliae earum iura et obligationes hominum quae rebuspublicis seu ciuitatibus nondum ortis, aliae quae demum iis ortis, obtineant, concernant (§. 7.). Inde oriuntur duae iurisprudentiae naturalis partes, quarum vna complectitur veritates prioris generis, quae dicitur IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA; altera vero veritates posterioris generis, quam IVRISPRVDENTIAM NATVRALEM CIVILEM appellare liceat.

§. 12.

Iurisprudentiae naturalis stricte sic dictae partes sunt iurisprudentia THEORETICA et PRACTICA. Haec veritates de iuribus et obligationibus, quae concernunt modum expediendi negotia iuridica, complectitur; illa reliquas.

§. 13.

Theoretica iurisprudentia naturalis stricte sic dicta vel pro obiecto religionem habet, vel non. In

In posteriori casu dicitur SECVLARIS, in priori vero ECCLESIASTICA. Secularis iterum vel feuda pro obiecto habet, vel non. Si posterius ALLODIALIS, si prius FEVDALIS appellatur. Allodialis iurisprudentia vero in CIVILEM et CRIMINALEM abit, quarum partium haec continet veritates de iuribus et obligationibus ex laesionibus, illa reliquas.

§. 14.

Practica iurisprudentia naturalis stricte sic dicta vero, aut pro obiecto habet negotia iuridica litigiosa, aut non litigiosa. Hinc oriuntur duae eius partes, nimirum IVRISPRVDENTIA PRACTICA LITIGIOSA, si ponis prius: NON LITIGIOSA, si ponis posterius.

§. 15.

His partibus absoluitur iurisprudentia naturalis stricte sic dicta. Sequuntur partes iurisprudentiae naturalis ciuilis, quae iidem vel THEORETICA, vel PRACTICA est, prout iurisprudentia naturalis stricte sic dicta (§. 12.): ast subpartes vtriusque partis non in omnibus conueniunt cum partibus iurisprudentiae naturalis stricte sic dictae.

§. 16.

Est enim iurisprudentia naturalis ciuilis theoretica iidem vel SECVLARIS, vel ECCLESIASTICA, et secularis vel ALLODIALIS, vel FEVDALIS, allodialisque vel CIVILIS, vel CRIMINALIS

NALIS: ast iurisprudentia *secularis allodialis ciuilis* in partes subdiuidenda, quas iurisprudentia naturalis stricte sic dicta non admittit, nimirum in PVBLICAM et PRIVATAM. Veritates de iuribus et obligationibus enim quae statum publicum reipublicae concernunt, constituunt *publicam*, quae non, *priuatam* iurisprudentiam. Publica iurisprudentia vero est vel PVBLICA IN SPECIE SIC DICTA, vel IVRIS GENTIVM PRVDENTIA, prout veritates de iuribus obligationibusque quae statum publicum concernunt, vel statum publicum internum, sicque iura et obligationes inter subditos et superiorem, vel statum publicum externum, sicque rerumpublicarum seu gentium iura et obligationes inter se, concernunt.

§. 17.

Iurisprudentia naturalis ciuilis practica vero abit in IVRISPRVDENTIAM PRACTICAM IN SPECIE SIC DICTAM, quae concernit negotia iuridica de nouo tractanda, et ARTEM ACTA TRACTANDI, quae concernit negotia iuridica quae alia negotia iuridica iam peracta, id est, *acta*, praesupponunt. Prior est vel CIVILIS, vel CRIMINALIS, quarum haec concernit negotium, quod eo tendit, vt delinquens poenam promeritam luat; illa reliqua negotia iuridica de nouo tractanda. Ciuilis iurisprudentia practica vero vel PVBLICA, vel PRIVATA est, prout negotia vel statum publicum, vel statum priuatum concernunt, et priuata vel

EXTRAIVDICIALIS, vel IVDICIALIS est, quarum partium illa talia negotia concernit ad quae iudex plane non concurrit, haec vero talia, quae côram iudice, vel per eum, expediuntur. Quod autem attinet posteriorem partem iurisprudentiae practicae, nimirum artem acta tractandi, ea abit in ARTEM RELATORIO - DECRETORIAM, et ARTEM ARCHIVA TRACTANDI, prout negotia, alia iam peracta negotia concernentia, vel constituit in referendo et decernendo, vel in eo, vt scripturae sub fide publica affirmandae debito modo et ordine afferuentur.

TIT. III.

DE METHODO DOCENDI ET DISCENDI IVRISPRVDENTIAM NATVRALEM.

§. 18.

Docens iurisprudentiam naturalem, praeter generalia omnium docentium officia, quae §. 129 – 171. Prace. erud. omn. explicata sunt, specialia quaedam, hic tradenda, obseruare debet. Sunt ea 1) *terminis technicis vtendum esse in significatu in scholis ICtorum recepto, quatenus fieri potest;* 2) *omnes veritates per philosophicas demonstrationes esse demonstrandas;* 3) *si speciatim in vsum iurisprudentiae positiuae docetur iurisprudentia naturalis, eam ita docendam esse vt, tam formaliter, quam materialiter influat in iurisprudentiam positiuam.* Illustra-

Illustrationis gratia hic conferri merentur §§. *122. et 183. Prace. erud. omn.* Quoad demonstrationem vero notandum est, ad n. 1. terminos technicos quibus in iurisprudentia naturali vtimur esse iuridicos; ad n. 2. iurisprudentiam naturalem esse partem philosophiae (§. 5.), sicque tales demonstrationes admittere omnes in ea obuenientes veritates (§. *128. Prace. erud. gener.*); ad n. 3. tum demum, si ita docetur iurisprudentia naturalis, eam in studio iuris positiui vsum quendam praestare.

§. 19.

Quum omnes veritates a docente iurisprudentiam naturalem per philosophicas demonstrationes euincendae sint (§. *prace. num.* 2.), eoque faciat vulgo sic dictum *principium iuris naturae*, id est, veritas iuris naturalis generalissima, ex qua omnes aliae demonstratiua ratione fluunt: quid de controuersia dudum agitata, quae veritas pro tali habenda, sentiendum, hic paucis exponendum. Ex mea sententia itaque principium iuris naturae verum, vnicum, adaequatum et euidens est: *facienda esse, quae facienda esse, ex rerum natura et essentia demonstrari potest; omittenda vero esse, quae omittenda esse, ex rerum natura et essentia demonstrari potest.* *Quoties vero, hoc vel illud faciendum vel omittendum esse, ita demonstrari nequit, a cuiuslibet arbitrio dependere, an et quomodo, agere, vel non agere, velit.* Hoc principio itaque docens instar notionis directri-

cis

cis, (§. 11. *Praec. erud. vniu.*) vti debet in inueniendis veritatibus iuris naturalis specialibus.

IO. GVIL. IANI *Iudicia eruditorum de principiis iuris naturae cum vera sententia comparata.* Vitteb. 1711.

FRID. ALEX. KILNHOLD *Or. de logomachiis circa principium iuris naturae.* Lipſ. 1723.

IOACH. HENR. SIMRAND *An detur principium iuris naturae verum, primum, vnicum, adaequatum et cuidus, nec ne?* Roſt. 1703.

§. 20.

Diſcens iurisprudentiam naturalem, praeter ea quae in diſcendo in genere obſeruanda ſunt, de quibus §. 172 – fin. Praec. erud. vniu. dictum, ſpecialim quoad ſtudia ſubſidiaria notare debet 1) *praeter generalia ſtudia ſubſidiaria §. 185. l. c. recenſita alia ſpecialia non dari, quam Pſychologiam et Theologiam naturalem;* 2) *legitimam coniunctionem iurisprudentiae naturalis, ſi diſcimus eam in vſum iurisprudentiae poſitiuae, ſicque vt ſtudium ſubſidiarium eius tractatur, eo vtimur: non corrigendum, ſed potius ſupplendum et illuſtrandum eſſe, ope eius ius poſitiuum.* Ad illuſtrationem huius propoſitionis faciunt §§. *182. et 188. Praec. erud. gener.*: ad probationem vero, quoad n. 1. Pſychologiam et Theologiam naturalem continere principia iurisprudentiae naturalis, et quoad n. 2. in eo conſiſtere vſum et abuſum iuris naturalis in iure poſitiuo.

PARS

PARS II.

HISTORIA LITTERARIA IVRIS NATVRAE.

IO. HEVMANNI *Proleg. iur. nat. litteraria* in EIVS Exerc. iur. vniu. Vol. 3. p. 42. ſeqq.

§. 21.

Prout in genere hiſtoria litteraria tribus conſtat partibus, quae ſunt *biographia* ſeu *notitia eruditorum*, *bibliographia* ſeu *notitia ſcriptorum* et *hiſtoria eruditionis* (§. 76. *Praec. vniu. erud.*): ita et quoad iurisprudentiam naturalem hae tres partes concipi poſſunt, nimirum *notitia naturaliſtarum* (§. 9.), *notitia ſcriptorum iuris naturae* et *hiſtoria iurisprudentiae naturalis*, quarum primae lineae hic ducendae ſunt.

TIT. I.

NOTITIA NATVRALISTARVM SEV CVLTORVM IVRIS NATVRAE.

CAROL. OTT. RECHENBERG. Pr. *de auctoribus qui ſcriptis ſuis iurisprudentiam naturalem illuſtrarunt.* Lipſ. 1711.

IO. BALT. WERNHER Diſſ. *de praecipuis iuris naturalis ſcriptoribus.* Lipſ. 1699. et inter Diſſ. iur. nat. Diſſ. XII.

IO. FRID. WVCHERER Diſſ. *de quibusdam iur. nat. reſtauratoribus.* Ien. 1710.

§. 22.

Quum in notitia naturaliſtarum agendum de excellentibus naturaliſtis ſeu iuris naturalis peritis, eruditi, quorum exſtant in iurispru-

risprudentiam naturalem merita, hic secundum ordinem chronologicum sunt recensendi et breuibus, quales fuerint, indicandum. Quotquot vero eorum exstirerunt, vel adhuc existunt, sunt 1) qui ante HVGONEM GROTIVM floruerunt; 2) HVGO GROTIVS ipse; 3) qui cum HVGONE GROTIO et post eum floruerunt, et adhuc florent.

§. 23.

Excellentium naturalistarum, qui ante HVGONEM GROTIVM floruerunt, pauci inueniuntur. Sunt fere hi:

NICOLAVS HEMMINGIVS natus 1513. In Academia Hafniensi Theologi officio functus est. Moritur 1600.

ALBERICVS GENTILIS Italus, legum Professor in academia Oxoniensi. Obiit 1608.

BENEDICTVS WINCKLER Soltquellensis, qui syndici munere Lubecae functus, naturae debitum reddidit 1648.

§. 24.

HVGO GROTIVS ipse, felicissimus ille iuris naturalis restaurator, felici sidere Delphis 1583. natus est. Postquam variis muneribus ciuilibus in patria functus erat, et in legationibus subeundis fidem et dexteritatem suam comprobauerat, naturae debitum reddidit Rostochii a. 1643. Vitam eius scripserunt multi, quos recenset MEISTERVS in *bibliotheca iuris naturae et gentium* sub voce: HVGO GROTIVS.

§. 25.

§. 25.

Qui cum GROTIO et post eum floruerunt et adhuc florent excellentes naturalistae, partim iam *demortui* sunt, partim adhuc *viuunt*.

§. 26.

Ad priorem classem referri merentur:

IOANNES SELDENVS Anglus, natus 1584. Oxonii philosophiae et iurisprudentiae operam dedit, et in foro tam, quam in publicis negotiis de patria optime meritus, mortuus est 1654. Vide sis vitam eius opp. 1726. iunctim editis praefixam.

THOMAS HOBBESIVS itidem Anglus, qui mox in patria, mox in Gallia vixit. Natus est a. 1588 et vixit vsque ad a. 1679. Vita eius ab Anonymo descripta prodiit Carolopoli 1681.

CASPAR ZIEGLER Lipsiensis. Natus est 1621, docuit iura Vittenbergae, vbi 1690. mortuus est. Conf. *Hallische Beyträge zu der iuristischen gelehrten Historie 1. B. 3. St. p. 483. sq.*

SAMVEL PVFFENDORF primus in germania Professor iuris naturae et gentium in academia Heidelbergensi. Docuit etiam Lundini Scanorum. Vita academica relicta Holmiae et Berolini munere Historiographi functus est, donec 1703 vitam finiuit. Vita eius adiuncta est versioni Monzambani germanicae. Vide etiam elogium eius scriptore IO. PETR. DE LVDWIG in huius *opusculis oratoriis p. 463.*

HENRI-

HENRICVS A COCCEII Bremae 1648. natus. Docuit Heidelbergae, Traiecti et Francofurti ad Viadrum iurisprudentiam, vsque ad annum emortualem 1718. Vid. *Vita viri Perillustr. ac ICti summi Henrici a Cocceii.* Quedlinb. 1721.

CHRISTIANVS THOMASIVS celeberrimus ICtus Halensis, natus Lipsiae 1655, denatus Halae 1728. cuius viram prolixe descripsit LEPORIN in *dem ietzt lebenden gelehrten Teutschlande P. 2.*

HENRICVS KOELERVS Philosophus Ienensis, qui a. 1737. obiit. Vid. BAVMEISTERI *Elogium eius.* Gorlici 1737.

ADAMVS FRIDERICVS GLAFEY natus 1692. in Saxonia. Postquam per aliquot tempus Lipsiae priuatim docuerat, munere archiuarii Dresdae functus obiit 1753. Vid. GOTTENS *ietzt lebendes gelehrtes Europa* P. II. p. 61 76. WEIDLICH *Geschichte der ietzt lebenden Rechtsgelehrten in Teutschland* P. I. p. 272 — 282.

CHRISTIANVS L. B. DE WOLF satis notus Philosophorum princeps, qui a. 1754 coelitum choris associatus. Vid. GOTTSCHEDII *Historische Lobschrift* etc. Halle 1755.

§. 27.

Posteriorem classem ornant L. B. ADAMVS AB ICKSTATT, GEORG. GOTH. KEVFFELIVS, IO. IOACH. DARIES, GOTTFRIEDVS ACHENWALL, REGNERVS ENGELHART, IO. IVSTIN. SCHIERSCHMIDT multique alii, praesertim exteri.

TIT.

TIT. II.

HISTORIA IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS.

IO. FRANC. BVDDEI *historia iuris naturalis.* In eius selectis iuris naturae et gentium. Halae 1704 8.

IAC. FRID. LVDOVICI *delineatio historiae iuris diuini naturalis et positiui uniuersalis,* Ed. auct. Halae 1714 8.

CHRISTIANI THOMASII *paulo plenior historia iuris naturalis.* Halae 1719 4.

AD. FRID. GLAFEY *Vollständige Geschichte des Rechts der Vernunft.* Leipz. 1739. 4.

ANT. IVD. SEIPII *Historia iuris naturae in epochas et thesses breues ad formam historiae iuris Ruppii reducta,* Goett. 1749. 4.

IO. IAC. SCHMAVSSII *Neues System des Rechts der Natur. Erstes Buch. Historie des Rechts der Natur.* Goett. 1754. 8.

Kurtzer Entwurf einer Historie der Natur- und Völcker-Rechts, Leipz. 1759. 8.

§. 28.

Historia iurisprudentiae naturalis, quae fata huius disciplinae recenset, commode in quinque epochas diuidi potest. In prima fata eius vsque ad HVGONEM GROTIVM sunt recensenda. In secunda a GROTIO vsque ad PVFFENDORFIVM. In tertia a PVFFENDORFIO vsque ad CHRISTIANVM THOMASIVM. In quarta a THOMASIO vsque ad WOLFIVM. In quinta a WOLFIO vsque ad nostra tempora.

§. 29.

Licet leges naturales sint aeternae, veritates de iuribus et obligationibus, quae in iis continentur, tamen nimis fero in formam artis sunt redactae. Ante GROTIVM qui vixerunt eruditi, praesertim philosophi, aut plane de iis excolendis non fuerunt solliciti, aut, si eas tractarunt, non seperatim tradiderunt, sed potius aliis disciplinis immiscuerunt. Et licet temporibus GROTIO proximioribus NICOLAVS HEMMINGIVS in *methodo apodictica de lege naturae* quae Vitebergae 1562. prodiit, vt et ALBERICVS GENTILIS in Tract. *de iure belli*, qui circa finem Sec. XVI. aut sub initium sequentis seculi lucem adspexit, nec non BENEDICTVS WINCKLER in *principiis iuris in quibus genuina iuris tam naturalis quam positiui principia et firmissima iurisprudentiae fundamenta ostenduntur, eiusdem summus finis ob oculos ponitur et diuina auctoritas probatur* Lipsiae 1615. editis, tentauerint iurisprudentiam naturalem, tanquam peculiarem disciplinam, a reliquis seperare, nemo tamen horum id perfecit, cum HEMMINGIVS et WINCKLERVS in exponendis generalibus principiis subsliterint, GENTILIS vero non nisi argumentum quoddam ex iurisprudentia naturali pertractauerit. Vnde *ex his temporibus studium iuris naturae nec in academiis viguit, nec illud extra eas debita diligentia excultum fuit, nec in formam artis iam redacta fuit iurisprudentia naturalis vniuersa.*

§. 30.

§. 30.

Primus porius, qui veritates de iuribus et obligationibus in legibus naturalibus contentas in artis formam redegit, est HVGO GROTIVS, cuius opus insigne de *iure belli et pacis* Parisiis 1625. prima vice lucem adspexit. Licet enim nec titulus Grotiani huius operis promittat vniuersam iurisprudentiam naturalem in toto suo ambitu, nec GROTIVS intenderit eam tradere, actu tamen potiora argumenta iuris naturalis pertractauit, Paulo post, GROTIO adhuc vigente, aemulus eius IOANNES SELDENVS edidit Londini a. 1640. *ius naturale et gentium iuxta disciplinam Ebraeorum*, in quo Ebraeorum de grauissimis iuris naturae capitibus sententiam potius exponit, quam noua iuris naturae principia proponit, quod mormo GROTIO fecit THOMAS HOBBESIVS cuius *Elementa de ciue* a 1646. lucem adspexerunt, quae paullo post, scilicet a. 1651. eius *Leuiathan* excepit. His scriptis tamen Grotianum opus palmam praerepit, ita vt, qui hoc tempore studio iuris naturalis operam dabant, de eo illustrando, in epitomen redigendo, oppugnandoque magis, quam de nouis iuris naturalis systematibus, solliciti fuerint. Quum itaque nunc iurisprudentia naturalis *in formam artis, licet non systematice, redacta, exstaret, in academiis duce* GROTIO *iuris naturae explicare coeperunt nonnulli earum Professores, veluti in academia Argentoratensi* BOECLERVS, *et in Wittebergensi* ZIEGLERVS, *ast non sine aliorum indignatione.*

§. 31.

§. 31.

Maiora vero mox cepit incrementa naturalis iurisprudentia, postquam SAMVEL PVFFENDORFIVS ad eius culturam accessit. Prodibant a. 1660. Lugduni Batauorum eius *Elementa iurisprudentiae naturalis methodo mathematica.* Sequebatur 1672. maius opus de *iure naturae et gentium*, quod in compendium misit 1673. titulo inscripto: *de officio hominis et ciuis.* Licet vero PVFFENDORFIVS vestigia GROTII in multis presserit, pro felicissimo tamen iurisprudentiae naturalis reformatore habendus. Scholasticorum barbariem enim, quae nondum plane extirpata erat, extirpavit funditus et licet non fuerit primus, qui in formam artis redegit hanc disciplinam, nec dici possit perfectam systematicam formam artis ei dedisse, *propius tamen ad systematicam artis formam accedit ea, quam dedit* PVFFENDORFIVS *iurisprudentiae naturali.* Nunc itaque duo aderant iuris naturalis *lumina*, GROTIVS et PVFFENDORFIVS, aliisque eruditis, quibus curae cordique erat iurisprudentiae naturalis cultura, vel cum GROTIO, vel PVFFENDORFIO res erat, cum hic illum ita non superauerit vt GROTIVM plane neglexerint eruditi. In *academiis*, in quibus nunc iuris naturalis studium maiori, ac antea, feruore excolebatur, vel GROTIO, vel PVFFENDORFIO duce, docebatur ius naturae. Non deerant et nunc GROTII *commentatores* et *compendiatores.* Prodibant nunc magis magisque *scripta de singulis argumentis* iurisprudentiae naturalis. Ast multae

tae etiam ortae sunt *controuersiae*, praesertim cum PVFFENDORFIO ipso, vt et inter eos, qui vel a GROTII, vel a PVFFENDORFII partibus stabant.

§. 32.

Inter has turbas inclaruit CHRISTIANVS THOMASIVS, qui licet a PVFFENDORFIO non ita alienus, tamen magis eclecticum agebat, optime caeteroquin de hac disciplina meritus suis scriptis iuris naturalis, inter quae praecipua sunt *Institutiones iurisprudentiae diuinae* quae Franc. et Lipsiae 1688. 4. prodierunt, et *Fundamenta iuris naturae et gentium* Halae et Lipsiae 1705. in lucem emissa. Eodem tempore etiam HENRICVS A COCCEII, per varia scripta de naturali iurisprudentia edita, et suas in ius naturae praelectiones, insigniter promouit huius disciplinae culturam. Nec desunt alii qui a fine Sec. praecedentis, vsque ad WOLFII tempora de ea optime sunt meriti, quos hic nominare, quidque praestiterint, recensere, praesens institutum non permittit. Licet vero inter hos omnes THOMASIVS principatum teneat, et multi eius vestigia presserint, plerique tamen eadem, qua THOMASIVS, vsi sunt philosophandi libertate. Nemo horum etiam *perfectam systematicam artis formam, qua adhuc destituta erat iurisprudentia naturalis, ei dedit*, nec cogitarunt eruditi de extendendis huius disciplinae *limitibus*, sed potius in antiquis controuersiis enucleandis potissimum operam et industriam suam collocarunt, huius aeui iuris naturalis periti.

§. 33.

Quum nunc vir ad philosophandum et natus et factus, immortale orbis literari decus, CHRISTIANVS WOLFIVS, Halae circa a. 1713 arduum opus reformationis vniuersae philosophiae aggrederetur, et praesertim de philosophiae practicae emendatione sollicitus erat, iecit is magis solida iurisprudentiae naturalis fundamenta in libello qui sub titulo: *Vernünftige Gedancken von der Menschen Thun und Lassen* Halae 1720. prodiit. Fundamentis his iterum structis superstruxit simul in maiori opere de iure naturae, quod ab a. 1740. vsque ad. a. 1748. in octo tomis in 4to prodiit, quibus 1749 accessit *ius gentium*, *perfectum omnibusque numeris absolutum systema iurisprudentiae naturalis veri nominis*, quod in compendium redactum sistunt *Institutiones iuris et gentium*, quae Halae 1750. exceperunt magnum hoc opus. Quae adhuc deerat iurisprudentiae naturali forma perfecte systematica nunc itaque per WOLFIVM ei data, qui praeterea fines huius disciplinae inligniter dilatauit. Prout vero WOLFIVS sua philosophandi ratione effecit philosophiae studium inligniter creuisse: ita et ab eo iam tempore, quo prima tantum iuris naturae fundamenta iecerat, insignia cepit iurisprudentia naturalis incrementa. Primus eorum qui secundum Wolfiana principia vberius exposuit iuris naturalis fundamenta, fuit HENRICVS KOHLERVS in *Exercitationibus iuris naturalis eiusque imprimis externi* Ienae 1729. editis, vt alios

alios taceam, qui itidem, aut vniuersam iurisprudentiam naturalem, aut hanc vel illam eius partem, veluti *ius gentium*, cuius elementa dedit L. B. AB ICKSTATT Wirceburgi 1740; *ius feudale naturale*, cuius specimen insigne luci publicae exposuit REINERVS ENGELHARDVS 1742, qui et *iuris militaris naturalis specimen* 1744, nec non 1756 *Versuch eines allgemeinen peinlichen Rechts* edidit, secundum methodum et principia WOLFII exposuerunt. Non defuerunt tamen iam ab eo tempore, quo WOLFIVS sua magis sobria philosophandi ratione inclaruit, nec desunt adhuc, qui, aut plane neglectis huius Philosophi principiis eiusque philosophandi ratione, aut minimum multis eius principiis reiectis aliisque adsumtis, scripta iuris naturalis ediderunt. Immo, quod mirandum, sunt qui WOLFII in hanc eruditionis partem merita extenuare, ne dicam plane obscurare, studeant, sicque, cum a fruge ad glandes reuertantur, portentosa systemata iuris naturae protrudunt.

TIT. III.

NOTITIA SCRIPTORVM IVRIS NATVRALIS.

GEORG. ANDR. VINHOLD *Notitia scriptorum iuris naturae quorundam elogiis condecorata* Lipf. 1721. 8.

Bibliotheca iuris imperantium quadripartita Nor. 1727. 4.

CHRIST. FRID. MEISTERI *bibliotheca iuris naturae et gentium* P. I. Goett. 1749. P. II. ibid. 1757. P. III. ibid. eod.

AD. FRID. GLAVEY *bibliotheca iuris naturae et gentium*, quae annexa eius *Vollstandigen Geschichte des Rechts der Vernunft*.

§. 34.

Notitia scriptorum iuris naturalis, quae versatur circa scripta quae veritates ad iurisprudentiam naturalem pertinentes continent, recensione eorum secundum certas classes absoluitur. Sunt vero scripta huius generis 1) *systemata* seu *syntagmata* (§. 147. *Prael. erud. vniu.*) 2) *compendia* (§. 149. *l. c.*); 3) *scripta de singulis argumentis iuris naturalis* (§. 151. *l. c.*).

§. 35.

Ad primam classem pertinent:

HVGONIS GROTII *de iure belli et pacis libri tres*. Varias editiones et versiones huius operis recenset VINHOLT *l. c. p. 21.* inter quas optima est quae ex recensione et cum notulis IOANNIS BARBEYRACII Amstel. 1720. et 1735. 8. mai. Tom. II. prodiit. Exstant in hoc opus Grotianum

I) TABVLAE, inter quas optimae sunt quae IAC. THOMASIO auctore prodierunt Lipf. 1670. f. sub titulo: *Specimen tabularum in Hug. Grotium de iure B. et P.*

II) COMPENDIA, veluti IO. GEORGII KVLPISII *Collegium Grotianum super iure belli et pacis* a. 1682. in academia Giessensi XV. exercitationibus primum institutum. Prima editio prodiit Francof. 1682. 4. Nouissima ibidem 1722. 4. IOH. SCHEFFERI *Hugo Grotius de iure*

iure B. et P. enucleatus succinctis thesibus doctrinam Grotianam complectens Stett. 1693. 12. Prodiit etiam ex editione SCHWARZII Alt. 1718. 8.

III) COMMENTARII, quorum auctores

a) vel id egerunt tantum, vt textum GROTII interpretarentur, et genuinum eius sensum eruerent, veluti IO. FRID. GRONOVIVS in *notis in Hugonis Grotii libros tres de Iure B. et P.* Hag. Com. 1680.

b) vel id, vt GROTIVM magis illustrarent, veluti IO. BOECLERVS *in H. Grotii de iure B. et P. L. I. et Cap. VII. L. II. Tub. 1661. 8.* Arg. 1663. Giss. 1687. et cum praefatione IOH. SCHILTERI Arg. 1704.

c) vel id, vt GROTII doctrinas a philosophia scholastica aut receptа ecclesiae doctrina dissentientes refellerent, veluti IO. A FELDEN *in Annotatis in H. Grotii libros de iure B. et P.* Amst. 1653. et 1653. 12. nec non Ienae 1663. 12. IO. AD. OSIANDER *in Observ. maximam partem theologicis in H. Grotii Libros tres de iure B. et P.* Tubing. 1670. 1671. 1675. 1696. 1711. 8.

d) vel id, vt GROTII doctrinas cum gentilis iuris naturae et gentium principiis conferrent, veluti CASPAR ZIEGLER in *notis in Grotium de iure B. et P.* Witt. 1666. 8. 1669. 8. Francof. et Lipf. 1686. 8. Witt. 1696. 8. Argent. 1706. 8. SAM. L. B. A COCCEII in *Grotio illustrato* Tom. I.

Wratisl. 1744. Tom. II. ibid. 1746. Tom. III. ibid. 1748. fol. 10 GOTTL. HEINECCIVS in *Praelectionibus academicis in Grotii de I. B. et P. libros III.* Ber. 1744. 8. GEORG. GOTHOFR. KEVFEL *in Exercitationibus Grotianis*, Guelpherbyti 1762. 4.

SAMVELIS PVFFENDORFII *de iure naturae et gentium* Libri VIII. Prima editio prodiit Lundini Scanorum 1672. 4. Vltimam et optimam curauit GOTTFRIEDVS MASCOVIVS adiectis suis animaduersionibus, et commentariis HERTII et BARBEYRACII Franc et Lipſ. 1744. 4. Tom. II.

CHRISTIANI THOMASII *Institutionum iurisprudentiae diuinae libri tres.* Prima editio prodiit Lipsiae 1688. 4. et postquam saepius recusae hae institutiones essent, sexta editio 1714. 4 prodiit. His institutionibus vero iungenda sunt EIVSDEM *fundamenta iuris naturae et gentium* Halae 1605. 4 vt et 1708. nec non 1718. edita.

ADAM FRIDER. GLAFEY *Vernunft und Völcker-Recht.* Francf. und Leipz. 1723. 1732. 1746. 4.

CHRISTIANI WOLFII *Ius naturae methodo scientifica pertractatum.* 4. P. I. 1740. II. 1741. III. 1743. IV. 1744 V. 1745. VI. 1746. VII. 1747. VIII. et vlt. 1748.

§. 36.

§. 36.

Secunda classis scriptorum iuris naturalis sistit compendia, quorum ad hunc vsque diem ingens copia prodiit. Sunt ex iis praecipua:

SAM. PVFFENDORFII *de officio hominis et ciuis Libri II.* Lundini Scanorum 1673. Huius libelli extant versiones in linguam gallicam, auctore BARBEYRAC 1707. et in linguam germanicam. In tabellas est redactus per FRIDER. IASTERVM 1713. sub titulo: *Delineatio libri Pufendorffii de officio hominis et ciuis.* Notas et obseruationes etiam varii in eum ediderunt, veluti TITIVS 1703. WEBERVS 1709. TREVER 1717. aliique.

MICH. HENR. GRIESNERI *principiorum iurisprudentiae naturalis libri IV.* Witt. 1710. 4. et 1717. 1723. auctior 1727 et 1733. 8.

HENR. KOELERI *Iuris naturalis eiusque cum primis cogentis methodo systematica propositi exercitationes VII.* Ien. 1729. quae est editio prima, quam variae aliae sunt sequutae. Vt et EIVSDEM *Iuris socialis et gentium ad ius naturae reuocati spec. VII.* Ien. 1736.

IOACH. GEORG. DARIES *Institutiones iurisprudentiae uniuersalis.* Ien. 1740. 8. ibidem saepius recusae. Ad eas commentatus est 10. ERNST GVNNERVS *in den vollständigen Erläuterungen und Anmerckungen uber das Natur- und Völckerrecht des Herrn Hofrath Daries.* Francf. et Lipſ. 1748. 8.

10.

IO. GOTTL. HEINECCII *Elementa iuris naturae et gentium* Hal. 1738. 8. et 1742. ibidem. In anglicum idioma translata sunt haec elementa a TVRNBVLLIO LL. D. Lond. 1742.

IO. IVSTIN. SCHIRSCHMIDII *Elementa iuris naturalis socialis et gentium.* Ien. 1742. 8.

HERM. FRID. KAHRELS *Recht der Natur, worinnen nicht allein die Gründe zur Sittenlehre und Staatskunst geleget, sondern auch die Quellen aller bürgerlichen Rechte zum Nutzen des menschlichen Lebens geöfnet werden.* Francf. am M. 1746. 8.

IO. CHRIST. CLAPROTHS *Grundris des Rechts der Natur.* Gött 1749. 8.

CHRIST. WOLFII *Institutiones iuris naturae et gentium* Halae 1750. 8. rec. ibidem 1754. Prodiit etiam versio earum germanica 1754.

GOTTF. ACHENWALL *Ius naturae.* Editio quinta prodiit Goettingae 1763.

J. L. BVRLEMAQVI *Principes du droit naturel.* Geneve 1747. 4. et 1748. 8.

DE VILLAT *Droit de la nature et des Gens,* Londres 1758. 4.

§. 37.

Tertiae classis scripta sunt ea quae de singulis argumentis iuris naturae agunt. Horum alia plura argumenta simul tractant, alia vero de vno argumento sunt conscripta. Posterioris generis scripta in ipsa tractatione sunt recensenda. Prioris generis vero sunt. e. g.

IO.

IO. FRANC. BVDDEI *selecta iuris naturae et gentium* Halae 1704. et 1717. 8.

IOACH. GEORG. DARIES *Observationes iuris naturalis socialis et gentium* Vol. I. Ien. 1751. Vol. II. ibid. 1754.

CHRIST. GOTTL. SCHWARZ *sylloge problematum iuris naturae et gentium.* Alt. 1738. 4.

PARS III.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS GENERALIS.

§. 38.

Iurisprudentia naturalis generalis, quae constituit tertiam partem huius introductionis (§. 3.), complectitur eas veritates naturales, quae vel continent principia philosophiae practicae vniuersalis hic praemittenda, vel, licet sint veritates ad iurisprudentiam naturalem pertinentes, ob suam generalitatem tamen ad vnam alteramue partem iurisprudentiae naturalis (§. 11. seqq.) praecise referri nequeunt.

§. 39.

Hae veritates vtriusque generis vero potissimum in eo differunt, quod aliae societates in genere concernant, aliae non. Indeque eas quae sunt posterioris generis comprehendo sub *iurisprudentiae naturalis generalis stricte sic dictae*, quae vero prioris generis sunt, sub *iurisprudentiae naturalis generalis socialis* nomine.

LIBER

LIBER I.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS GENERALIS STRICTE SIC DICTA.

§. 40.

Quae hanc partem iurisprudentiae naturalis generalis conſtituunt veritates, commode reduci poſſunt ad haec ſumma capita. Agendum nimirum hic de *perſonis, factis et rebus*; de *legibus naturalibus et actibus iuridicis*; de *obligationibus naturalibus modisque eas conſtituendi et tollendi*; de *iuribus naturalibus modisque ea acquirendi, conſervandi et amittendi*; de *poſſeſſionis acquiſitione, conſervatione et amiſſione*; et tandem de *remediis iuris noſtrum contra obligatum perſequendi.*

SECTIO I.

DE

PERSONIS, FACTIS ET REBVS.

§. 41.

Quae in hac ſectione dicenda redeunt ad tria ſumma capita, prout ex ipſa inſcriptione patet. Vnde nunc de iis ſigillatim agendum.

MEMBRVM I.

DE PERSONIS.

§. 42.

De perſonis hic tradenda partim *ipſas perſonas*, partim *earum actiones* concernunt, indeque hae doctrinae per varios titulos digerendae.

TIT.

TIT. I.

DE

PERSONIS EARVMQVE ACTIONIBVS IN GENERE.

§. 43.

Perſona in ſenſu generali idem eſt ac homo. *In ſenſu ſpeciali* vero ſub *perſonae* nomine venit, homo conſideratus cum certo ſtatu. *Status* autem hoc loco eſt qualitas, ſecundum quam homines diuerſis iuribus et obligationibus vtuntur.

§. 44.

Vnus homo plures perſonas ſuſtinere dicitur, ſi diuerſos habet ſtatus; quod cum poſſibile ſit, *cum hominem plures perſonas ſuſtinere poſſe, et, ſi actu ſuſtinet plures perſonas, videndum eſſe in qua perſona agat*, dubio caret.

§. 45.

Perſonae in ſenſu ſpeciali ſumtae differunt pro *ſtatuum diuerſitate*, ſuntque tot earum ſpecies, quot ſunt ſtatus diuerſi. Perſonae in ſenſu generali ſumtae vero, ſunt vel *perſonae phyſicae* ſeu *ſingulares*, vel *perſonae morales*, quae etiam *compoſitae*, vt et *myſticae*, appellantur. Dicitur autem *phyſica perſona*, ſi eſt individuum humanum, *moralis* vero, ſi quidem vnum individuum humanum non eſt, aſt tamen pro vno habetur. Vt itaque *plura individua humana ſimul ſumta moralem perſonam conſtituant.*

§. 45.

§. 46.

Quoties plurium individuorum humanorum intellectus, voluntates et vires tendunt ad idem, toties, quoad hoc idem, pro vno habenda, sicque sunt persona moralis. Tum enim eorum intellectus, voluntates et vires sunt vt vnus intellectus, vna voluntas, et vna vis, sicque ab vno homine non nisi in corporum numero differunt, quae differentia hic non est attendenda (§. praec.)

§. 47.

Persona moralis proprie quidem nec nascitur, nec moritur; ast tamen instar natiuitatis est, si plurium individuorum humanorum connectionem ad idem obtinendum existere incipit, et instar mortis est, si per dissolutionem huius coniunctionis existere desinit. Vi definitionis (§. 45.).

§. 48.

Persona moralis eadem manet licet singula individua mutentur, nec ideo existere desinit quod iam actu aut nullum, aut non nisi vnicum adsit individuum, modo, ipso fine consociationis non sublato, adhuc spes adsit fore vt alia individua deficientium locum subeant. Essentia personae moralis enim consistit in individuorum consociatione, et, si adhuc vnum supereſt individuum, id repraesentat reliqua, si vero nullum actu adest, quae in spe adsunt individua, pluritatem individuorum constituunt.

§. 49.

§. 49.

Mitto personas morales, quippe quae societates sunt, de quibus infra ex instituto agendum. Physicae personae constituuntur corpore organico et animo rationali variis facultatibus instructa, indeque edere possunt *actiones*, de quibus generalia quaedam, quatenus huc pertinent, praemittenda.

§. 50.

Sunt nimirum hae actiones vel *externae*, quae extra agentem mutationem producunt, seu per quos agens aliquid extra se existentiae dat, vel *internae*, quae tales non sunt. Indeque *externae motu organorum corporis, internae vero sola vi animae producuntur, et externa actio ex actibus facultatis cognoscitiuae, appetitiuae et locomotiuae constat.* Per principia psychologica.

§. 51.

Quum tam internae, quam externae actiones vel positiue, vel negatiue concipi possint, inde oritur actionum in *commissiuas* et *omissiuas* diuisio, et qui alteri actionem siue commissiuam, siue omissiuam edenti non resistit, *pati* dicitur.

TIT. II.

DE CONSENSV ET DISSENSV, NEC NON VTRIVSQVE DECLARATIONE.

§. 52.

Si voluntas huius hominis refertur ad voluntatem alterius hominis, vel idem quod vult hic et alter vult, vel non. In priori casu adest *con-*

ſenſus, et ipſe conſenſus plurium in idem placitum dicitur *conſentio*; in poſteriori caſu vero adeſt *diſſenſus*.

§. 53.

Vt conſtet de voluntate ſeu nolumtate, ſicque etiam conſenſu et diſſenſu duorum vel plurium, vel eius declarationem factam eſſe neceſſe eſt, vel ex principiis pſychologicis colligitur voluntas ſeu nolumtas et in ſpecie conſenſus ſeu diſſenſus. In priori caſu voluntas ſeu noluntas *vera*, nec non conſenſus ſeu diſſenſus *verus*: in poſteriori caſu vero voluntas ſeu noluntas *praeſumta*, nec non conſenſus ſeu diſſenſus *praeſumtus* dicitur. Vera voluntas ſeu noluntas, nec non verus conſenſus ſeu diſſenſus vero abit in voluntatem et noluntatem, ſeu conſenſum et diſſenſum, *expreſſam* ſeu *expreſſum* et *tacitam* ſeu *tacitum*, prout vel immediate diſertis verbis aliisque ſignis declaratur, vel ex actione quadam eius, de cuius voluntate ſeu noluntate, conſenſu ſeu diſſenſu, quaeritur, colligitur, ſicque mediante ea declaratur.

IOAN. IAC. QVISTORPII libellus *de conſenſu iuris naturalis praeſumto.* Roſt. 1755. 8.

FRID. GEORG. LAVTENSACK *de diſcrimine inter conſenſum expreſſum, tacitum et praeſumtum.* Erfurt. 1710.

§. 54.

Principia generalia, ex quibus conſenſus alicuius praeſumi poteſt, ſunt vel, vt aiunt, aequitas, id eſt, ſi niſi conſentiret conſenſurus contra obligationem

tionem ſuam ageret, vel vtilitas conſenſuri, vel vtrumque ſimul. Per principia pſychologica.

§. 55.

Hinc fluunt ſequentes de conſenſu praeſumto regulae: I) *Quilibet praeſumitur conſentire in id quod ſuam vtilitatem promouet.* II) *Quilibet praeſumitur conſentire in id ad quod obligatus eſt.*

§. 56.

Qui tacet non ſemper tacite conſentit; ſed potius tum demum, qui tacet, conſentit tacite, ſi loqui debuiſſet et potuiſſet. Tum enim nulla alia ſilentii ratio adeſt quam haec, quod conſentiat.

L. B. IO VLR. *de* CRAMER Spec. XII. Vſus Philoſ. Wolf. in iure: *de tacente diſſentiente* in KIVS Opuſc. T. II. p. 669 ſeqq.

HENR. BROCKES *de ſilentio conſenſum tacitum non inferente.* Ien. 1734.

§. 57.

Conſenſus tacitus vltra factum extendi dicitur, quando in id ex facto colligitur, quod vt voluerit faciens, vel non faciens, neceſſe non eſt. Vnde fluit: *conſenſum tacitum vltra factum non eſſe extendendum. Idem valet mutatis mutandis de diſſenſu.*

L. B. IO. VLR. de CRAMER Spec. IX. Vſus Philoſ. Wolf. in iure: *de conſenſu tacito vltra factum non extendendo* in KIVS Opuſc. T. IX p. 694 ſeqq.

§. 58.

Conſenſus veri et praeſumti, expreſſi et taciti, eadem eſt efficacia, id eſt, qui tacite vel praeſumtive

consentit, non minus consentit ac is qui vere consentit; licet consensus verus certior sit consensu praesumto, et expressus certior tacito. Idem valet mutatis mutandis de dissensu. Maior certitudo adest, quoniam verus consensus est declaratus immediate, sicque non colligitur (§. 53.).

§. 59.

Consensus praesumti singularia sunt, quod 1) *locum habeat quoad eos qui physice consentire nequeunt;* 2) *physice dissentienti etiam tribui possit;* 3) *cesset si adest consensus verus.* Primum et secundum inde fluit, quoniam non declaratur (§. 53.), tertium inde, quoniam verus certior est (§. *praec.*).

TIT. III.

DE ACTIONIS AVCTORE, NEC NON SOCIIS ET FAVTORIBVS AGENTIVM.

IAC. LVDOVICI *de duobus circa idem factum concurrentibus.* Halae 1714.

§. 60.

Si actio quaedam edita, is qui ipse eam existentiae dedit, dicitur, si vnus est, *auctor actionis*, si vero plures sunt qui ipsi eam existentiae dederunt, *coauctores actionis* dicuntur. Vnde, *si plures agentes simul et eodem tempore id agunt ipsi, quod requiritur vt data quaedam actio existentiae detur, hi coauctores sunt, licet diuisis inter se ministeriis*

riis actionem existentiae dederint. Ast plures agenter, qui simul et eodem tempore edunt eiusdem generis actiones numero diuersas, non sunt coauctores, sed diuersarum actionum eodem tempore editarum diuersi auctores.

§. 61.

Qui datae cuiusdam actionis auctor non est, /ast tamen ad determinandum actualitatem actionis auctoris aliquid confert, dicitur *socius auctoris.*

§. 62.

Qui nec auctor actionis, nec auctoris socius est, ast tamen actionem quam posset ab existentia non reprimit, aut ea iam existente aliquid confert, vt finis auctoris actionis obtineatur, *actionis fautor* dici potest.

§. 63.

Ex socii definitione patet: 1) *commissuas actiones actionem auctoris actionis antecedentes vel concomitantes, socium aliquem facere si per eas ad determinandum actum vel intellectus, vel voluntatis aut nolintatis, vel facultatis locomotiuae auctoris actionis quidpiam confert agens.*

§. 64.

Nec minus inde patet, 2) *aut per actum quendam intellectus, aut per voluntatem vel nolintatem, si quidem hi actus interni sufficienter alteri significantur, aut per actum quendam facultatis locomotiuae socium talem fieri necesse esse.*

§. 65.

Conſilium dans, hoc eſt, qui ſignificat quid ſibi videatur vt fiat; *ſuadens* vel *diſſuadens*, hoc eſt, qui ſignificat quid fieri velit vel nolit, in alterius tamen arbitrio relinquens quid facere velit; *iubens* vel *vetans*, hoc eſt, qui ſignificat quid fieri velit, vel nolit, in alterius tamen arbitrio non relinquit quid facere velit; *praecipiens* vel *prohibens*, hoc eſt, iubens vel vetans cum ius alterum obligandi habet; *adiuuans* alterum, hoc eſt, qui alterum virium ſuarum participem facit in conſequendo aliquo propoſito, *eſt ſocius actionis quae ſubſequitur*. Omnes hi enim ad determinandum actualitatem actionis aliquid conferunt. Ergo §. 61.

§. 66.

Qui conſentit, tum ſi conſenſus eſt requiſitus; qui laudat, tum ſi laus actionem antecedit; qui dat receptum, tum, ſi ante editam actionem promiſſus eſt, ſocius actionis alienae ſit. Ex eadem ratione.

§. 67.

Actiones commiſſiuae actionem auctoris ſubſequentes, et actiones omiſſiuae, nunquam aliquem ſocium faciunt, ſicque *non prohibens, non obſtans, non manifeſtans ſocii non ſunt actionum quas prohibendo* etc. *ab exiſtentia reprimere potuiſſent; aſt tamen ad ſautores auctoris actionis referri debent.* Per §§. 61. et 62.

§. 68.

Poſita actione per quam quis per actum intellectus ad actionem alterius concurrit, ponitur ſocius,

eius, et nullo modo, ne quidem ante perpetratam actionem, talis eſſe deſinere poteſt, quod ſecus quoad actus voluntatis vel nolutatis, aut etiam facultatis locomotiuae. In priori caſu enim, quod confert ad determinandum actualitatem actionis alterius agens, tolli nequit, in poſteriori vero poteſt Ergo §. 61.

TIT. IV.

DE ACTIONVM LIBERTATE.

§. 69.

Actio agentis cuiuscunque vel producitur per influxum extrinſecum irreſiſtibilem, vel non. In priori caſu actio dicitur *coacta*, in poſteriori vero *ſpontanea*. *Ad ſpontaneas actiones* itaque *tam actiones, quae per principium internum agentis tantum, quam actiones quae ſimul per influxum extrinſecum, aſt non irreſiſtibilem, producuntur* referri debent,

§. 70.

Spontaneae actiones vel tales ſunt, vt oppoſitae actiones ſint phyſice poſſibiles, quae *arbitrariae* ſeu *contingentes*, vel tales, vt oppoſitae ſint phyſice impoſſibiles, quae *neceſſariae* ſeu *naturales* dicuntur.

§ 71.

Quodſi nunc actio quae ſpontanea et arbitraria eſt, edita eſt a tali agente, quod facultate intelligendi, dum egit, praeditum fuit, ea *libera actio* dicitur, et ipſa haec qualitas actionis, quod ſit

1) *ſpontanea*; 2) *arbitraria*; 3) *a tali qui, dum egit, facultate intelligendi praeditus fuit, conſtituit eius libertatem, quae* itaque *ad tria dicta momenta vadit.*

§. 72.

Si quoad ſpontaneitatem accidit actionem ſimul per accedentem influxum extrinſecum, aſt non irreſiſtibilem, produci, ea dicitur *actio inuita.* Hinc patet 1) *magnam inter actionem inuitam et coactam eſſe differentiam* (§. 69.); 2) *licet actio ſit invita, eam nihilominus arbitrariam immo in ſpecie liberam actionem eſſe, etſi maior libertatis gradus inſit actioni liberae, ſi inuita non eſt, quamſi inuita eſt.*

§. 73.

Ad actionem liberam quidem non requiritur eam eſſe deliberatam, quoniam tria libertatis requiſita tamen adeſſe poſſunt (§. 71.): *aſt tamen actio deliberata magis libera eſt quam indeliberata*, propter maiorem facultatis intelligendi vſum.

§. 74.

Actiones brutorum et rerum inanimatarum, licent poſſint eſſe arbitrariae, liberae nunquam ſunt, ob defectum tertii requiſiti libertatis (§. 71.). *Hominum actiones vero* 1) *partim liberae ſunt, partim non liberae quales ſunt eorum actiones coactae et neceſſariae*; 2) *non niſi eorum actiones dicuntur morales ſi liberae ſunt*, cum actiones liberae, quatenus liberae ſunt, *morales* appellentur.

TIT.

TIT. V.

DE

ACTIONVM MORALITATE.

CHRIST. GOTTHOLDI SEYDLITZ Tr. philoſ. *de moralitate actionum liberarum tam obiectiua quam ſubiectiua.* Hafniae 1765. 8.

§. 75.

Actiones habent ſua conſectaria, quae vel nos ſtatumque noſtrum externum reddunt perfectiorem, et tum dicuntur *bonae*, vel imperfectiorem, et tum *malae* dicuntur. Hinc fluit: *actionum conſectaria efficere eas vel bonas, vel malas eſſe.*

§. 76.

Bonitas et prauitas actionum eſt vel *intrinſeca*, quae etiam *obiectiua* ſeu *naturalis* dici ſolet, vel *extrinſeca*, quae etiam *ſubiectiua* ſeu *poſitiua* dici ſolet, prout eas bonas ſeu malas eſſe vel ex natura earum venit, ſicque per ſe tales ſunt, vel ex voluntate alicuius.

§. 77.

Omnes actiones agentis bonitatem ſeu prauitatem intrinſecam habent, ſicque indifferentes actiones, id eſt, quae nec bonae nec malae ſunt, non dantur, niſi in abſtracto conſiderentur. Actiones enim ex ipſa ſua natura, vel perfectionem, vel imperfectionem agentis ponere, neceſſe eſt. Ergo §. praec.

§. 78.

Actio libera, quae bona eſt, dicitur *moraliter* bona, et quae mala eſt, *moraliter* mala (§. 74.).

Vnde *moralitas actionis* est ipsa liberae actionis bonitas vel prauitas, et abit in *moralem bonitatem* et *prauitatem*, vtraque vero est vel *intrinseca* siue *obiectiua*, quae etiam *naturalis* dici potest, vel *extrinseca* seu *subiectiua*, quae etiam *positiua* dici potest, prout bonitas seu prauitas, vel intrinseca, vel extrinseca est (§. 76.).

§. 79.

Intrinseca seu naturalis actionum moralitas, quippe quae venit ex natura agentis et actionis, non ex impositione per voluntatem alicuius facta, est vel *moralitas absolute naturalis*, si in natura in se et absolute spectata habet rationem, vel *hypothetice seu respective naturalis*, si in natura sub certis circumstantiis spectata habet rationem.

§. 80.

Etsi quaelibet actio libera iam habeat moralitatem intrinsecam, datur tamen moralitas extrinseca, ita vt duplex haec moralitas, quoad principium cognoscendi quidem semper differat, ast et in se spectata diuersa esse possit. Per §. 76.

§. 81.

Quoties actiones liberae per easdem rationes finales determinantur per quas determinantur naturales, ad perfectionem nostram tendunt, sicque *moraliter bonae sunt: quoties vero per diuersas determinantur, ad imperfectionem nostram tendunt*, sicque *moraliter malae sunt*. Vi definitionum perfectionis et imperfectionis et §. 75.

TIT.

TIT. VI.

DE ACTIONVM RECTITVDINE VT ET DE DECORO.

§. 82.

Actio humana dicitur *recta*, quae nulli determinationi hominis essentiali, vel hinc pendenti attributo, contradicit: cui si contradicit, dicitur *minus recta*. Ipsa conuenientia actionis vero cum omnibus determinationibus hominis essentialibus dicitur *rectitudo actionis humanae:* prout disconvenientia cum iis dicitur *defectus rectitudinis actionis.*

§. 83.

Ad actionis liberae rectitudinem requiritur ex parte I) intellectus 1) *notio actionis sufficienter determinata*, qualis est ea, quae continet eas determinationes ex quibus demonstrari potest, vtrum bona sit an mala, et 2) *iudicium verum de bonitate et prauitate actionis;* II) voluntatis vel nolutatis 1) *vt actio, in quam voluntas fertur, et a qua nolutas abhorret, sit bona vel mala, et vt* 2) *per ipsam illam bonitatem vel prauitatem voluntas vel nolutas determinetur;* III) facultatis locomotiuae, 1) *vt actus huius facultatis ad actionem externam requisiti promte et* 2) *sui ob quem a natura hac facultate instructi sumus conuenienter producantur. Quodsi vero horum requisitorum vnum vel alterum in actione desideratur, adest defectus rectitudinis actionis.* Per principia psychologica et definitionem rectitudinis actionum (§. 82.).

§. 84.

§. 84.

Defectus rectitudinis actionis duplex est, vel *vincibilis*, si per vsum facultatum nostrarum euitari potuisset, vel *inuincibilis*, si non.

§. 85.

Impotentia vtendi facultatibus nostris est independentia vsus earum a voluntate nostra; hinc *defectus rectitudinis actionis vincibilis potentiam vtendi facultatibus nostris praesupponit, estque omnis defectus, qui venit ex impotentia vtendi, inuincibilis.*

§. 86.

Ab actione recta differt actio decora, et a minus recta indecora. Decorum enim stricte et pro *arbitrarie decoro* sumtum, respicit hominis conditionem externam in qua viuit, et in eo quod hominis actiones, conditioni eius externae, in qua viuit, conueniant, id est, secundum consuetudinem aliorum, qui in eadem conditione externa viuunt, dirigantur, consistit. Vnde per se patet, quid sit *indecorum* in hoc sensu sumtum, nec non quae actio *decora*, quae vero *indecora* dicenda.

§. 87.

Decorum in hoc sensu sumtum est vel *rationale*, vel *irrationale*. Si enim, quod decorum requirit, naturali bonitati actionum non est contrarium, dicitur decorum rationale, si vero ei contrarium est, decorum irrationale.

IVD. MART. KAHLII Diss. philos. *de decoro.* Halae 1735.

FRID. GENTZKENIVS *De principiis decori.* Kil. 1706.

TIT.

TIT. VII.

DE ACTIONVM IMPVTATIONE.

HENR. LVDOV. WERNHER Diss. *de fundamento imputationis actionum moralium.* Lips. 1703.

NIC. HIER. GVNDLINGII Obsern. *von der Imputation und Zurechnung.* In Gundlingianis P. 36. p. 56.

§. 88.

Causa quae libere agit, dicitur *causa libera*. Iudicium vero, quo causa libera declaratur agens actionis, vel eius quod ex ea sequitur, siue boni, siue mali, *imputatio* appellatur.

§. 89.

In imputatione ergo *duo actus a se inuicem distinguendi sunt, scilicet quo quis causa libera declaratur* 1) *actionis ipsius in se consideratae;* 2) *boni malique quod ex ea sequitur.* Sunt qui priorem *imputationem facti*, posteriorem *imputationem iuris* appellant.

§. 90.

Ex dictis porro patet, *quod imputationis obiectum sint liberae actiones, subiectum vero homines qui libere egerunt, quibus non solum actiones propriae, sed et actiones agentium ab ipsis diuersorum, vel hominum, vel brutorum, vel rerum inanimatarum, quatenus causae liberae earum sunt, imputantur.* Vnde imputatio diuiditur in imputationem *actionis propriae* seu *facti proprii*, et imputationem *actionis alienae* seu *facti alieni.* Posterior impu-

imputatio eſt actionum vel *hominum*, vel *brutorum*, vel *rerum inanimatarum* imputatio.

§. 91.

Ad imputationis obiectum ergo *pertinent ſpeciatim* 1) *decretum*, quod eſt determinatio voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum; 2) *propoſitum*, quod eſt actus voluntatis quo determinatur editio illarum actionum, quas committere decreuimus; 3) *intentio*, quae eſt volitio, qua volumus vt fiat, vel non fiat, propter quod agimus, *ita vt perinde ſit, ſiue intentio ſit directa*, qua id praeciſe intendimus propter quod agimus, *ſiue indirecta*, qua quidem agens per ſe non vult, quod ex actione ſequitur, quod autem perinde, ac id quod vult, ex eadem ſequi poteſt; *ſiue immediata*, qua quid propter ſe intenditur, *ſiue mediata*, qua quid intenditur propter alterum, quatenus ſcilicet per hoc conſequimur, quod intenditur. *Ad illud vero referri nequeunt actiones coactae.* (§. 69.).

§. 92.

Fluit porro ex §. 90. *ſubiectum imputationis, quoad imputationem facti proprii, non eſſe* 1) *bruta*; 2) *res inanimatas*; 3) *homines qui rationis vſu ſunt deſtituti, ſi non conſilii, ratiocinatione laeſa, aut nulla inculpabili libertate agunt, aut defectum rectitudinis actionis quidem, aſt inuincibilem, in agendo commiſerunt.*

CHRIST. WILH. LOEBERI Diſſ. *de imputatione actionum ex ebrietate ſtacitum.* Ien. 1714.

§. 92.

§. 93.

E contra ex §. 90. non minus patet, *quod ſubiectum imputationis, quoad imputationem facti alieni, ſint* 1) *quilibet ſocius auctoris actionis*; 2) *non prohibens, non reſiſtens, non manifeſtans, ſi quidem non prohibens facultate phyſica et morali prohibendi non fuit deſtitutus; non obſtans obſtare potuit et debuit; non manifeſtans manifeſtare potuit tali, cui facultas erat actionem impediendi*; 3) *qui vi externa alterum ad agendum impellit.*

§. 94.

Inde, quod factum alienum alicui imputari poſſit, nondum ſequitur illud ipſi auctori imputari poſſe; ſed potius nonnunquam vtrique, tamen alteri, quam alteri, nonnunquam vero non niſi alteri imputari poteſt. Inde enim quod adſit cui auctoris actio imputari poteſt, nondum ſequitur auctorem non eſſe cauſam liberam etc. licet nonnunquam ſequatur, veluti in caſu n. 3. §. praeced.

SAMVEL. STRYK Diſſ. *de imputatione facti alieni* Francf. 1688.

IAC. CARPOV *de imputatione facti proprii et alieni.* Ien. 1736. 8.

§. 95.

Quantitas imputationis dependet a gradu libertatis in qua agens conſtitutus fuit dum egit. Imputatur enim actio quatenus libera eſt (§. 88.). *Quo magis libera* itaque *eſt actio eo magis imputatur.*

§. 96.

Hinc fluit: 1) *actiones deliberatas magis imputari ac indeliberatas, et quo magis deliberatae ſint,*

sunt, eo magis imputari (§. 73.); 2) *actiones ex intentione directa commissas magis imputari, quam actiones ex indirecta intentione commissas* (§. 91.); 3) *actiones liberas non inuitas magis imputari, quam actiones inuitas* (§. 72.); 4) *quo plura agenti fuerunt motiua agendi, eo magis ei imputari quod non egerit: et vicissim quo plura agenti fuerunt motiua non agendi, eo magis imputari quod egerit.*

§. 97.

Nec minus inde patet; *quod, si actio tam auctori quam alteri imputari potest, nox magis auctori, nox magis alteri imputetur, prout, pro circumstantiarum diuersitate, vel auctor, vel alter, magis pro causa libera haberi potest.*

MEMBRVM II.

DE FACTIS.

§. 98.

Quae de factis hic monenda, sigillatim ad factum in se spectatum, eius circumstantias, et quae eo faciunt vt de facto eiusque circumstantiis constet, sicque doctrinam de probationibus et praesumtionibus, quatenus huc pertinet, redeunt.

TIT. I.
DE
FACTO IN SE SPECTATO.

§. 99.

Actio cuiuscunque agentis potest duplici modo considerari, vel in *abstracto*, vel in *concreto*. Quodli itaque actio in concreto consideratur, eaque talis

talis est, qua aliquid extra ens agens existentiae datur, ea dicitur in genere *factum*. Si nunc id tantum ponis, quo vnum factum ab alio secundum suas determinationes essentiales distinguitur, habes *factum in se consideratum*, de quo hic agendum

§. 100.

Factum est I) vel factum *hominis*, quod etiam stricte factum appellari soler, vel factum *agentis ab homine diuersi*, et hominis factum vel *physicum*, vel *morale* est, prout actio hominis externa factum constituens, vel libera non est, vel libera est.

§. 101.

A factis hominum differunt eorum *cogitationes*, quo nomine hic veniunt actiones internae facti editionem antecedentes. Species eorum vero sunt *praestationes*, quo nomine veniunt in relatione ad alios qui ea possunt a nobis exigere, eaeque vel tales sunt quae *in faciendo*, vel tales quae in *dando* consistunt, prout transferendo quod nostrum est in alium, aut restituendo quod alterius est, vel non fiunt, vel fiunt. Praestationes in faciendo consistentes praeterea tum, si sunt labor corporis, speciale nomen habent, et *operae* dicuntur.

§. 102.

Factum porro II) vel *casuale* seu *casus fortuitus* est, vel *non*. Dicitur vero factum vel contemplatione *causae efficientis facti*, vel contemplatione *eius quem factum tangit*, casuale. In priori con-

contemplatione omne factum *casuale* dicitur, quod per liberam actionem non producitur, vel, licet liberum factum agendis sit, is tamen dum agit, nec scit, nec intendit, per factum suum existentiae dari, quod per illud existentiae datur. Quodsi nunc libere agens nec antecedenter scire potuit per actionem suam existentiae dari posse, quod per eam existentiae datum est, casus dicitur *merus*, si vero hoc potuisset scire, si debitam rectitudinem actionum in agendo obseruasset, casus dicitur *mixtus*. In posteriori contemplatione vero, sicque *in contemplatione eius quem factum tangit*, id tum dicitur *casuale*, si existentiae dari, quod existentiae datur, dum factum producitur ab eo quem tangit praecaueri non potuit. Quodsi nunc nec per antecedentes actiones hoc ab eo, quem casus tangit, praecaueri potuit, casus et in hac contemplatione dicitur *merus*, si vero adhibita debita actionum rectitudine praecaueri potuisset, *mixtus*. Alt factum *non casuale* quod casuali opponitur, est omne factum libere agentis, quod factum casuale non est, et dicitur *dolosum* seu *dolus*, si agens sciuit et voluit existentiae dari quod per suum factum existentiae datur, *culposum* seu *culpa* vero si hoc nec sciuit, nec voluit, scire tamen potuisset, si debitam in agendo rectitudinem obseruasset. Vnde patet 1) *factum quod contemplatione causae efficientis est casuale, posse, contemplatione eius quem tangit, vel itidem casuale; vel culpa propria esse;* 2) *factum quod contemplatione causae efficientis dolus vel culpa est, posse contemplatione eius quem factum*

factum tangit, vel culpa propria esse, vel casus fortuitus.

§. 103.

Merus casus nemini imputari potest. Per §. 90. *Alt dolus tam quam culpa imputantur, licet quantitas imputationis differat in eo, quod dolus magis imputetur quam culpa, et tam quoad dolum, quam quoad culpam, iterum gradium doli et culpae in imputatione ratio habenda.* Per §. 95. *In ipsis gradibus doli et culpae aestimandis vero ad fundamenta quantitatis imputationis* (§. 96.) *respiciendum, et quidem in dolo potissimum intentionis diuersitas, in culpa vero, cuius partis facultatis cognoscitiuae vsus, ad rectitudinem actionis necessarius, ab eo qui culpam commisit neglectus, attendi debet.*

TIT. II.

DE CIRCVMSTANTIIS FACTI.

§. 104.

Sub *circumstantiae facti* nomine venit, quicquid facti in se spectati pars non est, alt tamen vel proxime in eius actualitatem, vel in eius moralitatem influit.

§. 105.

Hinc patet: 1) *circumstantiarum complexum non constituere factum, sed potius inter factum in se spectatum et eius circumstantias distinguendum esse;* 2) *minimam circumstantiam variare factum; non*

nisi eo sensu verum esse, quod minimam circumstantiam respicere debeat, qui de facti moralitate iudicare vult, indeque potius dicendum esse: *minima circumstantia variat ius.*

§. 106.

Circumstantiae sunt varii generis, nimirum vel *personarum*, vel *rerum*, vel *loci*, vel *temporis* circumstantiae: prout a personis, agente scilicet et aliis, rebus, loco vel tempore dependent.

§. 107.

Causa seu *Casus* (*ein Vorfall*) hic dicitur certus rerum status cuius occasione aliquid definiendum. Quatenus itaque factum cum suis circumstantiis in hoc respectu consideratur, causa est, et id quod definiendum est dicitur *punctus definiendus*, qui intuitu vnius eiusdemque causae mox hic, mox alius, esse potest.

§. 108.

Facti esse seu *in facto consistere* dicitur factum in se spectatum, et quicquid praeterea de ente praedicatur, hoc est, quicquid fit vel est. Vnde 1) *factum in se spectatum*; 2) *quaelibet facti circumstantia*, et 3) *de quo quod sit dicitur, ad ea quae facti sunt referri debent.*

TIT. III.
DE PROBATIONIBVS ET PRAESVMTIONIBVS.

§. 109.

Probatio est actus quo euincitur veritas eius quod facti est.

§. 110.

§. 110.

Praesumtio est assertio eius quod facti est ob probabilitatem, hoc est, ideo quoniam adsunt quaedam, ast tamen insufficientia, requisita ad veritatem.

§. 111.

Praesumtioni opponitur veritas certa, et dividi potest in *absolutam*, si adest absque praecuia probatione, et *hypotheticam*, si demum ex praecuia quadam probatione oritur.

§. 112.

Probatio dicitur *inartificialis*, si in id ipsum quod probandum dirigitur, *artificialis* vero, si dirigitur in aliud quid, ex quo probabile fit id ipsum, quod probandum. Vnde patet: *probatione inartificiali peracta vel adesse veritatem certam, vel tantum praesumtionem hypotheticam, vel plane nihil probatum esse. Probatione artificiali vero absoluta, vel nihil probatum esse, vel saltem ex hac probatione oriri praesumtionem hypotheticam.*

§. 113.

Probatio fit per media probandi quae sunt, vel *confessio eius contra quem allegatur quod facti est*, vel *non*, veluti testimonia fide digna; sique, probatione peracta, adest veritas certa, is contra quem probatum dicitur *confessus*, quando probatio per confessionem siue plane liberam, siue inuitam, facta, *convictus* vero, quando per aliud probendi medium, praeter confessionem, facta.

§. 114.

Caeterum *regulas*:

1) *Probanda non sunt quae probata non relevant.*
2) *Praesumtio* (scilicet absoluta) *liberat ab onere probandi.*
3) *Quae facti sunt non praesumuntur* (nimirum secundum praesumtionem absolutam) *sed probanda sunt.*
4) *Notorietas liberat ab onere probandi.*
5) *Omnis praesumtio admittit probationem in contrarium.*

iuris naturalis esse, ex principiis logicis de veritate logica et principio iuris naturae §. 19. per se patet.

MEMBRVM III.

DE REBVS.

§. 115.

Doctrinam de personis et factis excipit breuis de rebus doctrina (§. 41.). Cum vero hic de rebus, quatenus sunt iuridicae considerationis, agendum, praemissis iis quae de *rebus earumque causa* in genere dicenda, tam de earum *substantia et usu* et quae huc pertinent, quam de earum *detentione* agendum.

TIT. I.

DE REBVS EARVMQVE CAVSA IN GENERE.

§. 116.

Ens praeter personam et factum quod vsitati hominis cuiusdam in singulari inseruire, sicque in bonis esse, potest, et generatim *res iuridica* appellatur,

pellatur, vel iam exstitit, vel non. Si posterius aut eius existentia ex naturae operatione sperarur, quo casu dicitur *res sperata*, aut *non*. Si prius, *simpliciter res iuridica* dicitur.

§. 117.

Res iuridica ideo quod exstat nondum in nostra potestate est, hinc iterum distinguendum inter rem quae in nostra potestate nondum est, sed tantum speramus in eam venire, et rem quae in nostra potestate actu iam est. In priori casu res dicitur *simplex spes*, in posteriori casu vero *res iuridica in specie sic dicta* appellatur.

§. 118.

Res etiam diuiduntur in tales quae sunt genus et quae sunt species. Dicitur vero iuridice omnis res quae philosophice indiuiduum non est, *genus*. Res vero quae philosophice indiuiduum est, *species* appellatur.

§. 119.

Sunt porro res vel *corporales*, si sensu externo percipi possunt, vel *incorporales*, si non. Priores sunt vel *mobiles*, si re ipsa salua de loco in locum moueri possint, vel *immobiles*, si non.

§. 120.

Res etiam in *necessarias*, *vtiles* et *voluptarias* diuiduntur: prout vel ad vitae et sanitatis conservationem, vel ad eius maiorem commoditatem, vel ad eius iucunditatem faciunt.

§. 121.

Tandem res diuiduntur in *pure naturales*, si natura sponte producit eas, et quae *tales non sunt*.

§. 122.

Rei *cauſa* dicitur in ſenſu *ſpeciali* ipſa rei conditio. In ſenſu *generali* vero omne id, quod ad rem quomodocunque referri poteſt, ſub cauſae nomine venit.

§. 123.

De re diſponere dicitur qui ſtatum eius determinat, omnisque diſpoſitio de re vel eius *ſubſtantiam*, vel eius *vſum*, vel eius *detentionem* concernit. Vnde de his tribus obiectis diſpoſitionis de re in ſequentibus titulis agendum, quoad ipſam diſpoſitionem vero hic adhuc notandum, diſponentem diſponere pro *ſuo arbitrio*, ſi diſponit prout ſibi, pro *alieno arbitrio* vero, ſi diſponit prout alteri, videtur.

TIT. II.

DE RERVM SVBSTANTIA ET VSV, NEC NON IMPENSIS ET VALORE.

§. 124.

Rei *ſubſtantia* dicitur, quod tanquam perdurabile in re concipi poteſt. *Vſus rei* vero dicitur quaelibet vtilitas quam res praeſtat.

§. 125.

Vtilitas quam res praeſtare poteſt, ſicque eius vſus triplex eſſe poteſt; 1) vtilitas quam res ipſa in ſe conſiderata praeſtat; 2) vtilitas quam praeſtat per res alias ex ea prouenientes, quae *fructus* ſimpliciter, ſeu *naturales* in oppoſitione ad ciuiles

ciuiles dicuntur; 3) vtilitas quam percipimus pro eius vſu aliis conceſſo, quae ſub *fructuum ciuilium* nomine venit. Naturales fructus vero iterum ſubdiuiduntur in *mere naturales* et *induſtriales*, prout vel per ſolam naturam immediate, vel interueniente facto humano, ex re prouenium.

§. 126.

Tam intuitu ſubſtantiae rei, quam vſus eius qui conſiſtit in fructuum perceptione, fiunt impenſae, quae itaque vel *impenſae in rem ipſam factae*, vel *impenſae in fructuum perceptionem factae* ſunt. Prioris generis impenſae vero vel *neceſſariae*, vel *vtiles*, vel *voluptuariae* ſunt, prout vel ideo vt rei ſubſtantia conſeruetur, vel ideo vt eius vſus augeatur, vel ideo vt maiorem praeſtet iucunditatem, fiunt.

§. 127.

Quod attinet porro valorem is, quidem potiſſimum propter res, aſt tamen et propter operas (§. 101.) introductus, eſtque *valor* ſeu *pretium* in *ſenſu latiori*, nec non *aeſtimatio*, quantitas rebus ſeu operis arbitrio hominum impoſita, vt in actibus permutatoriis ratio earum ad ſe inuicem dererminari poſſit. Valor vero *quoad res* abit in *pretium in ſpecie ſic dictum*, ſi eſt valor ſubſtantiae rei; *mercedem*, ſi eſt valor vſus rei per quem res non conſumitur, et *vſuram*, ſi eſt valor vſus rei per quem res conſumitur, cum *quoad operas* earum valor ſemper *merces* dicatur.

TIT. III.
DE
RERVM DETENTIONE.

§. 128.

Facultas de re disponendi dicitur *physica* in relatione ad vires nostras, sicque *physica de re disponendi facultas* adest toties, quoties per vires nostras possibile est nos de re quadam disponere.

§. 129.

Physica de re disponendi facultas dicitur *rei detentio*, quae etiam in sensu latiori dicitur *possessio*. Hinc statim patet *ad detentionem non requiri quoad corpus, corporis nostri et rei detentae contactum, et quoad animum perinde esse quo animorum detineat eam detinens.*

§. 130.

Detentio est vel *corporalis*, si adest corporis nostri et rei detentae contactus, vel *non corporalis* si hic contactus deest.

§. 131.

Similiter detentio etiam differt pro diuersitate animi detinentis rem. Ast cum inde oriatur proprie sic dicta possessio de qua infra ex instituto agendum, hae diuisiones eo remittendae sunt.

§. 132.

Actus per quem detentor rei eius detentionem in nos transfert, dicitur *traditio* in sensu generali. Actus vero per quem nos rem redigimus in nostram detentionem dicitur *apprehensio*. *Ad traditionem*

tionem itaque requiruntur duae personae, tradens et accipiens, apprehensio vero fit a solo apprehendente vel immediate seu corporaliter, vel mediate per instrumenta.

SECTIO II.
DE
LEGIBVS ET ACTIBVS IVRIDICIS.

§. 133.

Postquam de personis, factis et rebus tanquam obiectis iurium et obligationum actum, nunc et de *legibus naturalibus* et *actibus iuridicis*, tanquam fontibus iurium et obligationum ita agendum, vt praemissa theoria generali de *legibus* et *actibus iuridicis in se consideratis*, sequatur altera de *interpretatione iuridica* et *applicatione iuris ad factum.*

MEMBRVM I.
DE LEGIBVS ET ACTIBVS IVRIDICIS IN SE SPECTATIS.

§. 134.

Duplici tractatione hic agendum figillatim de *legibus* et *de actibus iuridicis.*

TIT. I.
DE
LEGIBVS IN SE SPECTATIS.

§. 135.

Lex, nimirum *moralis* de qua hic tantum loquor, est in *latissimo* significatu regula secundum quam actiones nostras liberas determinare obligamur

mur. Si nunc restringis hunc significatum ad regulam per voluntatem subiecti obligandi non constitutam, sed aliunde ortam, habes legis significatum *strictum*. Si vero praeterea latissimum significatum restringis ad regulam, generaliter constitutam, habes significatum legis in sensu *strictissimo et proprio*. Est itaque *lex in sensu stricto* regula secundum quam actiones nostras liberas determinare obligamur, per nostram voluntatem non constituta. *Lex in sensu strictissimo et proprio* vero est regula generalis nobis praescripta, secundum quam actiones nostras liberas determinare obligamur. In hoc proprio significatu hic loquor de lege, quae differt a *dogmate*, *consilio* et *praecepto*, et etiam sub *iuris*, nimirum obiective sumti, nomine venit.

§. 136.

Leges sunt secundum earum ortum vel *naturales*, vel *positiuae*. Si enim regula, quae lex est, per rerum naturam et essentiam constituta, dicitur *lex naturae* seu *lex naturalis*, et quicquid legibus naturalibus conuenit *iuris naturalis esse* dicitur. Quid vero sit lex *positiua* non hic, sed alibi, definiendum.

§. 137.

Ex hac definitione legis naturalis statim patet: *principium fiendi legum naturalium esse rerum naturam et essentiam existentem, principium cognoscendi earum vero esse sanae rationis vsum.*

§. 138.

§. 138.

Leges dicuntur *completae* si omnes casus sub se comprehendunt; *vniuersales* si omnes homines in eodem statu viuentes, et vbicunque obligant; *indispensabiles* si nemo ab earum obligatione eximi potest; *necessariae* si tales non esse contradictionem involueret; *consonantes inter se*, si vna alteri non contradicit; *aeternae* si nullum datur tempus quo coeperunt esse possibiles et quo desinent esse possibiles; *immutabiles* si aliter esse non possunt.

§. 139.

Leges naturales his gaudent praerogatiuis, quod sint completae, vniuersales, aeternae, immutabiles, indispensabiles, necessariae et consonantes inter se. Per §. praec. et principia metaphysica.

§. 140.

Leges naturales inter se collidi dicuntur, si iis in casu dato simul satisfieri nequit. Iis aliquid *addi* vero dicitur, si vlterius determinatur, quod per leges naturae ita determinatum non est, et *detrahi*, si vel salua obligatione per legem naturalem constituta effectus eius restringitur, vel obligatio quae ex lege naturae non adest constituitur. Vnde facile patet: *licet leges naturales sint leges consonantes inter se, collisionem earum tamen fieri posse, et iis aliquid addi vel detrahi immutabilitati earum non repugnare.*

§. 141.

Quod attinet species legum naturalium eae sunt 1) vel *leges naturales stricte sic dictae*, quae hominum, qui ciues reipublicae non sunt, vel *leges naturales*

turales ciuiles, quae hominum, qui ciues reipublicae sunt, actiones respiciunt.

§. 142.

Prorro II) leges naturales sunt quoad actiones hominum in abstracto consideratas, vel *cogentes*, quae obligant ipsum cum qui agit ad agendum vel non agendum, suntque in priori casu *praeceptiuae*, in posteriori casu vero *prohibitiuae*: vel *permittentes*, quae ipsum cum qui agit non obligant quod agat vel non agat, ast tertium tamen obligant, vt alterum agere, vel non agere, permittat, suntque *absolute permittentes leges*, si nec ratione modi agendi agentem ad certum in agendo modum obseruandum obligant, vel *secundum quid permittentes*, si modum agendi definiunt.

§. 143.

Sunt et III) leges naturales vel *perfectae*, vel *imperfectae*, quae differentia eo redit, quod, si perfectae sunt, obligatus per legem cogi possit vt obligationi satisfaciat; quod si fieri nequit, *imperfectae* sunt.

TIT. II.
DE
ACTIBVS IVRIDICIS IN SE SPECTATIS.

§. 144.

Dantur inter hominum facta talia, quae a reliquis se in eo distinguunt quod iura et obligationes minimum concernant, siue actu producant,

eant, siue non. Liceat itaque haec facta generali nomine *actus iuridicos* appellare.

§. 145.

Variae dantur actuum iuridicorum diuisiones, quarum praecipuae hic recensendae. Diuiduntur vero actus iuridici I) in *obligatorios*, si iura et obligationes actu producunt, et *non obligatorios*, si non producunt. Obligatorii actus sunt vel *illiciti*, si legibus sunt contrarii, vel *liciti*, si legibus non sunt contrarii. Actus iuridici liciti vero *negotia iuridica* (*rechtliche Geschäfte*) appellari solent, eaque in *valida* et *inualida* diuidi, prout vel producunt actu, vel non producunt iura et obligationes.

§. 146.

Sunt porro II) actus iuridici vel tales qui *de praesenti absoluuntur*, si statim operentur, quod operari debent, quam primum sunt absoluti, vel tales qui *in futurum prominent*, si iis absolutis adhuc aliquid accedere debet, vt operentur, quod operari debent.

§. 147.

Sequitur III) actum iuridicorum diuisio in tales qui sunt *mentis declarationes*, et qui *mentis declarationes non sunt*. Priores vel sunt *assertiones*, si continent mentis declarationem de eo quod est, vel non est, et verba quae assertionem continent dicuntur *verba assertiua*, vel *dispositiones*, si continent mentis declarationem de eo quod fieri, vel non fieri volumus, et verba quae dispositionem continent dicuntur *dispositiua verba*.

§. 148.

§. 148.

Assertiones sunt vel *assertiones praestandi*, si continent nudum decretum animae alteri aliquid praestandi, vel *assertiones praestandi non sunt*, si aliud quid continent quod est, vel non est; veluti, *acceptatio assertionis praestandi*, quae est declaratio nobis gratum esse decretum animae alterius nobis significatum.

§. 149.

Dispositiones sunt vel *promissiones*, vel *nudae dispositiones*. Dicuntur vero dispositiones tum *promissiones*, si sunt tales dispositiones, per quas, cum declaratione animi dandi alteri facultatem praestationem a nobis exigendi, declaramus, quod ei aliquid praestare velimus, et qui promittit dicitur *promissor*, is cui promittimus *promissarius*. Quoties itaque dispositio talis non est dicitur *nuda dispositio*, quae vel aliam dispositionem, quam eam, quod nos alteri aliquid praestare velimus continet, vel, licet talis dispositio sit, tamen declarationem animi nos obligandi non continet.

§. 150.

Promissione facta aut iam secuta est a parte promissarii declaratio quod velit promittentem sibi obligatum fieri, quae dicitur *acceptatio promissionis*, aut *non*. In posteriori casu promissio dicitur *oblatio*, quae, si tantum a parte promittentis fit *pollicitatio* dicitur; si vero a parte promissarii accedit itidem promissio, sicque sunt reciprocae promissiones acceptatione destitutae, inde oriuntur *tractatus*. In priori casu vero negotium degenerat in *pactum*, quod itaque est promissio a promissario acceptata.

§. 151.

Quod attinet nudas dispositiones quae promissionibus opponuntur, inter varias earum species praesertim notanda est *ultima voluntas*, quae est nuda dispositio, per quam quis futuram suam successionem determinat. Potest enim futura successio a viuente etiam determinari per pactum, et quidem duplici modo, vel reseruata promissionem acceptatam reuocandi facultate, vel non. In priori casu hoc pactum dicitur *donatio mortis causa*, in posteriori vero *pactum successorium*.

§. 152.

Sufficiant haec de actibus iuridicis qui sunt mentis declarationes. Qui iis opponuntur et mentis declarationes non sunt, hic specialem tractationem non merentur. Vnde progredior IV) ad divisionem actuum iuridicorum in *simplices* et *adiectionem quandam continentes*, quales adiectiones sunt *conditio*, *dies*, *modus*, *demonstratio* et *causa*, de quibus quid sint hic paucis explicandum, quid vero operentur infra addendum.

§. 153.

Conditio in genere est adiectio mentis declarationi facta, per quam ea quoad effectum suum restringitur ad aliquid quod existere, vel non existere debet, quod esse potest vel praesens, vel praeteritum,

teritum, vel futurum, idque vel certum, vel incertum, in quo vltimo casu, dum id quod existere debet est futurum incertum, adiectio in sensu stricto et proprio *conditio* dicitur. *Dies* est adiectio dispositioni facta per quam ea restringitur ad tempus quod existere debet. *Causa* est adiectio mentis declarationi facta quae continet rationem sufficientem factae declarationis. *Modus* est adiectio mentis declarationi facta quae continet causam eius finalem. *Demonstratio* est adiectio mentis declarationi facta, quae continet descriptionem rei vel personae quam concernit.

§. 154.

Conditionis diuisiones vel tales sunt quae non nisi de conditione in sensu latissimo sumta valent, vel tales quae de conditione in quocunque significatu sumta valent. Prioris generis sunt diuisio I) in conditionem vel in *praeteritum*, vel in *praesens*, vel in *futurum* collatam, et II) in condirionem *certam* seu *impossibilem* et *incertam* seu *possibilem*. *Impossibilis* vero dicitur conditio, si quod existere debet, existere, et quod non existere debet, non existere, impossibile est. *Possibilis* autem dicitur, si quod existere debet, non existere, et quod non existere debet, existere, possibile est, estque vel *potestativa*, vel *casualis*, vel *mixta*, prout actualitas a voluntate eius cuius interest eam existere, vel tantum, vel plane non, vel pro parte tantum, dependet. Posterioris generis diuisiones sunt, diuisio I) in *suspen-*

sivam et *resolutivam* conditionem, prout per conditionem dispositionis effectus, vel quoad initium, vel quoad durationem restringitur; II) in *affirmativam*, si id quod in conditione est existere, et *negativam*, si non existere, debet; III) in *expressam* si adiectio conditionem continens per declarationem expressis verbis factam adest, et *tacitam*, si per se ex natura actus adest.

§. 155.

Dies est vel talis a cuius existentia vel non existentia dependet, an dispositio sit vel maneat valida, vel talis a cuius existentia tantum dependet implementum dispositionis. *In priori casu dies est conditio in sensu latissimo sumta, et, si incertus est, conditio in sensu proprio sumta*, poteslque vel tanquam *terminus a quo* adiici, si ab eius existentia dependet an valida sit dispositio, vel tanquam *terminus ad quem*, si ab eius existentia dependet an valida maneat. *In posteriori casu in quo proprie adiectio haec sub diei nomine venit, conditio non est, et semper tanquam terminus a quo adiicitur.*

§. 156.

Sunt etiam V) actus iuridici vel tales qui *quoad agentis voluntatem vitio quodam laborant*, vel *non*. Horum vitiorum alia *efficiunt tantum voluntatem agentis vel in totum, vel in tantum deficere*, alia *libertatem in agendo simul restringunt*. De his vitiis igaque hic addenda, quae eo faciunt, vt diiudicari possit, an et quatenus actus iuridici per ea alterentur.

§. 157.

Ad vitia quae agentis voluntatem vel in totum, vel in tantum tollunt, pertinent *ignorantia*, *error* et *dolus contemplatione dolo inducti ad agendum*. Differunt vero error et ignorantia in eo *quod plus sit in errore quam in ignorantia*, cum *ignorantia* sit abfentia notionis, et vel *iuris* vel *facti* eft, prout eft vel eius quod iuris, vel eius quod facti eft (§. 108.), notio abeft, *error* vero fit adfenfus propofitioni falfae datus, et vel absque dolo tertii adeft, vel eft error talis ad quem quis dolo alterius inductus. Quae cum ita fint facile patet 1) *tam ignorantiam quam errorem in agendo committum efficere agentem nec fcire, nec velle fieri id quod fit, ficque nunquam factum fuum effe dolofum licet culpofum effe poffit* (§. 107.); 2) *ignorantiam et errorem, fiue fint ex dolo alterius, fiue non, efficere ignorantis et erroris voluntatem non effe quam declaravit, quatenus declaratio voluntatis in ignorantia feu errore fundata eft.*

§. 158.

Ad ea vitia quae libertatem agentis fimul reftringunt pertinent *metus*, *ira*, *aliique affectus*. Vbi potiffimum quoad *metum* notandum cum effe taedium ex repraefentatione mali futuri ortum, et abire in *illatum*, fi quis adeft qui declarat quod malum, quod fibi alter repraefentat, inferre velit, et *non illaturum*, fi non, qui in priori cafu vel *iuftus* eft, fi ius illud inferendi habet, vel *iniuftus*, fi hoc ius non habet, is qui declarat quod tale malum inferre

re velit; nec non in metum *vanum*, fi probabile non eft malum futurum, quod metuens fibi repraefentat, exiftentiae dari, et *non vanum*, fi hoc probabile eft. *Licet* itaque *actus per metum extortus, aut in ira alioque affectu fufceptus, femper talis fit cui quod omnimodam libertatem aliquid deeft* (§. 71.), *voluntatem ita agentis in totum ceffare tamen non nifi tum dici poteft, fi agens fui non confcius fuit in agendo.*

§. 159.

Sequitur VI) actuum iuridicorum diuifio in actum *fimulatum* et *verum*, prout vel talis non eft pro quo declaratus eft, vel talis eft, et actus fimulatus qui tendit ad finem per fe non illicitum dicitur *dolus bonus*. Quoties vero actus fimulatus eft hominis difpofitio, non id quod fimulatur, fed id quod verum eft, pro difponentis voluntate habendum, ficque iuris naturalis eft: *plus valere quod in veritate eft, quam quod fimulate concipitur.*

MEMBRVM II.
DE
INTERPRETATIONE IVRIDICA ET APPLICATIONE IVRIS AD FACTVM.

§. 160.

Licet fi indagandum quid fit iuris naturalis in abftracto, ficque ad theoriam iurisprudentiae naturalis, fufficiat per principium iuris natu-

rae (§. 19.) leges naturales singulas inueniri posse, et leges naturales proprie interpretationem non admittant, hic tamen doctrina de *interpretatione iuridica* et *iuris ad factum applicatione* non plane negligenda, sed de vtraque sigillatim agendum.

TIT. I.

DE INTERPRETATIONE IVRIDICA.

§. 161.

Interpretatio iuridica est interpretatio legum et actuum iuridicorum qui sunt mentis declarationes, sicque duplex est, interpretatio legum et interpretatio actuum iuridicorum qui sunt mentis declarationes.

§. 162.

Licet leges naturales tanquam completae leges etiam definiant quid iustum sit circa interpretationem iuridicam vtramque, ipsae leges naturales, quippe quae non voluntate alicuius, sed per naturam et essentiam rerum constitutae sunt (§. 136.), tamen, non admittunt interpretationem, quod secus quoad leges positiuas. Quae cum ita sint huic doctrinae hic immorari nolo.

TIT. II.

DE APPLICATIONE IVRIS AD FACTVM.

§. 163.

Applicatio iuris ad factum est actus, quo casus (§. 107.) quidam obuius confertur cum lege seu legitima hominis dispositione, vt definiri possit

possit quid de casu obuio disponant. Quod si nunc per hanc applicationem definitur quid de obuio casu disponant leges vel legitimae hominum dispositiones, eius *decisio* sit.

§. 164.

Licet in applicatione iuris ad factum tum ad leges naturales recurrendum, si, quid in casu obvio iuris naturalis sit, definiendum: haec applicatio tamen nec speciales regulas habet, nec vlla difficultate laborat. Vnde et quoad hanc theoriam hic subsisto, et reliqua dabit introductio in iurisprudentiam positiuam.

SECTIO III.

DE OBLIGATIONE.

§. 165.

Generalis de obligatione theoria eo redit vt tam *obligatio ipsa*, quam modi quibus *contrahitur*, *dissoluitur* et *corroboratur*, considerentur.

MEMBRVM I.

DE OBLIGATIONE IN SE SPECTATA.

§. 166.

Obligatio in se spectata ita pertractanda, vt de ea tam *in genere*, quam de nonnullis *generalissimis obligationum speciebus*, quaedam monenda.

CAPVT I.

DE OBLIGATIONE IN SE SPECTATA IN GENERE.

§. 167.

Hic dicenda redeunt ad *genuinam obligationis notionem* et *varias obligationis diuisiones*.

TIT. I.

DE OBLIGATIONIS GENVINO CONCEPTV.

IO. CASP. EVCH. WINECKE *de notione obligationis et legis.* Quedl. 1739.

§. 168.

Neceſſitas agendi, id eſt impoſſibilitas aliter agendi quam agimus, dicitur tum *moralis*, ſi venit ex lege. Neceſſitas agendi moralis vero dicitur *obligatio*, nimirum *paſſiua*, cui opponitur *actiua*, quae eſt connexio motiui cum actione. Hic loquor de paſſiua, quae et ſimpliciter obligatio dicitur, et res incorporalis eſt (§. 119.).

§. 169.

Debitum dicitur id ad quod obligati ſumus, et ad quod obligati non ſumus dicitur *indebitum*. *Licitum* vero appellatur ad quod obligati non ſumus, aſt tamen fieri obligationibus noſtris non repugnat, quibus ſi repugnat dicitur *illicitum*.

§. 170.

§. 170.

Debitum qua tale conſideratum dicitur *officium*, et is qui aliquid debet alteri in ſenſu generaliſſimo *debitor* appellatur.

§. 171.

Obligatio non niſi in eas hominum actiones cadere poteſt, quae ab eorum libertate dependent. Per §. 116. et 135. Hinc 1) *ad impoſſibilia non datur obligatio*; 2) *intellectus operationes non niſi eatenus obiectum obligationis ſunt, quatenus obligatio eo tendit quorſum dirigendae ſunt.*

§. 172.

Differunt inter ſe *obligatio ipſa* et eius *expletio*. Obligatio *ipſa* enim eſt nuda neceſſitas ita agendi prout agere debemus. Aſt *expletio obligationis* eſt actionis, ad quam adeſt obligatio, editio.

§. 173.

Hinc patet non ſequi: *adeſt obligatio ipſa, ergo iam nunc eius expletio fieri debet; licet in dubio, ſi obligatio ipſa adeſt, et eius expletio fieri debeat.*

TIT. II.

DE VARIIS OBLIGATIONIS DIVISIONIBVS.

§. 174.

Obligatio eſt 1) vel *legalis*, ſi ipſa obligatio per legem determinata eſt, vel *conventionalis*, ſi per pactum determinata eſt. Legalis obligatio vero *naturalis* eſt, ſi per legem naturalem determinata eſt.

Si itaque obligatio ad ſui exiſtentiam requirit adeſſe pactum vel alium actum invidicum, tamen ea lega-lis eſt, ſi lex eam determinat et pactum ſeu actus intruens non niſi conditio ſine qua non eſt.

§. 175.

Naturalis obligatio vel *connata*, vel *contracta* obligatio eſt, prout vel nullo praeſuppoſito certo rerum ſtatu adeſt, vel demum certo rerum ſtatu praeſuppoſito adeſt.

§. 176.

Obligationum naturalium comitatarum ſingularia haec ſunt, quod 1) *omnium hominum, etiam individualiter conſideratorum, eaedem ſint;* 2) *cum homine ſtatim adſint;* 3) *plane tolli nequeant in quocunque ſtatu etiam homo vivat.* Cum enim adſint nullo praeſuppoſito certo rerum ſtatu (§. praec.), ex ſola hominis eſſentia et natura fluunt. Ergo.

§. 177.

Obligationes naturales contractae ſunt vel *mediatae*, ſi is rerum ſtatus, quo praeſuppoſito ex legibus naturalibus veniunt, eſt pactum initum eſſe, cuius natura operatur talem obligationem, vel *immediatae* ſi tales non ſunt.

§. 178.

Eſt porro obligatio II) vel obligatio *erga nos*, vel obligatio *erga alios*, quae vel *perfecta*, ſi obligatus ad obligationis expletionem cogi poteſt, vel *imperfecta*, ſi non. Vnde porro per ſe patet quo ſenſu *debitum* in *perfectum* et *imperfectum*, et *officia*

officia in *perfecta* et *imperfecta* ſeu *officia humanitatis* diuidantur. Expletio debiti perfecti vero ſub *iuſti*, et expletio debiti imperfecti ſub *aequi* nomine venit, indeque per ſe iterum patet *iniuſti* et *iniqui* denominatio, quod ex omiſſa expletione debiti vel perfecti, vel imperfecti venit.

§. 179.

Diuiditur obligatio III) in *affirmatiuam*, quae actiones commiſſiuas, et *negatiuam*, quae omiſſiuas actiones concernit, et prior vel obligatio *dandi*, vel obligatio *faciendi* eſt. Dandi obligatio vero iterum, vel obligatio *reſtituendi*, vel obligatio *dandi in ſpecie ſic dicta* eſt (§. 101.).

§. 180.

Sequitur IV) diuiſio obligationis in *perſonalem* quae perſonae inhaeret, et *realem* quae rei inhaeret. *Realis obligatio*, quae etiam *onus reale* dici ſolet, itaque *cum re tranſit in quemlibet poſſeſſorem.* Perſonalis vero vel *perſonaliſſima* eſt, ſi ollibus perſonae ita inhaeret, vt in aliam tranſire nequeat, vel *perſonalis in ſpecie ſic dicta*, ſi talis non eſt.

§. 181.

Obligationis diuiſio V) in *annuam*, et quae *annua non eſt*, hunc habet ſenſum. Si obligatio talis eſt cuius expletio ſtato tempore repetenda dicitur *annua*, ſi vero talis non eſt, *non annua* eſt. Vnde patet quid ſit *debitum annuum* et 1) *in annuis debitis tot eſſe debita quot ſunt anni*; nec non 2) *annuum debitum non eſſe quod ſtatis temporibus pro parte praeſtandum.*

§. 182.

§. 182.

Ab hac diuisione differt VI) diuisio obligationis in *temporariam* et *perpetuam*, quarum illa talis est quae certo die veniente per se exspirat, haec vero talis non est.

§. 183.

Tandem adhuc notanda VII) obligationis divisio in *solitariam*, quae vni, et *non solitariam*, quae pluribus incumbit. Solitaria obligatio vero vel vnam eandemque praestationem, vel numero plures praestationes, concernit. In priori casu tum, si obligatus idem pluribus in solidum debet, hi plures dicuntur *correi credendi*. In posteriori casu obligatio vel *alternativa*, vel *copulativa* obligatio est, prout obligatus vel aut hoc aut illud, vel tam hoc quam illud praestare debet. Non solitaria obligatio itidem vel vnam eandemque praestationem, vel plures praestationes numero diuersas concernit. In priori casu plures vel aeque principaliter sunt obligati, vel non. Si prius, plures vel in solidum sunt obligati, quo casu obligatio dicitur *correalis*, et plures in obligati *correi debendi* dicuntur, vel non, quo casu obligatio dicitur *communis* seu *pro rata*. Si posterius, eius qui praestare debet, antequam alter ad praestationem cogi potest, obligatio, dicitur *principalis*, eius vero, qui demum deficiente altero in praestatione ad praestationem obligatus est, obligatio, dicitur *subsidiaria*.

§. 184.

§. 184.

Ex his definitionibus facile patet, 1) *in obligatione alternativa electionem esse penes debitorem*; 2) *si vnus correalitter obligatorum seu correorum debendi soluit, reliquos liberari nec habere soluentem aduersus eos regressum*; 3) *si vnus correorum credendi solidum accepit, ius reliquorum extingui, nec eum teneri iis ad communicationem.*

CAPVT II.

DE OBLIGATIONIBVS QVIBVSDAM GENERALISSIMIS.

§. 185.

Ad obligationes generalissimas refero partim obligationem *nos* perficiendi, partim obligationem *alios* perficiendi.

TIT. I.

DE OBLIGATIONE NOS PERFICIENDI.

§. 186.

Praecipua et primaria hominis obligatio naturalis comata est, quod, quatenus in sua potestate est, facere debeat quae se statumque suum externum veldant perfectiorem, omittere vero quae se statumque suum externum veldant imperfectionem. Per principia psychologica et §. 168. 171.

IO. AEGID. STRAVCH *de principio perfectionis ab vtilitatis specie vindicando.* Vitemb. 1764.

§. 187.

§. 187.

Hinc fluit quoad dictam affirmatiuam obligationem *hominem obligatum esse* 1) *ad conseruandum perfectiones quibus iam instructus est*; 2) *ad acquirendum omnes nouas perfectiones, quatenus utrumque in sua potestate est.* (§. 171.)

§. 188.

Porro ex dicta obligatione negatiua sequitur *hominem fugere debere quod* 1) *perfectiones quibus instructus est minuit*; 2) *nouarum perfectionum accessionem impedit, quatenus utrumque in sua potestate est* (§. 171.).

§. 189.

Homo obligatus est ad id quod melius est, alteri praferendum et ad obseruandum decorum rationale. Quod bonum est enim non perficit si adest quod melius est, et per §. 186. 87.

§. 190.

Homo obligatus est ad euitandum omnem defectum rectitudinis actionum vincibilem, hincque omnem culpam, nulla gradium culpae habita ratione, vitare debet. Per §. 168. et 102.

§. 191.

Si homo et quatenus homo ipse non potest obligationem se perficiendi explere, obligatus est ad aliorum auxilium implorandum vt ei hac in re opem ferant. Tum enim demum, si aliorum opem implorauit, dici potest quod in sua potestate non fuerit se perficiendi. Ergo §. 186.

TIT.

TIT. II.

DE OBLIGATIONE ALIOS PERFICIENDI.

§. 192.

Suum dicitur generaliter quaelibet perfectio qua quis iam instructus est.

§. 193.

Homo non solum debet suum cuique tribuere, sed et alterum quemcunque nouis perfectionibus instruere, quatenus quoad posteriorem obligationem 1) *salutis suis perfectionibus fieri potest, et* 2) *in alterius potestate non est vt se ipsum in perfectionibus instruat.* Vtraque haec obligatio fluit ex obligatione nos perficiendi (§. 186.). Limitatio prima vero ex §. 189. parte prima, et posterior ex §. 187. deducendo.

§. 194.

Violatio officii erga alios vi cuius suum cuique tribuendum dicitur *laesio*, vnde: *ex obligatione affirmatiua suum cuique tribue, fluit negatiua obligatio, neminem laede.*

§. 195.

Obligatio erga alios suum cuique tribuendi et neminem laedendi, sicque obligatio alterum perfectionibus quibus instructus est non priuandi, est fundamentum obligationum erga alios perfectarum, ita vt quaelibet obligatio quae eo tendit sit perfecta. Ast obligatio erga alios eos nouis perfectionibus instruendi est fundamentum obligationum imperfectarum, ita

ita vt, quoties obligatio eo tendit, non niſi imperfecta obligatio ſit. Prior obligatio enim abſoluta, poſterior vero non niſi hypothetica eſt (§. 193.). Prioris expletio itaque vi quidem exigi poteſt, non vero poſterioris. Ergo §. 178.

§. 196.

Hinc fluit *regulam: quod tibi non nocet alteri vero prodeſt ad id juste compelli, non eſſe iuris naturalis, ſed potius ſecundum hoc ius contrarium obtinere.*

MEMBRVM II.
DE
OBLIGATIONE CONTRAHENDA, DISSOLVENDA ET CORROBORANDA.

§. 197.

Ad tria momenta redire hanc doctrinam, ex ipſa inſcriptione patet. De his itaque ſigillatim agendum.

TIT. I.
DE
OBLIGATIONE CONTRAHENDA.

§. 198.

Obligatio contrahitur ſeu *conſtituitur*, ſi, qui obligatus non erat, obligatus eſſe incipit. Vnde patet *obligationes connatas non contrahi ſeu conſtitui, ſed hoc tantum dici poſſe de contractis obligationibus.* (§. 175.).

§. 199.

§. 199.

Cauſa debendi ſeu *titulus obligationis* dicitur id quod continet rationem ſufficientem contractae obligationis.

§. 200.

Cauſa debendi differt pro diuerſitate modi quo conſtituitur ſeu contrahitur obligatio. Contrahitur autem obligatio vel *per ſe*, vel per *conſequentiam.*

§. 201.

Per ſe contrahitur obligatio vel *immediate per legem*, vel *mediate per factum interueniens.* Priori modo iterum vel occaſione *laeſionis*, vel occaſione *alius rerum ſtatus, ſub quo leges nobis immediate obligationem quandam imponunt*, oritur.

§. 202.

Per conſequentiam vero contrahuntur 1) *obligationes perſonarum ex ſtatu, per ſtatus acquiſitionem* (§. 43.); 2) *obligationes reales, per rei cui inhaerent acquiſitionem ſeu poſſeſſionem* (§. 180.).

§. 203.

Quod attinet ſpeciatim obligationes, quae citra caſum laeſionis immediate per leges naturales conſtituuntur, de iis hoc principium generale notandum: *quoties adeſt talis rerum ſtatus ſub quo* vel 1) *cum obligato pro vna perſona habendi ſumus;* vel 2) *alteri ſuum non tribueretur niſi hoc vel illud fieret vel non fieret;* vel 3) *alterum noua perfectione inſtruendi, qua ſe ipſum inſtruere nequit, in noſtra poteſtate eſt; toties obligati ſumus immediate ex lege*

in primo casu alterius obligationem exp'endi, et quidem vel perfecte, vel imperfecte, prout is vel perfecte, vel imperfecte obligatus est; in secundo casu perfecte ad ita agendum, prout agere debemus, si suum alteri tribuendum; in tertio casu imperfecte instruendi alterum nova perfectione. Per §§. 193. 195.

§. 204.

Porro quoad obligationes quae mediate per pactum contrahuntur, notandum *eas statim facto initio, sicque facta promissionis acceptatione, adesse ad praestandum id quod promissum, et omnes obligationes quae oriuntur ex pacto esse perfectas obligationes.* Per §. 150. 195.

§. 205.

His generatim de modis quibus contrahitur obligatio praemissis, facile diiudicari potest, an et quatenus hoc vel illud factum per se et sua natura efficere possit vel ex eo, vel occasione eius, oriri obligationem. Cum vero varia sint facta de quibus haec quaestio moueri potest, de nonnullis illustrationis gratia hic agendum. Et cum per se pateat factum quod lacsio vel pactum est, obligatorium actum per se et sua natura esse, de aliis factis, praeter lacsiones et pacta, hic tantum disputandum, et definiendum an et quatenus per se et sua natura, ex iis, vel occasione eorum, oriatur obligatio secundum leges naturales, id quod inde patebit an adsit fundamentum quoddam obligationis secundum principia §. 203. obuia.

§. 206.

§. 206.

Quod itaque attinet I) *assertiones praestandi, pollicitationes et tractatus, hos actus plane nullam producere obligationem patet,* cum nec pacta, nec lacsiones sint, nec adsit fundamentum obligationis aliud secundum §. 103.

§. 207.

Sic porro II) *consilium, laus et commendatio per se et sua natura non obligant,* ex dicta ratione. Hinceque patet iuris naturalis esse regulam: *consilii non fraudulenti nulla est obligatio.*

CASP. ACHAT. BECK *de eo quod iustum est circa commendationem* Ienae 1616.

QVIR. SCHACHER *de consilii non fraudulenti nulla obligatione.* Lipsi. 1662.

§. 208.

Sequuntur III) *consensus in factum obligatorium alienum et actus quo alteri aliquid committimus nostro nomine expediendum, qui per se et sua natura actus obligatorii sunt, producentes obligationem praestandi ad quod alter se obligauit, quatenus is in vtroque casu consensus et commissionis limites non excessit se obligando.* Per §. 203.

§. 209.

Quoad IV) *silentium et patientiam idem valet, quod de consensu in factum alienum dictum, si inde oritur consensus tacitus* (§. 56). *Caeterum vero silentium et patientia per se et sua natura non obligant;* cum, si inde non oritur consensus in factum alienum, nullum adsit fundamentum obligationis ex

§. 203. et tamen per se et sua natura hi actus nec laesio, nec pactum sunt.

10. CHRIST. WINTER Diss. 1. et 2. *de silentio.* Helmst. 1715. et 1716.
10. CHRISTOPH. LYNCKER *de silentio.* Lemgo 1693.

§. 210.

Similiter V) *falsiloquium*, quod est sermo moraliter falsus, eiusque species *iocus* et *verba honoris*, *quatenus hi actus laesionem non involunt*, *non sunt actus per se et sua natura obligatorii.* Deest enim voluntas se obligandi, sicque, si hi actus laesionem non involunt, tanquam pacta valere nequeunt (§. 150.) Praetereaque deest fundamentum obligationis ex §. 203.

IOACHIM HOPP *de ioco.* Franc. 1682. rec. Halae 1740.
10. IOACH. SCHOEPFFER *de verbis honoris* Rost. 1717.

§. 211.

Tandem VI) *iuramentum*, quod est invocatio Dei in testem et vindicem falsiloquii seu perfidiae, *sive sit promissorium*, quod praestatur de veritate promissionis, *sive assertorium*, quod praestatur de veritate nudae assertionis, *novam obligationem non inducit*, *licet eam quae adest fortiorem reddat.* Prius patet inde quod nec laesio, nec pactum sit, nec vi principiorum §. 203. obligatio per iuramentum inducatur. Posterius per definitionem obligationis activae (§. 168.) patet.

TIT.

TIT. II.

DE OBLIGATIONE DISSOLVENDA.

§. 212.

Obligatio contracta iterum *dissolvitur*, si obligatus desinit esse obligatus, sive ipsa obligatio extinguatur, sive ea in alium translata sit.

§. 213.

Obligationem dissolui fit vel per actu factam expletionem obligationis affirmativae, quae dicitur *solutio in sensu lato*, vel *non.* Solutio vero abit in *solutionem in sensu stricto sumtam* et *dationem in solutum*, prout expletio fit, vel per praestationem eius quod praestandum, vel per aliud quid loco eius quod praestandum.

§. 214.

Solutio stricte sic dicta itaque fit vel *dando*, vel *faciendo*, et si dando fit, vel per *restitutionem* fit, si damus alteri rem suam ad quam ei dandam obligati sumus, vel per *dationem in specie sic dictam*, si ei damus rem nostram quam ei debemus, quae si est pecunia numerata, inde oritur *solutio in sensu strictissimo.*

§. 215.

Praeter solutionem obligatio dissolvitur vel *per se*, vel *per consequentiam.* Per se vero dissolvitur per 1) *compensationem*, si is cui debetur fit debitor eius qui debet ad idem; 2) *confusionem*, si is qui debet fit debitor sui ipsius; 3) *novationem*, si debitum

bitum mutatur in debitum alius generis, quae vel *nouatio sine delegatione* est, si hoc fit manente eodem debitore, vel *nouatio cum delegatione* est, si hoc fit per substitutionem noui debitoris loco prioris debitoris. Vnde a delegatione differt *assignatio a debitore facta*, per quam solutio alii committitur, nec modus dissoluendi obligationem est.

§. 216.

Per consequentiam obligationem dissolui sit, vel *per actum qui ab eo, qui ius habet, initium sumit*, vel *alio modo*. De dissolutione obligationis quae priori modo fit infra in doctrina de iuris amissione agendum. Quod vero attinet modos dissoluendi obligationem posteriori modo, ita dissoluitur obligatio, vel *per actus obligatorii, ex quo obligatio orta, dissolutionem*, vel *alio modo per consequentiam sit obligationem dissolui.*

§. 217.

Actum obligatorium, ex quo obligatio orta, dissolui, et per consequens obligationem extingui, fit si 1) *conditio suspensiua deficit*; 2) *resolutiua conditio existit*; 3) *dies tanquam terminus ad quem adiectus existit*; 4) *negotium clausulam rebus sic stantibus continet et rerum status mutatus est*; 5) *mutuo dissensu actus obligatorius tollitur*; 6) *rescissio actus obligatorii fit*, hoc est, tertius qui hoc iure gaudet pro inualido declarat actum validum.

§. 218.

Alio modo obligationem dissolui per consequentiam, quam per actus obligatorii dissolutionem,

nem, contingit per 1) *mortem obligati, quoad obligationes personalissimas* (§. 180.); 2) *speciei alteri debitae casualem interitum, quoad obligationem dandi* (§. 179.); 3) *status amissionem, quoad obligationes quae a statu nunc cessante dependent* (§. 43.); 4) *rei amissionem, quoad obligationes rei inhaerentes* (§. 180.).

§. 219.

Si debitor obligationem affirmatiuam alio modo, veluti per compensationem etc. *dissolutam esse probare nequit, ea dissoluenda est per solutionem et quidem in sensu stricto sumtam, sicque eam per dationem in solutum.* Per §. 186. Praetereaque haec solutio fieri debet 1) *debito tempore*, 2) *debito loco*, et 3) *debito modo*, quorsum praeserim pertinet in obligatione *faciendi*, facere *praecise* debitorem ad quod faciendum se obligauit, et in obligatione *dandi quoad debita pecuniaria*, sicque in solutione strictissime sic dicta, tam quoad monetae genus, quam eius valorem, cum debito modo soluere.

§. 220.

Quodsi in specie debitor non soluit debito tempore, inde oritur *mora*, quippe quae in genere est iniusta dilatio rei alicuius peragendae, sicque non solum quoad debitorem, sed et quoad eum cui solutio facienda, concipi potest, et dicitur quoad priorem *mora soluendi*, et quoad posteriorem *mora accipiendi.*

§. 221.

Porro in solutione etiam *usurarum* (§. 127.) ratio habenda, *quae non solum tum debentur si pacto pro-*

promissae et prout promissae sunt, sed etiam, licet non promissae, nec tamen remissae sint, totiens soluendae sunt, quoties 1) *debitor ex debitae rei, quae vsu consumitur, vsu lucrum captauit, siue sit in mora, siue non;* 2) *licet, quod per rei debitae vsum lucratus sit debitor probari nequeat, is tamen in mora est.* Ver §. 203. 204. Vnde *secundum ius naturae perfectum datur triplex vsurarum fons;* 1) *pactum;* 2) *lucrum ex re debita perceptum;* 3) *mora, et, si ex secundo vel tertio fonte soluendae sunt vsurae, quantitas earum pro casuum diuersitate variat.*

CHRIST. FRID. SCHOTT *de moralitate vsurarum.* Tub. 1764.

TIT. III.

DE OBLIGATIONE CORROBORANDA.

§. 222.

Obligatio *corroborari* dicitur, dum ei aliquid accedit, quod efficere potest eum, cui aliquid debetur, magis securum esse obligationis expletionem sequi.

§. 223.

Id quod efficere potest eum cui aliquid debetur magis securum esse obligationis expletionem fieri, vel ipsam expletionem respicit, vel tempus debitum quo fieri debet. Prioris generis securitas obtinetur per *cautionis praestationem*, cum id quod efficere potest eum, cui aliquid debetur, magis securum esse ipsam expletionem obligationis fieri *cautio* dicatur.

§. 224.

§. 224.

Cautionum dantur variae species, pro diuersitate eius quod securitatem praestat ipsam expletionem fieri, indeque est *pignoratitia*, si fit per pignora; *fideiussoria*, si fit per fideiussores; *iuratoria*, si fit per iuramentum promissorium (§. 211.); *poenalis*, si fit per poenam, cui debitor se subiicit in casum non factae expletionis; *nude promissoria*, si fit per iteratam promissionem de explenda obligatione.

§. 225.

Cum de pignoribus et fideiussoribus infra ex instituto agendum, de iuramento promissorio vero supra (§. 211.) iam actum sit: hic tantum quoad cautionem poenalem addendum *poenam* in genere esse malum physicum ob malum morale, ab eo qui alterum obligandi ius habet, immissum, eumque vel *legalem* esse, cui vi legis puniendus subiicitur, vel *conuentionalem*, cui puniendus in casum non factae expletionis obligationis se ipsum subiecit.

SECTIO IV.

DE IVRE PRO FACVLTATE AGENDI MORALI SVMTO.

§. 226.

Generalis de iure in hoc sensu sumto theoria eo redit, vt tam *ius in se spectatum*, quam modi quibus ius *acquiritur*, *amittitur* et *conseruatur* considerentur.

MEMBRVM I.

DE IVRE IN SE SPECTATO.

§. 227.

Hic nonsolum *de iure in se spectato* in genere agendum; sed et de *generalissimis, quibusdam iuris speciebus.*

CAPVT I.

DE IVRE IN SE SPECTATO IN GENERE.

§. 228.

Generatim hic tam *genuina iuris notio* eruenda, quam *iuris variae divisiones* explicandae.

TIT. I.

DE

IVRIS GENVINO CONCEPTV.

§. 229.

Facultas agendi, id est, possibilitas agendi, dicitur *moralis* si venit ex lege. Facultas agendi moralis vero dicitur *ius*, quando *subiective* sumitur, cui opponitur ius *obiective* sumtum (§. 115.). Hic loquor de iure subiective sumto, quod et simpliciter ius dicitur, et res incorporalis est (§. 119.), quique ius habet ab altero postulandi vt ei aliquid praestet, in sensu generalissimo *creditor* dicitur.

§. 230.

§. 230.

Iuris esse, in oppositione ad id quod facti est (§. 198.), dicitur, quicquid consistit in facultate agendi morali. Et prout probatio concernit id quod facti est (§. 109.), ita *deductio* concernit id quod iuris est, per eamque euincitur quod iuris est in dato quodam casu (§. 107.).

§. 231.

Iuri in vno respondet obligatio in altero, et ex omni obligatione oritur ius ad id sine quo obligationis expletio fieri nequit. Vt sic *obligatio ad finem det ius ad media, et medium quod vnicum est semper licitum sit,* Per §. 203.

§. 232.

Differunt inter se *ius ipsum* et eius *exercitium.* Ius *ipsum* enim est nuda agendi possibilitas moralis. Ast *exercitium iuris* fit, si agendi facultas moralis in actum deducitur.

§. 233.

Hinc fluit: *ius ipsum eiusque exercitium non esse connexa*, sicque 1) *ius ipsum iam existere posse, licet exercitium eius plane cesset;* 2) *si ius ipsum et eius exercitium simul existunt, vel ei qui ius ipsum habet ea eius exercitium competere, vel ius ipsum penes hunc esse, exercitium vero alteri competere posse.*

TIT.

TIT. II.

DE

VARIIS IVRIS DIVISIONIBVS.

§. 234.

Ius eſt 1) vel *legale*, vel *conuentionale*, et iuris legalis ſpecies eſt *ius naturale*, quod vel *connatum*, vel *contractum*, hocque vel *mediatum*, vel *immediatum* eſt, de qua diuiſione iuris omnia ea mutatis mutandis valent, quae de hac obligationis diuiſione §. 174. 175. 176. 177. dicta ſunt.

§. 235.

Eſt porro ius II) vel ius *nos reſpiciens*, vel *ius alios reſpiciens*, quod vel *perfectum*, vel *imperfectum* eſt, de qua diuiſione non ſolum itidem valent, quae de hac obligationis diuiſione dicta ſunt §. 178, ſed et fundamentum obligationum perfectarum et imperfectarum (§. 195.), itidem fundamentum iurium perfectorum et imperfectorum eſt.

§. 236.

Sequitur III) iuris diuiſio in ius *affirmatiuum* et *negatiuum*, poteſtque in eo ſenſu, in quo obligatio (§. 179.) in affirmatiuam et negatiuam diuiſa eſt, et ius ita diuidi.

§. 237.

Diuiditur etiam IV) ius in *praeſens* ſeu *quaeſitum*, et *futurum* ſeu *quaerendum*, prout ius vel actu penes aliquem eſt, vel licet actu nondum penes aliquem ſit, adeſt tamen fundamentum aliquod, licet inſufficiens, ad eius acquiſitionem.

§. 238.

Ius praeſens eſt vel *viuens ius*, vel *ius quieſcens ſeu dormiens*. Si enim tam ius ipſum exiſtit, quam etiam eius exercitium ſit, ſaltim fieri poteſt, illud appello *viuens*. Si vero exercitium iuris plane ceſſat ius *quieſcens* ſeu *dormiens* dicitur. Viuens ius iterum vel *completum* eſt, ſi is ipſe qui ius ipſum habet, etiam illud exercendi ius habet, vel *incompletum*, ſi penes eum qui ius ipſum habet non eſt eius exercitium, quod etiam *reſpectiue* ius quieſcens dici poteſt. Si itaque ponis ius incompletum tanquam iuris viuentis ſpeciem, illud exerceri neceſſe eſt, aſt tamen non ab eo qui ius ipſum habet, ſed ab alio, qui, dum exercet ius quod ipſum penes alium eſt, vel hoc non niſi vices alterius gerendo et eius nomine facit, vel proprium ius habet vi cuius ei exercitium iuris alterius competit. Vnde in priori caſu oritur *ius vicarium* ſeu *adminiſtratorium*, in poſteriori caſu vero *ius proprium ad exercitium iuris incompleti alterius*.

§. 239.

Ius futurum abit in *ius futurum radicatum*, ſi iam adeſt ius praeſens ad acquiſitionem iuris quod adhuc futurum eſt; et *non radicatum*, ſi tale ius nondum adeſt, et ius futurum radicatum, vel *exſpectatiua* eſt, vel *non*. Dicitur enim *exſpectatiua* pro iure ſumta ius futurum radicatum ad ius alterius, in caſum quo illud ceſſat, a tertio nobis conceſſum.

§. 240.

§. 247.

Est IX) ius vel *ius commune* seu *communio negativa*, quod est ius omnibus hominibus competens, vel ius *proprium*, quod est ius huic vel illi cum alterius exclusione competens. Ius proprium iterum vel *commune* seu *communio positiva*, vel ius *solitarium* est, prout vel vnus est cui competit ius, vel idem ius penes plures indinisim est.

§. 248.

Si ius est in communione positiva, haec communio vel ipsum ius tantum, vel et eius exercitium simul afficere potest, indeque communio haec vel *completa*, vel *incompleta* esse potest.

§. 249.

Si qui ius quoddam habet illud sine alterius consensu exercere nequit, inde quidem sequitur illud ius esse limitatum ius: ast inde ad iuris communionem inter eum qui in iuris exercitio ad alterius consensum adstrictus est, et eum cuius consensus requirendus, concludi nequit, nisi probari possit consensum requirendum, ex nullo alio iure, quam eo, ad cuius exercitium alter consensu suo concurrit, fluere. Per definitionem iuris limitati (§. 244.) et communionis (§. 247.).

§. 250.

Addo X) iuris diuisionem in *ius finitum*, cuius limites in genere determinari possunt, et *infinitum*, cuius limites demum in casu quodam dato determinari possunt.

§. 251.

§. 251.

Porro XI) ius in *continuum* et *discontinuum* eo sensu diuidi potest, quod *continuum* dicatur, si exercitium eius se continuo exsert, vel saltem illud exercendi occasio semper adest, *discontinuum* vero si eius exercitium se non continuo exserit, sed ad illud factum ius habentis requiritur, vel occasio illud exercendi non semper adest.

§. 252.

Quod attinet XII) iuris diuisionem in *reuocabile* et *irreuocabile* ea hoc innititur fundamento, quod ius, si habet naturam precarii, *reuocabile*, si non, *perpetuum* dicatur. Est autem *precarium* qualitas iuris concessioni addita, vi cuius eius duratio a concedentis voluntate dependet.

§. 253.

Tandem ius etiam XIII) *in temporarium*, seu *interimisticum* et *perpetuum* diuiditur in eo sensu, in quo §. 182. obligatio ita diuisa est.

CAPVT II.

DE IVRIBVS QVIBVSDAM GENERALISSIMIS.

§. 254.

Ad iura generalissima referri possunt *libertas naturalis cum communione primaeua*, *dominium*, *ius securitatis*, *indemnitatis* et *necessitatis*, vnde nunc de his iuribus sigillatim agendum.

TIT. I.

DE

LIBERTATE NATVRALI ET COMMVNIONE PRIMAEVA.

§. 255.

Libertas naturalis est ius commune actiones nostras determinandi pro nostro arbitrio.

§. 256.

Communio primaeua est ius commune de rebus corporalibus disponendi pro nostro arbitrio.

§. 257.

Natura quoad omnes actiones nostras obtinet libertas naturalis, et quoad omnes res corporales in mundo obuias, licet sint non naturales, communio primaeua. Pone quod non, tum adesset inaequalitas inter homines, quae a natura non est.

§. 258.

Cum libertas naturalis non nisi id inuoluat quod homines in agendo a suo arbitrio dependeant (§. 255), et communio primaeua non nisi hoc quod vnus plus iuris in res corporales non habeat quam alter (§. cit.), praetereaque homines teneat obligatio §. 186. explicata: facile patet *a libertate naturali differre agendi licentiam, et communionem primaeuam quidem ius ad vsum rerum necessarium et apprehensionem earum huius vsus causa, sub se continere, non vero ius simpliciter alios ab vsu excludendi et res destruendi pro lubitu.*

§. 259.

§. 259.

Libertas naturalis et communio primaeua sunt iura connata (§. 257. 234.); *hincque de iis valent quae de iuribus connatis §. 234. in genere dicta sunt.*

§. 260.

Si adest talis rerum status, vt, libertate naturali et communione primaeua subsistente, hominum status imperfectior esset, quam est his iuribus quiescentibus, homines possint et debent efficere haec iura eatenus, quatenus ad perfectionem eorum promouendam requiritur, quiescere. Per §. 186. 231.

§. 261.

Iura ex libertate naturali residua dicuntur, quae vi huius libertatis adhuc exerceri possint licet caeterum ea quiescat. Similiter *iura ex communione primaeua residua* dicuntur, quae vi communis primaeuae adhuc exercerri possunt, licet caeterum ea quiescat.

§. 262.

Libertati naturali opponitur *imperium*, quo introducto libertas naturalis, et communioni primaeuae *dominium*, quo introducta communio primaeua, quiescere incipiunt, saluis iuribus residuis ex libertate naturali et communione primaeua. Vnde nunc de *imperio* tam quam de *dominio* in genere agendum esset, nisi imperium praesupponeret societatem, sicque theoria de imperio in genere infra demum in iurisprudentia naturali generali sociali tradi posset. Hic itaque tantum de dominio in genere, et infra de imperio in genere agendum.

TIT. II.

DE

DOMINIO IN GENERE.

§. 263.

Ius de re disponendi vel ius commune, vel proprium esse potest (§. 247.). Porro si disponimus de re, vel pro nostro, vel pro alieno arbitrio disponimus (§. 123.). Tandem dispositio de re vel substantiam, vel vsum, vel detentionem eius concernit (§. cit.). Quodsi nunc ponis ius proprium de re disponendi pro nostro arbitrio, illud, quatenus est ius de rei substantia quocunque modo disponendi, *proprietas*, quatenus est ius de omni rei vsu disponendi, *vsusfructus*, quatenus est ius de rei detentione disponendi *ius possidendi* dicitur. *Dominium* vero est ius proprium de rei substantia disponendi pro nostro arbitrio.

§. 264.

Differunt itaque a dominio haec ei affinia iura; 1) ius commune de rei substantia pro nostro arbitrio disponendi; 2) ius proprium de re quidem, at non de eius substantia, disponendi, veluti vsusfructus et ius possidendi; 3) ius vicarium seu administratorium domini alieni (§. 237.); 4) ius proprium exercendi dominium alienum, quod ius *prodominium* appellari posset.

§. 265.

Omne ius proprium de rei substantia disponendi pro nostro arbitrio dominium est, siue hoc ius sub se conti-

neat quamcunque de rei substantia dispositionem, siue non. Nec minus ius proprium de re disponendi pro nostro arbitrio dominium est, modo contineat ius de rei substantia disponendi, siue simul contineat ius proprium et de aliis obiectis dispositionis de re, nimirum de rei vsu et detentione, disponendi, siue non. Per §. 263.

§. 266.

Hinc patet quo sensu dominium I) in plenum et minus plenum diuidendum. Si enim dominium tale est quod, praeter ius de rei substantia quocunque modo disponendi, et reliqua iura, quae versantur circa caetera obiecta dispositionis de re, nimirum vsumfructum et ius possidendi, sub se continet, dicitur *dominium plenum*. Quoties vero ius, proprium ius de rei substantia disponendi quidem est, at omnia haec iura sub se non continet, dicitur *dominium minus plenum*.

§. 267.

Si itaque *ius proprium de re disponendi in solo vsufructu et solo iure possidendi consistat, illud dominium non est; licet ius proprium de re disponendi, quod non nisi ius de rei substantia disponendi sub se comprehendit, dominium sit, sed non nisi minus plenum.*

§. 268.

Iura vi quorum dominus disponit de re in suo dominio existente, dicuntur *iura in dominio contenta*, suntque talia, si dominium est plenum, *proprietas*, *vsusfructus* et *ius possidendi*.

Cum vero tam vſusfructus, quam ius poſſidendi, etiam penes alium quam dominum eſſe poſſint, vſusfructus vel *cauſalis*, vel *formalis*, nec non ius poſſidendi vel *cauſale*, vel *formale* eſt, prout haec iura vel penes eum, qui dominus eſt, ſunt, vel penes alium tanquam iura in re aliena conſtituta.

§. 269.

Quod attinet ſpeciatim ſingula iura [in dominio pleno contenta, ea ſunt I) quoad *proprietatem*, ius de rei materia et forma pro noſtro arbitrio diſponendi; II) quoad *vſumfructum cauſalem*, ius omnem vtilitatem, quam res praeſtat, percipiendi, vel aliis eam concedendi, ſicque et fructuum cauſa et de fructibus ipſis diſponendi; III) quoad *ius poſſidendi cauſale*, ius eam, ſi ab alio detinetur, vindicandi, detentionem eius in alium transferendi, veluti cuſtodiae cauſa, vel in ſecuritatem expletionis obligationis.

§. 270.

Licet dominium plenum pro diuerſitate iurium in eo contentorum in ſpecies diuidi nequeat, minus plenum dominium tamen ex hoc fundamento tres admittit ſpecies quae ſunt *dominium proprietatis*, *dominium directum* et *dominium vtile*. Eſt vero *dominium proprietatis* dominium minus plenum, quod proprietatem tantum, aſt totam, ſub ſe continet. *Dominium directum* eſt dominium minus plenum, quod praeter partem proprietatis aliud in dominio contentum ius non continet. *Dominium*

minium vtile eſt dominium minus plenum, quod praeter partem proprietatis, tam vſumfructum, quam ius poſſidendi continet.

§. 271.

Eſt porro II) dominium vel *verum dominium*, ſi res in dominio exiſtens eſt res corporalis, vel *quaſi dominium*, ſi res in dominio exiſtens eſt res incorporalis. Vnde etiam dominium eius, qui habet dominium proprietatis, directum vel vtile rei corporalis, in quaſi dominio eſt, et cum hoc quaſi dominium plenum iterum dimidiari, ſicque in minus plena dominia diuidi poſſit, inde oritur *ſubdominium proprietatis*, *ſubdominium directum* et *ſubdominium vtile*.

§. 272.

Sequitur III) ſatis momentoſa dominii diuiſio in *patrimoniale* et *vſufructuarium* dominium, prout dominus dominium ita habet, vt de ipſo dominio diſponere poſſit, vel ita vt haec facultas ei non competat. Vnde haec diuiſio non concernit iura in dominio contenta (§. 268.), ſed potius iura quae pro obiecto habent ipſum dominium et *iura circa dominium* appellari poſſunt, qualia ſunt 1) *ius dominium derelinquendi* et 2) *ius illud in alium transferendi*, ſiue fiat inter viuos, ſiue mortis cauſa.

§. 273.

Poteſt itaque *dominium plenum et patrimoniale eſſe, aſt inde, quod patrimoniale ſit, non ſequitur illud eſſe plenum, nec vice verſa.*

§. 274.

A diuiſione dominii in patrimoniale et vſufructuarium differt IV) diuiſio dominii in *limitatum* et *illimitatum*. Haec diuiſio enim non concernit iura in dominio contenta ipſa, vel iura circa dominium ipſa, ſed tantum eorum exercitium, quod vel ad certam praeſcriptam normam fieri debet, vel non. In priori caſu dominium dicitur *limitatum*, in poſteriori *illimitatum*.

§. 275.

Porro dominium in relatione ad ſubiectum penes quod eſt, ratione numeri horum ſubiectorum eſt V) vel *condominium*, vel *dominium ſolitarium*. Si enim dominium vnius eiusdemque rei penes plures eſt indiuiſim, dicitur *condominium*, ſi vero penes vnum eſt, *dominium ſolitarium* apellatur. Hinc 1) *in condominio non niſi vnum dominium eſt, licet plures domini adſint, in dominio dimidiato vero plura ſunt dominia et plures domini*; 2) *condominium vel plenum, vel minus plenum idque vel condominium proprietatis, vel condominium directum, vel condominium vtile eſſe poteſt.*

§. 276.

Dominium eiusdem rei penes plures eſſe poteſt, vel quoad ius ipſum et exercitium eius ſimul, vel quoad ius ipſum quidem, non vero ſimul quoad eius exercitium. In priori caſu *condominium completum*, in poſteriori *incompletum* dici poteſt.

§. 277.

§. 277.

Poteſt etiam dominium eiusdem rei penes plures eſſe pro partibus intellectualibus vel aequalibus, vel inaequalibus, vnde condominium vel *aequale*, vel *inaequale* eſt.

§. 278.

Tandem condominium vel omnia condominorum bona, ſiue praeſentia, ſiue futura, afficit, vel non. In priori caſu *condominium vniuerſale* ſeu *communio bonorum vniuerſalis*, in poſteriori *particulare* ſeu *communio bonorum particularis*, appellatur.

§. 279.

Prout, ſi dominium in minus plena dominia diviſum eſt, a ſe inuicem diſtingui debent dominium illud quod diuiſum ſeu dimidiatum eſt, et quaſi dominium dominiorum minus plenorum (§. 271.): *ita et diſtinguendum eſt inter dominium quod in communione eſt, et quaſi dominium ratae cuiuslibet condominorum, quod eſt dominium ſolitarium.* Sunt enim haec dominia ratione obiecti a ſe inuicem diuerſa.

§. 280.

Tam diſpoſitio de ipſo dominio quod commune eſt, quam deve ipſa quae in condominio eſt, non niſi condominorum conſenſu fieri poteſt, qui ſi non conſentiunt, melior eſt ratio prohibentis; niſi diſpoſitio talis ſit, quam fieri, vel non, a condominorum arbitrio non dependet. Quilibet condominorum enim dominus eſt, dominus vero pro ſuo arbitrio diſponit de re ſua (§. 263.).

§. 281.

§. 281.

De quasi dominio suae ratae quilibet sociorum, altero inscio et inuito, disponere potest, tam quoad ius de ipso hoc quasi dominio disponendi, quam quoad ius de ipsa rata, quae in quasi dominio est, disponendi. Hoc dominium enim ius solitarium est. (§. 275.).

§. 282.

Communionis bonorum vniuersalis speciales effectus sunt, quod 1) *quicquid vnus condominorum acquirit id simul alterius sit;* 2) *omnes fructus et prouentus communiter acquirant condomini, vt et coniunctim et communiter possideant bona;* 3) *omnia ex bonis communibus erogentur et vtrimque imputentur;* 4) *aes alienum ante condominii existentiam contractum, ex bonis communibus eatenus esse soluendum, quatenus ex condominorum, qui in aere alieno haerent, bonis in communionem illatis fieri potest, communione iam existente vero contractum, simpliciter ex bonis communibus soluendum sit.* Primum, secundum et tertium ex definitione communionis vniuersalis (§. 278.) per se fluit. Quartum in casu posteriori inde, in priori vero inde fluit, quod bona aeri alieno iam obnoxia per communionis introductionem ab eo liberari nequeant, ast tamen exinde quod introducta sit communio nondum fluat alium vel alios se obstringere ad soluendum aes alienum ex suis bonis.

§. 283.

Communionis bonorum particularis completae speciales effectus sunt, 1) *reditus et prouentus ex re communi esse in condominio;* 2) *impensas quas rei communis cura exigit, ferre debere condominos;* 3) *ad aes alienum contractum ad rei communis administrationem soluendum obligatos esse condominos; quod quoad reliquos reditus et prouentus, reliquas impensas et reliquum aes alienum secus est.* Per §. 278.

§. 284.

Licet vero praeter diuisiones dominii de quibus hactenus actum, non desint aliae eius diuisiones, de earum sensu tamen ex iis quae de iuris in genere diuisionibus dicta sunt per se constat. Vnde huic generali de dominio theoriae non nisi hoc addendum, res in relatione ad dominium hanc generatim admittere diuisionem, quod sint vel res *communes negatiue tales* seu *nullius*, si in nullius dominio sunt, sicque in communione praeuia adhuc subsistunt, vel *alicuius*, si in dominio sunt. Res alicuius vero vel *nostrae*, vel *alienae* sunt, prout dominium in quo sunt, vel penes nos, vel penes alium est.

TIT. III.

DE IVRE SECVRITATIS, INDEQVE FLVENTE IVRE DEFENSIONIS ET IVRE PVNIENDI CONNATO.

§. 285.

Ius quod facit ad laesionis auersionem dicitur *ius securitatis.*

§. 286.

§. 286.

Ius securitatis homini cuilibet competere et ius connatum esse, fluit ex primaria hominis obligatione (§. 186.), idque exercetur dum, si laesio imminet, laedere violenti resistimus, id est, nos *defendimus*, et, si laesio facta est, laesio futura vero nobis vel aliis, a laedente vel aliis, metuenda, ob hoc malum morale ei qui laesit immittimus malum physicum, id est, eum *punimus*. Ex iure securitatis itaque fluit ius defensionis, quod ius connatum est, et ius puniendi connatum, cui opponitur ius puniendi contractum, de quo infra.

§. 287.

Ad defensionis iustitiam requiritur 1) *imminere laesionem quamcunque*; 2) *eam per media non violenta averti non posse*; 3) *mala quae inferuntur aggressori proportionata esse, hoc est, nec maiora, nec minora esse, quam esse requiritur, ad avertendam laesionem*; 4) *sine vindictae cupidine eam fieri.* Primum et tertium ex defensionis definitione (§. 286.) fluit. Secundum ex §. 189. patet, et quartum ex §. 193. facile deduci potest.

§. 288.

Ex primo requisito fluit *in defensione violenta locum habere praeventionem, hoc est non opus esse vt aggressus exspectet actu factam laesionem.*

§. 289.

Ex secundo requisito colligi potest, *eum qui fuga sibi consulere potest salvis suis perfectionibus, ad fugam capessendam esse obligatum.*

§. 290

§. 290.

Tertium requisitum dat; 1) *ius defensionis violentae esse ius infinitum* (§. 250.); 2) *non requiri mala quae inferuntur in defensione aggressori, esse proportionata malis quae auvertuntur per eam*; 3) *similiter nec mediorum, quibus aggressor et aggressus seu defensor vtuntur ad finem sibi praestitutos obtinendum, requiri proportionem.*

§. 291.

Tandem ex quarto requisitio consequens est: *vi defensionis violentae non nisi talia mala aggressori inferre licet, quae sunt medium efficiendi ne laesio intentata in actum deducatur.*

§. 292.

Ad iustitiam poenae immissionis vi iuris puniendi connati requiritur 1) *laesionem actu illatam esse, seu minimum laedendi conatum efficacem habuisse alterum*; 2) *propter illatam laesionem futuram laesionem metuendam esse nobis seu aliis, a laedente vel aliis*; 3) *malum physicum quod infertur nec maius, nec minus esse, quam esse debet, vt cesset laesionis futurae periculum*; 4) *absque omni vindictae cupidine poenam exsequi a laeso.* Primum et secundum patet ex §. 286. Ex fine poenae quem loquitur idem §. 286. tertium. Quartum vero ex §. 193. facile deduci potest.

§. 293.

Laeso vi iuris puniendi connati non solum licet punire ipsum laedentem, sed et eius socios. Nam

§. 240.

Ex dictis §. 237 seqq. patet: 1) *ius ad cuius acquisitionem ne quidem insufficiens fundamentum adest, ius futurum dici non posse, illudque iuris nomen plane non mereri;* 2) *ius futurum radicatum fortius esse iure futuro non radicato;* 3) *ius praesens quod inest iuri futuro radicato, distinguendum esse a iure futuro quod acquirendum est per illud;* 4) *omni exspectatiuae sua natura inesse conditionem.*

IVST. HENNING BOEHMER *de iure futuro.* Halae 1741.

§. 241.

Satis momentosa V) est diuisio iuris in *ius in re* seu *obiective reale*, et *ius ad rem* seu *obiective personale.* Dicitur vero *ius in re* si tale est, quod, sine respectu ad personam rem detinentem, rem quandam pro obiecto habet; *ius ad rem* vero si personam obligatam pro obiecto habet. Inde *ius in re contra quemlibet rei possessorem exercetur, ius ad rem vero non nisi contra personam obligatam, licet concernat rem quae penes alium est.* Differt vero ab hac iuris diuisione diuisio eius in *ius personae inhaerens* seu *subiective personale*, si est personae concessum, et *rei inhaerens* seu *subiective reale*, si rei est concessum. Inde *posterius ius cum re* [illegible] *haeret*, vt in alium transire nequeat, vel *personale in specie sic dictum*, quod in alium transire potest.

§. 242.

Ex datis §. praec. definitionibus patet 1) *ius in re posse vel ius personae inhaerens, vel ius rei inhaerens esse;* 2) *ius in re locum habere posse quoad res quae a nemine possidentur.*

§. 243.

Est et VI) ius vel *simplex*, quod plura iura a se inuicem diuersa sub se non comprehendit, vel *compositum*, quod plura a se inuicem diuersa iura sub se comprehendit. Quodsi si nunc ius compositum totum, neque nullo in eo contento iure deminutum, penes vnum est, id dicitur *plenum*, si vero hoc in iure composito contentum ius penes hunc, aliud penes alium est, ius dicitur *dimidiatum* seu *minus plenum.*

§. 244.

Ius etiam VII) diuiditur in *limitatum* et *illimitatum.* Est vero *limitatum*, si exercitio eius certae normae praescriptae sunt, quae si desint dicitur *illimitatum.*

§. 245.

A diuisione iuris modo recensita differt VIII) iuris diuisio in ius *vsufructuarium*, si ius habens de ipso iure disponere nequit, et *patrimoniale* si de ipso iure disponere potest.

§. 246.

Licet ius quidem, incrementum, minus ple[illegible] ream, quod ius aliquid desit quoad facti ad plenam iuris fruitionem, hae iurium species tamen inter se differre ex definitionum comparatione patet.

§. 247.

et hi laedunt, et ab iis non minus, quam ab ipso laedente, futura laesio mutuenda (§. 286.).

TIT. IV.

DE IVRE INDEMNITATIS.

§. 294.

Damnum in genere est perfectionis, quae vel adfuit, vel obtineri potuisset, nisi impedimentum obiectum esset, defectus.

§. 295.

Damnum diuiditur 1) in *positiuum* et *priuatiuum*, prout vel perfectionis quae adfuit, vel perfectionis, quae obtineri potuisset, nisi impedimentum obiectum esset, defectus est; sicque, cum *lucrum* dicatur perfectionis nouae accessio, *damnum priuatiuum est lucrum cessans*. Damnum positiuum vero, vel est *damnum quod per se adest*, si priuatio perfectionis quae adfuit ex actione quadam per se oritur, vel est *damnum emergens*, si priuatio perfectionis quae adfuit, per necessariam consequentiam demum ex actione quadam oritur. Damnum emergens vero et lucrum cessans dicuntur vno nomine *id quod interest*.

§. 296.

Est porro II) damnum vel *tale quod quis sua culpa sentit*, vel *damnum quod oritur ex alius agentis actione*. Posterius damnum vero vel est damnum cuius *homo auctor est*, vel *non*, et dicitur in priori casu *iure datum damnum*, si licita est hominis actio per quam damnum datum est.

§. 297.

§. 297.

Ius indemnitatis est ius ab altero postulandi, vt damnum in se spectatum resarciat et id quod interest praestet.

§. 298.

Si damnum tale est quod quis sua culpa sentit, vel est damnum iure datum, cessat ius indemnitatis. Hinc*que regulae: damnum quod quis sua culpa sentit sentire non videtur*, vt et, *qui iure suo vtitur nemini facit iniuriam, iuris naturalis sunt. Si vero damnum nec tale est, quod quis sua culpa sentit, nec damnum iure datum ab altero, aut adest qui cum damno nostro locupletior est, aut non. Si prius ius indemnitatis eatenus locum habet, quatenus alter cum damno nostro locupletior est. Si posterius tum demum locum habet ius indemnitatis, quando nobis damnum datum per alius hominis dolum vel culpam quamcunque, vel eius dolo seu culpa saltem concurrente.* Per §. 190. 193.

§. 299.

Ex hoc principio diiudicandum quid iustum sit in specie, si damnum *ab animali vel per rem inanimatam* datum, et si est *casuale damnum*. In *priori* casu enim distinguendum, an dolus vel culpa alicuius effecerit animal vel rem inanimatam damnum dedisse, an vero non, et *si prius, semper contra eum, qui dolo vel culpa effecit animal vel rem inanimatam damnum dedisse, exerceri potest ius indemnitatis quod, si posterius, semper cessat siue, quod praesertim damnum ab animali datum attinet, animal dominum habeat, siue non.* In *posteriori casu* vero obtinet

ner regula: *casum nemo praestat*, quae generalis est, eique subordinatae sunt speciales regulae, et quidem 1) quoad eum qui rem alterius habet quam ei restituere debet regula: *res perit suo domino*; 2) quoad eum qui alteri obligatus est ad dandum certam speciem: *debitor speciei interitu speciei liberatur*; 3) quoad obligationem aliquid faciendi vero regula: *casus nocet ei in cuius persona accidit*, hoc est, si ad *faciendum obligatus* casu impeditur, is alteri ad indemnitatis praestationem non est obligatus; si vero in *persona eius cui factum praestandum* accidit casus qui impedit facta ei praestari posse, is nihilominus ad faciendum obligato praestare debet id quod ei praestandum, si factum praestitum esset.

TIT. V.

DE IVRE NECESSITATIS.

§. 300.

Casus necessitatis est is rerum status, in quo ob collisionem obligationum seu officiorum exceptio facienda.

§. 301.

Dantur itaque tot species casuum necessitatis, quot dantur species collisionis officiorum, quae sunt vel collisio *officiorum erga Deum cum aliis officiis*, vel *non*. In posteriori casu vero, vel adest collisio *officiorum erga nos inter se*, vel *erga alios inter se*, vel *erga nos et erga alios inter se*. Inter hos casus necessitatis, is casus necessitatis, in quo ob

ob collisionem officii erga nos vitam nostram conseruandi, cum alio quocunque officio exceptio facienda, dicitur casus *summae* seu *extremae necessitatis*.

§. 302.

Ius necessitatis seu *fauor necessitatis* dicitur ius ad actum alias illicitum, cui casus necessitatis locum facit.

§. 303.

Ius necessitatis non solum differt pro diuersitate casuum necessitatis §. 301. recensita, sed et praeterea in eo differt, quod vel *is contra quem exercetur actione quadam sua efficiat casum necessitatis existere, qui iuri necessitatis locum facit*, vel *non*. In posteriori casu vero, vel *tertius* adest qui efficit existere casum necessitatis qui iuri necessitatis locum facit, vel adest casus necessitatis *absque tertii facto* interueniente.

§. 304.

Si is contra quem exercetur ius necessitatis, actione quadam sua efficit casum necessitatis existere, qui iuri necessitatis locum facit, ea vel *laesio* est, vel *non*. Si prius per defensionem et poenae immissionem exercetur ius necessitatis, et inde oritur *ius necessitatis contra laedentem exercendum*, quod proprie ad ius necessitatis referri non solet, hincque vulgo dicitur: *Nothwehr ist kein Nothrecht*. Si vero posterius, nec defensio, nec poena est, quod fit ab eo qui in hac necessitate constitutus est, hincque tam in hoc, quam reli-

quis §. praec. recenſitis caſibus obtinet *ſtricte ſic dictum ius neceſſitatis*, ſeu quod exercetur contra innocentem, qualis in omnibus reliquis caſibus is eſt contra quem exercetur, et de hoc iure neceſſitatis ſtricte ſic dicto hic agendum.

§. 305.

Exiſtente caſu neceſſitatis quocunque (§. 301.) *vi iuris neceſſitatis ſtricte ſic dicti omnis actus alias illicitus fit licitus, ſi actus talis eſt qui vel vnicum vel leniſſimum medium eſt ad expletionem eius obligationis, quae inter obligationes inter ſe collidentes eſt obligatio ad id quod melius eſt.* Per §. 189.

§. 206.

Cum melius ſit quod nobis aliisque plus boni praeſtat, et ſemper in caſu neceſſitatis ad legitimum iuris neceſſitatis vſum requiratur id quod melius eſt fieri (§. praec.) I) *nunquam in caſu neceſſitatis vi iuris neceſſitatis licet obligationem erga Deum violare, etſi adſit caſus extremae neceſſitatis.* II) Quoties in caſu neceſſitatis *colliduntur officia erga nos cum officiis erga alios*, ſi officium erga nos concernit 1) *perfectionum, quibus inſtructi iam ſumus, conſeruationem*, ſemper, ſiue neceſſitas ſit extrema, ſiue non; ſiue officium erga alios ſit perfectum, ſiue imperfectum; ſiue noſtra perfectio ad quam conſeruandam iure neceſſitatis vtimur, ſit aequalis cum ea qua alterum priuamus, ſiue etiam minor vel maior, iure neceſſitatis licitum eſt, quod eſt medium vel vnicum,

cum, vel ex pluribus leniſſimum, conſeruandi perfectionem qua iam inſtructi ſumus. Si vero in hoc caſu 2) *obligatio erga nos nouis perfectionibus nos inſtruendi* a) in colliſione eſt cum *obligatione erga alios imperfecta*, ſicque cum obligatione nouis perfectionibus alios inſtruendi, pro circumſtantiarum diuerſitate vi iuris neceſſitatis licet, vel non licet, nos noua perfectione inſtruendo impedire alterum quod ea ſe inſtruat; b) in caſu vero quo in colliſione eſt cum *obligatione erga alios perfecta*, ſicque cum obligatione eos perfectionibus quibus inſtructi non priuandi, vi iuris neceſſitatis tum demum licet cum violatione officiorum perfectorum erga alios nos nouis perfectionibus, alterum iis priuando, inſtruere, ſi adeſt caſus extremae neceſſitatis. III) Si adeſt caſus neceſſitatis in quo *officia erga alios inter ſe ſunt in colliſione*, 1) ſi omnia ſunt *imperfecta*, pro circumſtantiarum diuerſitate definiendum quid liceat vi iuris neceſſitatis; 2) ſi omnia ſunt *perfecta*, a) quoad *connata* officia itidem pro circumſtantiarum diverſitate definiendum, quid iure neceſſitatis liceat; b) quoad *contracta* vero vi iuris neceſſitatis licet tempore poſteriorem negligere, ſi modo reuera caſus neceſſitatis exiſtit, quippe qui tum demum exiſtit, ſi, tempore ortae obligationis vtriusque, cuiusliber expletio erat poſſibilis, licet et in caſu oppoſito prior tempore ſit potior iure, aſt ex alio fundamento. IV) Si exiſtit caſus neceſſitatis in quo *officia erga nos inter ſe in colliſione* ſunt, iure neceſſitatis licet facere, quod ſub circumſtantiis praeſentibus

sentibus minorem imperfectionem operatur, sicque in hoc casu obtinet regula: *ex duobus malis minimum est eligendum.*

§. 307.

Si quis, qui in casu necessitatis constitutus est, ius necessitatis exercendo nos aggreditur, seu potius actum alias illicitum, nunc licitum, exercere vult erga nos, defensio, seu potius resistentia, est licita; nisi ius nostrum, cui hic actus contrarius, tale sit quod cessat in casu necessitatis. Sit ita, quod nunc licite agat in necessitate constitutus, officia erga nos, quae nunc colliduntur cum officiis erga alios, tamen vincunt (§. 306.).

§. 308.

Ei cui per iuris necessitatis exercitium damnum datum est, non competit ius indemnitatis; licet tum, si tertii aggressio effecit necessitatis casum existere, tertius ille obligatus sit ad damni dati et eius quod interest praestationem. Non nisi in casu excepto enim adest damnum iniuria datum, in reliquis iure datum damnum adest (§. 298.).

§. 309.

Caeterum adhuc notandum dari etiam necessitatem physicam, quae huc non pertinet, nec locum facit iuri necessitatis, sed potius illa est de qua valet illud: *necessitas exlex* seu *Noth hat kein Gebotb.*

MEMBRVM

MEMBRVM II.

DE IVRE ACQVIRENDO, AMITTENDO ET CONSERVANDO.

§. 310.

Ad generalem de iure pro facultate agendi morali sumto theoriam, non sufficiunt quae de iure in se spectato dicta sunt: sed et praeterea generatim definiendum, quomodo ius *acquiratur*, *amittatur* et *conservetur* (§. 226.), de quo nunc agendum.

TIT. I.

DE IVRE ACQVIRENDO.

§. 311.

Ius *acquiritur*, si ius, quod nostrum non erat, nostrum fit. Vnde patet 1) *iura connata acquiri proprie dici non posse* (§. 234.); 2) *si ius quiescens sit ius viuens, sicque reuiuiscit* (§. 238.), *itidem illud non acquiri, sicque iuris acquisitionem et reuiuiscentiam inter se differre, et de iuribus exstinctis proprie dici non posse quod reuiuiscant, si de nouo acquiruntur.*

AEMIL. LVD. HOMBERGK ZV VACH *de reuiuiscentia iurium extinctorum.* Marb. 1743.

§. 312.

In acquisitione iuris, praesertim in re, distinguendum est inter *modum acquirendi* et *titulum.* Est vero *modus acquirendi* factum quod continet

cauſam proximam acquiſitionis, et *titulus* eſt ratio iuſtificatoria acquiſitionis iuris.

§. 313.

Iuris *delatio* fieri dicitur, ſi, an ius noſtrum fieri velimus, vel non, noſtro arbitrio committitur. Si itaque declaramus quod ius delatum noſtrum fieri velimus, eius *acceptatio*, in caſu oppoſito vero eius *repudiatio* fit.

§. 314.

Iuris acquiſitio in varias abit ſpecies, quae ex duplici fundamento oriuntur. Differt enim acquiſitio iuris I) pro diuerſitate *iuris quod acquiritur*, et II) pro diuerſitate *eius per quod acquiſitio iuris fit.*

§. 315.

Pro diuerſitate iuris quod acquiritur, acquiſitio iuris vel talis eſt per quam ius, quod defuncti fuit, noſtrum fit, quae dicitur *ſucceſſio in ſignificatu ſtricto ſumta*, vel talis non eſt, quae *acquiſitio inter vivos* ſeu *ſtricte ſic dicta* appellari poteſt.

§. 316.

Succeſſio pro diuerſitate iuris quod per eam acquirimus, vel hereditaria ſucceſſio eſt, vel non. Si enim in ſucceſſione reſpicimus vltimum defunctum, per ſucceſſionem eo mortuo vel ius eius patrimoniale acquirimus, quorum complexus poſt mortem vltimi defuncti cuius fuerunt ſub *hereditatis* nomine venit, vel ius eius vſufructuarium acquirimus, ſicque tale ius quod ad eius hereditatem referri nequit.

quit. In priori caſu ſucceſſio dicitur *hereditaria*, in poſteriori caſu vero *non hereditaria* ſeu *ſingularis*.

§. 317.

Succeſſio hereditaria eſt vel *vniuerſalis*, ſi per eam acquiritur tota hereditas vltimi defuncti, vel eius pars quota, *particularis* vero, ſi per eam non niſi pars quanta hereditatis acquiritur.

§. 318.

Qui per ſucceſſionem acquiſiuit quod vltimi defuncti erat, dicitur *heres eius*, ſi id acquiſiuit per ſucceſſionem hereditariam vniuerſalem, ſicque vel totam vel partem quotam hereditatis eius; *ſucceſſor eius particularis*, ſi id acquiſiuit per ſucceſſionem hereditariam quidem, alt particularem; *ſucceſſor eius ſingularis* vero, ſi id acquiſiuit per ſucceſſionem ſingularem.

§. 319.

Acquiſitio ſtricte ſic dicta ſeu inter vivos, vel eſt acquiſitio iuris proprii ad exercitium iuris alterius in actu quodam determinato, quae *deuolutio* dicitur, vel talis acquiſitio *non* eſt. Poſterior acquiſitio vel *originaria* eſt, ſi ius quod acquiritur non eſt ius alterius, vel *derivativa*, ſi eſt ius alterius.

§. 320.

Quod ſpeciatim attinet acquiſitionem iuris originariam, ea vel talis eſt per quam poſita commotione poſitiua, quae vel adfuit, vel ſaltem oriri debuiſſet, alterius porro vacans ad noſtram

portionem accedit, quae dicitur *accretio*, vel talis non est, quae *acquisitio originaria in specie sic dicta* appellatur.

§. 321.

Quod porro attinet derivatiuam acquisitionem vi cuius ius alterius acquirimus, qui hic dicitur *auctor*, ea vel *constitutiua* est, si ius eius generis, quale est illud quod acquirimus, penes auctorem non est, sed illud nunc demum formatur, vel *mere translatiua*, si ius tale, quale est illud quod acquirimus, penes auctorem est.

§. 322.

Constitutiua acquisitio iterum abit in *diuisionem in relatione ad ius solitarium inde ortum consideratam*, si est acquisitio iuris solitarii in parte rei communis diuisae nobis assignata, et *acquisitionem constitutiuam in specie sic dictam*, si talis acquisitio non est.

§. 323.

Mere translatiuae acquisitiones vero sunt, vel *consolidatio*, quatenus consideratur vt acquisitio, si acquirimus partem iuris dimidiati, quae penes alterum erat, et accedit ad alteram partem quam iam habemus, vel *acquisitio mere translatiua in specie sic dicta*, si acquirimus plenum ius alterius.

§. 324.

Hae sunt species acquisitionis iuris, quae ex diuersitate iuris quod acquiritur oriuntur (§. 314.). Pro diuersitate eius quod acquiritur, acquisitio differt prout vel successio est, vel talis

talis quae extra successionem est. Prior, sicque successio pro diuersitate, eius per quod fit, si hereditaria est, ex hoc fundamento vel *legitima* est, si venit ex lege, vel *non*, haecque vel *successio ex vltima voluntate*, vel *successio pactitia*, vel *successio ex donatione mortis causa* est, prout vel ex vltima voluntate, vel ex pacto successorio, vel ex donatione mortis causa originem trahit (§. 151.). Ast, quod attinet successionem non hereditariam seu singularem, ea est ex hoc fundamento, vel *electitia successio*, si fit mediante delatione a tertio, ad quem vltimi defuncti ius vsufructuarium post eius mortem redit, facta; vel *successio ex pacto et prouidentia maiorum*, si fit mediante delatione a praedefuncto quodam facta; vel *successio singularis legitima*, si fit mediante delatione lege facta.

§. 325.

A successione quae facti est, differt *ius succedendi*, quod est ius vi cuius quis ad acquisitionem per successionem admittendus est, et dicitur, quoad successionem hereditariam, *ius hereditarium*, quoad successionem singularem vero, *ius succedendi singulare*. Vtrumque ius succedendi iterum differt pro ea successionis diuersitate quae §. *praec.* explicata, prout etiam successores (§. 318.) pro hac diuersitate differunt.

§. 326.

Ad acquisitionem per successionem nihil aliud requiritur quam, existente casu successionis, eum qui ius succedendi habet sibi sumere id in quo succedit;

nisi sit successio singularis electiva, quippe quo casu a tertio, per quem delatio facta, postulare debet translationem eius in quo succedit. Succedens enim acquirit quod mortui fuit (§. 315.), et ei non nisi in casu excepto cum viuente res est. Ergo,

§. 327.

Reliquae acquisitiones praeter successionem, pro diuersitate eius per quod fiunt, ita differunt, quod aliae fiant *per se*, aliae *per consequentiam*. Quae per se fiunt vel *immediate per leges fiunt*, vel *non*. De his acquisitionis speciebus vero generatim notandum: *quod, quoties ita acquirendo nullius iuri laeditur, solius acquirentis voluntas ad acquisitionem sufficiat; ast in casu oppositio alterius voluntas, sequeque delatio, accedere debeat.* Per §. 257. 255. Vnde porro patet: *nemini inuito ius obtrudi.*

§. 328.

Ad acquisitionem iuris quae per se, ast immediate per legem, fit, nihil aliud requiritur quam ad esse certum rerum statum sub quo leges hoc vel illud ius alicui tribuunt. Caeterum vero de hac acquisitione iuris valent mutatis mutandis, quae de obligatione, quam leges immediate constituunt, dicta sunt §. 203.

§. 329.

Acquisitio iuris quae per se quidem, ast *mediate*, fit, triplex est, nimirum acquisitio per *occupationem*, *acceptationem delati iuris*, et *praescriptionem*. Est vero *occupatio* generaliter sumta, acquisitio iuris per eius propria auctoritate nobis factam

tam attributionem. *Acceptatio delati iuris*, est acquisitio iuris per mentis declarationem, quod ius nobis delatum nostrum esse velimus, facta. *Praescriptio* est acquisitio iuris, quae fit per iuris quod nostrum non est continuatum exercitium.

§. 330.

Quod speciatim attinet occupationem quae facti est (§. 180), ab ea differt *ius occupandi*, quod est ius ad acquisitionem per occupationem, et vel *ius occupandi commune* est, vel *ius occupandi proprium*, prout hoc ius vel ius commune, vel ius proprium est (§. 247.).

§. 331.

Acquisitio per occupationem, citra casum necessitatis, non nisi quoad talia iura locum habere potest, quae ad suum alterius non pertinent. Per §. 193.

§. 332.

Quoad iuris acquisitionem per acceptationem iuris delati, de qua valet regula: *nemo plus iuris in alterum transferre potest quam ipse habet*, speciatim notandum, *eam non solum inesse omni pacto* (§. 150.); *sed et praeterea eam fieri per actus qui de praesenti absoluuntur* (§. 146.), *quoties tales sint qui iuris delationem et acceptationem continent.* Per §. 313. 257.

§. 333.

Ius quod acquiritur per acceptationem iuris delati quae pacto inest, semper est ius ad rem, ita promissio conueniat ius in re; sicque aliquid accedere necesse

neceſſe eſt, vt iuris in re per pactum promiſſi acquiſitio actu ſiat; licet non praeciſe requiratur accedere, ſi ius in re acquirendum eſt dominium rei corporalis alienae, traditionem (§. 132.), *ſeu, ſi eſt aliud ius in re, tale quid quod inſtar traditionis eſt, ſed ſufficiat promittentem per actum quemcunque qui de praeſenti abſoluitur declarare, ſe ius in re nunc in alterum transferre eumque illud acceptare.* Per §. 150. 257.

§. 334.

Ad acquiſitionem quae fit per acceptationem praeuia delatione factam, et quidem mediante actu qui de praeſenti abſoluitur, pertinet *ceſſio* in reſpectu ad ceſſionarium conſiderata, cum in reſpectu ad cedentem per eam potius amiſſio iuris fiat. Eſt autem *ceſſio* expreſſa translatio iuris noſtri, quod non eſt dominium rei corporalis, in alium, ſicque *ceſſio eſt actus qui de praeſenti abſoluitur* (§. 146.), *et licet pacto promitti poſſit, per pactum tamen fieri nequit.* Transferens ita ius ſuum in alium dicitur *cedens*, tertius in quem transfertur *ceſſionarius*, is vero qui cedenti obligatus ad aliquid praeſtandum *debitor ceſſus, quo inſcio et inuito ceſſio fieri poteſt, et per eam in ipſa obligatione debitoris ceſſi nihil mutatur.*

§. 335.

De acquiſitione per *praeſcriptionem* porro notandum, eius effectum ſecundum ius naturae ſemper quidem acquiſitiuum eſſe, aſt tamen non vnice acquiſitiuum, ſed et ſimul exſtinctiuum eſſe poſſe; hinc-

hincque eam vel *mere acquiſitiuam*, vel *acquiſitiuo-exſtinctiuam* eſſe, prout vel ita per praeſcriptionem acquirimus, vt per hanc acquiſitionem nullius ius exſtinguatur, vel ita, vt ſimul ius alterius exſtinguatur. Mere acquiſitiua praeſcriptio vero vel eſt *conſtitutiua praeſcriptio*, vel *mere translatiua praeſcriptio*, in eo ſenſu in quo acquiſitio in genere ita diuiditur (§. 321.).

§. 336.

Ad mere acquiſitiuam praeſcriptionem, ſiue ſit ea conſtitutiua, ſiue mere translatiua, nihil aliud requiritur, quam 1) *eum qui hoc modo acquirere vult ius, quod ipſum ei non competit, vt, ſi praeſcriptio eſt conſtitutiua, ita prout exercetur nondum exiſtit, ſi vero praeſcriptio translatiua eſt, ita iam exiſtit quidem, aſt ius alterius eſt, exercere, ſiue caeteroquin ſciat, ſiue ignoret, ius ipſum quod exercet ſibi non competere;* 2) *poſt coeptum ab eo qui praeſcribendo acquirere vult exercitium iuris, in praeſcriptione conſtitutiua eum in cuius praeiudicium tendit tale ius ab altero exerceri, et in praeſcriptione mere translatiua eum cuius ius eſt quod exercetur, talem ſe gerere, vt manifeſto appareat ſe nolle iure ſuo vti ad excludendum alterum ab exercitio iuris cuius acquiſitio per praeſcriptionem in quaeſtione eſt;* 3) *nullo modo translationem iuris ab altero per praeſcriptionem acquirendi, fieri ab eo contra quem praeſcribitur, in eum qui praeſcribere vult.* Primum et tertium ex definitione praeſcriptionis acquiſitiuae (§. *praec.*), ſecundum vero itidem ex hac definitione

none et principio, quod, si per acquisitionem alter non laeditur solius acquirentis voluntas sufficiat, (§. 327.) deducendum.

§. 337.

Ad acquisitionem per praescriptionem acquisitiuo exstinctiuam nihil aliud requiritur quam, 1) *eum qui praescribendo acquirere vult ius quo ius alterius exstinguitur, ius quod tale est vt per illud ius alterius exstinguatur, ei autem non competit, exercere;* 2) *eum contra quem praescribitur post coeptum ab altero exercitium talis iuris, cum quo ius suum stare nequit, talem se gerere vt manifesto appareat, se nolle iure suo ad excludendum alterum a iure quod exercet vti;* 3) *nullo modo tamen fieri ab eo contra quem praescribitur iuris quod alter iam exercet, quoque, si illud alter acquirit, ius suum exstinguitur, delationem.* Primum et tertium ex praescriptionis acquisitiuo - exstinctiuae definitione (§. 335.), secundum vero iridem ex ea, et ex principio, ad acquisitionem iuris per cuius acquisitionem alter non laeditur, acquirentis voluntatem sufficere (§. 327.), deducendum.

SIGM. CASSO ab AEMINGA Disq. quaest. *num praescriptio sit iuris naturalis nec ne, sed mere ciuilis*, Gryphiswaldiae 1764.

§. 338.

Tandem et per consequentiam fit acquisitio 1) *iuris personarum ex statu, per status acquisitionem;* 2) *iuris rei inhaerentis seu subiectiue realis, per rei cui inhaeret acquisitionem; prout etiam*

etiam huc referri potest 3) *acquisitio quae fit dum obligatio dissoluitur per solutionem* (§. 213).

TIT. II.

DE IVRE AMITTENDO

§. 339.

Iuris amissio fieri dicitur, si ius quod nostrum erat nostrum esse desinit, siue ius exstinguatur, siue transeat in alium. Si itaque *ius viuens sit ius quiescens illius amissionem fieri dici nequit.*

§. 340.

Iuris amissio in genere sit vel per *alienationem in sensu lato*, vel *non*. Dicitur vero in hoc sensu omnis actus, quo nostra voluntate ius nostrum tale esse desinit, alienatio, et est vel *iuris translatio* seu *alienatio stricte sic dicta*, vel *iuris abdicatio* seu *iuris renunciatio in sensu latiori*, prout fit vel mediante iuris nostri delatione alteri facta ab eoque acceptata, vel non.

§. 341.

Iuris translatio seu alienatio stricte sic dicta fit, vel per *cessionem* quoad cedentem (§. 334.); vel per *alienationem strictissime sumtam*, si ius quod transfertur est dominium rei corporalis. A cessione in hac consideratione vero differt *assignatio a creditore facta*, per quam creditor solutionis exactionem alii committit.

§. 342.

Iuris abdicatio fit vel per *diuisionem rei communis*, quippe quae quoad communionem quae

nunc

nunc tollitur iuris abdicationem inuoluit, licet alio respectu per eam fiat acquisitio (§. 322.), vel *alio modo*. Praeter dictionem vero alio modo iuris abdicatio fit, vel per *iuris abdicationem stricte sic dictam*, si abdicatio concernit ius quod in alium transferri nequit, vel *non*, et in hoc casu fit vel per *iuris renunciationem*, si est iuris futuri, vel per *iuris remissionem*, si est iuris praesentis, abdicatio.

§. 343.

Regulae vulgares quae concernunt iuris amissionem per alienationem et renunciationem in sensu lato sumtam, nimirum:

I) *Ad iuris sui vsum nemo cogi potest,*
II) *Ad alienandum nemo cogi potest.*
III) *Iuri suo quilibet renunciare potest.*
IV) *Ad iura renunciata non datur regressus.*
V) *Nemo inuitus in communione manere cogitur.*

Sunt iuris naturalis, si res consideratur prout natura est, et quoad primam, secundam et tertiam supponitur ius tertii inde non laedi, quoad quartam vero renunciationem esse parem. Per §. 257. 281.

§. 344.

Praeter alienationem in sensu lato sumtam (§. 340.) iuris amissio fit vel *per se* seu per *iuris reuocationem*, si is a quo ius reuocabile nobis concessum declarat, quod nolit nos eo amplius vti, vel *per consequentiam*.

§. 345.

Amissionem iuris per consequentiam fieri multis modis fieri potest. Quoties enim 1) *obligatio vel per solutionem* (§. 213. 214.) *vel alio modo, tam per se* (§. 215.), *quam per consequentiam, vel per actus obligatorii dissolutionem* (§. 217.) *vel alio modo* (§. 218.) *dissoluitur, iuris ei respondentis amissionem per consequentiam fieri necesse est.* 2) *Similiter, quoties per iuris acquisitionem ab altero factam, quae respectu nostri alienatio non est, fit iur, quod nostrum erat, nostrum esse desiuere, amissio iuris nostri fit per consequentiam; quorsum pertinet* e. g. *praescriptio quoad eum contra quem praescribitur.* 3) *Ast dantur tamen praeterea alii modi ius amittendi per consequentiam, sub dictis modis dissolvendi obligationem et acquirendi ius non comprehensi, qui vel vere tales sunt, vel saltem tales esse videntur, de quibus quaedam addenda.*

§. 346.

Fit nimirum praeterea iuris amissio per consequentiam, si 1) *amisso statu, amittitur ius exstatu*; 2) *amissa re, amittitur ius rei inhaerens seu subiective reale*; 3) *resoluto iure dantis resoluitur ius accipientis*; 4) *per mortem is, cuius ius est, amittit illud.*

§. 347.

An vero et per solum non vsum, iuris amissio fiat? nunc definiendum. Est vero *non vsus iuris* omissio exercitii iuris, occasione illud exercendi non deficiente, vt itaque, *si ius est discontinuum* (§. 251.), *quamdiu illud exercendi occasio deest, non vsus iuris concipi nequeat.* Licet vero ius temporarium temporis lapsu exspiret, prout obligatio

temporaria temporis lapfu exfpirat (§. 217.), et per praefcriptionem acquifitiuo-exftinctiuam ius alterius exftinguatur (§. 335.), *folo non vfu tamen nullum perit ius*, quoniam hoc in poenam negligentiae fieri neceffe effet, aft ea quoad homines extra focietates viuentes concipi nequeat. Vnde, *fi fub praefcriptione mere exftinctiua nobis concipimus amiffionem iuris quae per folum non vfum fit, ea iuris naturalis non eft.*

AEM. LVD. HOMBERGK 2V VACH *de praefcriptione exftinctiua, cum interim iuriam per non vfum haud confundenda.* Marb. 1750.

§. 348.

Quod attinet porro *abufum iuris*, qui eft transgreffio limitum iuris in eius exercitio, *quamdiu per eum nihil fit contra ius alterius, tantum abeft per eum ius amitti, vt potius talis abufus cuilibet permittendus. Si vero per abufum iuris aliquid fit contra ius alterius, is quidem non permittendus, aft tamen ideo alter non nifi tum iure fuo priuari poteft, fi priuatio eft medium vnicum auertendi futurum abufum.* Per §. 255. 187.

§. 349.

Tandem quaeritur: *an in cafu collifionis iurium prioritas temporis in iuris acquifitione efficiat amiffionem iuris tempore pofterioris?* ficque, *an regula: qui prior tempore, potior iure, fit iuris naturalis?* Ad quam quaeftionem refpondeo, *omnino propter collifionem iurium per confequentiam amittere eum, cuius ius eft tempore pofterius, hoc fuum*

fuum ius, et quidem ita vt exftinguatur, fi vfus eius ad cafum collifionis reftrictus; ficque tum, *qui prior tempore, potior iure eft, et qui femel exclufus eft ob ius prius alterius, femper exclufus eft. In cafu oppofito vero collifio quidem efficit ius pofterioris exerceri non poffe, ficque quiefcere in cafu collifionis, aft dici nequit pofterius ius amitti, multo minus vero illud exftingui,* ficque tum *qui prior tempore non nifi quoad exercitium iuris in cafu collifionis potior eft, indeque in hoc cafu, qui femel exclufus ob ius alterius quod tempore prius, non femper exclufus eft.* Cum ius fecundum diuerfitatem temporis quo ortum diuerfum, non poffit non effe ius contractum, et fi quis ius contractum iam acquifiuit, alterius ius contractum quod tempore pofterius, non nifi ita acquiri poffit, vt ius prioris faluum maneat, inde patet propofito demonftranda.

TIT. III.

DE IVRE CONSERVANDO.

§. 350.

Iuris conferuatio fieri dicitur, fi efficitur ius quod noftrum eft, noftrum manere.

§. 351.

Ad iuris noftri conferuationem faciunt, praeter ea quibus corroborantur obligationes iuri noftro refpondentes (§. 222.), varia media, quae partim *per indirectum* eo faciunt, quorfum referri poteft iuris fecuritatis vfus, dum nos defendimus et laedentem punimus (§. 285 feqq.), partim

tim *directo*, qualia sunt *protestatio* et *iuris reseruatio*, de quibus hic agendum.

§. 352.

Est vero *protestatio* mentis declaratio, per quam alteri significamus nos hoc vel illud nolle, si ex silentio nostro contrarium colligi posset. *Iuris reseruatio* vero est mentis declaratio, per quam, si adest periculum amittendi ius nostrum, alteri significamus, quod, vel quatenus, ius nostrum saluum esse velimus.

§. 353.

Regula: *protestatio conseruat ius protestantis*, cuius sensus est, per factam protestationem efficitur, actum qui protestatione non interpolita nobis praeiudicare posset, non praeiudicare, *non nisi tum vera est, si protestatio nec iuri, nec facto contraria*, hoc est, talis non est quae secundum leges nihil operari potest, nec talis quae fit ad auertendum praeiudicium, quod ipsum factum protestantis, cuius intuitu fit protestatio, per se producit. Per §. 352.

§. 354.

De regula: iuris reseruatio non dat nouum ius, sed ius quod adest tantum conseruat, idem valet, quod de praecedente regula dictum, quoad eius partem posteriorem, quod nimirum reseruatio tum demum ius reseruantis conseruet, si nec iuri, nec facto in sensu modo dicto est contraria. Per §. 352.

SECTIO

SECTIO V.
DE POSSESSIONE.

§. 355.

Ad veritates generalissimas hic tractandas pertinet etiam generalis de possessione theoria, in qua de *possessione in se considerata*, vt et *acquirenda retinenda et amittenda possessione* agendum.

MEMBRVM I.
DE
POSSESSIONE IN SE SPECTATA.

§. 356.

De possessione in se spectata, tam quatenus est *facti*, quam quatenus est *iuris* hic agendum.

TIT. I.
DE POSSESSIONE QVATENVS EST FACTI.

§. 357.

Licet abusiue quaelibet rei detentio possessio appellari soleat (§. 129.), proprie tamen possessio est detentionis species, ea nimirum quae cum animo rem nobis habendi coniuncta. *Animo rem nobis habendi* vero rem detinemus, si animo dominii, vel alius iuris in re nobis competentis, eam detinemus. Huic possessioni opponitur *nuda detentio*, quae est detentio rei absque animo eam nobis habendi. Ast, si per possessionem intelligitur quaelibet detentio, proprie sic dicta possessio *ciuilis*

possessio in sensu latiori, et nuda detentio, *possessio naturalis in sensu latiori*, appellatur.

§. 358.

Possessio proprie sic dicta diuiditur I) pro detentionis diuersitate (§. 130.) in *corporalem* et *non corporalem*.

§. 359.

Est porro possessio in hoc significatu sumta, pro animi djuersitate II) vel *ciuilis in sensu stricto et proprio*, si animus possessoris rem sibi habendi est animus domini, vel *naturalis in sensu stricto et proprio*, si non. Vnde quoad hanc diuisionem gradu differunt inter se 1) *detentio nuda seu possessio naturalis in sensu latiori*; 2) *possessio naturalis in sensu stricto et proprio*, et 3) *possessio ciuilis in sensu stricto et proprio*.

§. 360.

Possessio ciuilis subdiuiditur in possessionem rei *propriae* et rei *alienae*, haecque vel *bonae fidei* est, si possessor ignorat rem esse alienam quam possidet, vel *malae fidei*, si scit eam alienam esse.

§. 361.

Possessio III) pro diuersitate acquisitionis vel *iusta* seu *titulata* est, si legitimo modo acquisita et continuatur, vel *iniusta* seu *vitiosa*, si vel legitimo modo non acquisita, vel saltem illegitimo modo continuatur.

§. 362.

Est et possessio IV) pro durationis diuersitate, vel *immemorialis*, vel *temporaria*, prout memoria initii vel deest, vel adest.

§. 363.

§. 363.

Quaelibet possessio operatur praesumtionem, illum, qui in possessione est, ius habere rem ita, prout eam possidet, possidendi. Per §. 110. Est itaque 1) *omnis possessio pro iusta possessione habenda, donec probetur contrarium*; 2) *possessor stricte sic dictus pro tali habendus cuius est ius illud in re quod in animo habet*, sicque *ciuilis possessor pro domino habendus donec probetur contrarium, nisi adsit fortior praesumtio, qua praesumtio pro possessore militans eliditur*; 3) *quilibet possessor rei alienae pro bonae fidei possessore habendus donec probetur contrarium*, et ei imputari nequit, quod durante possessione de rei alienae substantia et usu disposuerit sine iure, quod malae fidei possessori rei alienae omnino imputari potest, hincque fluit *b. f. possessorem ad nihil teneri domino, quam quod cum damno suo non materiae debeat locupletior, malae fidei possessorem vero non solum hanc tenere obligationem, sed et eum praeterea indemnem praestare debere dominum; vtroque casu dominum cum possessoris damno se locupletare non debere.*

TIT. II.

DE POSSESSIONE QVATENVS EST IVRIS.

§. 364.

Sub possessione quatenus iuris est, vel ius proprium de rei detentione disponendi pro nostro arbitrio intelligitur, vel ius quod ex possessione oritur

oritur, ſicque poſſeſſori qua tali competit. In priori caſu vero poſſeſſio, quatenus iuris eſt, potius *ius poſſidendi* (§. 263), et in poſteriori potius *ius poſſeſſionis* appellanda.

§. 365.

Ius poſſidendi eſt vel ius poſſidendi *cauſale*, vel ius poſſidendi *formale*, prout ex dictis §. 268. iam conſtat, *eſque ius poſſidendi cauſale confectarium dominii vel pleni, vel dominii utilis, nonvero dominii proprietatis vel directi.* Per §. 279. 270.

§. 366.

Ius poſſeſſionis eſt vel *ius poſſeſſionis generale*, quod oritur ex poſſeſſione proprie ſic dicta cuiuscunque generis vel *ius poſſeſſionis ſpeciale*, quod non nili ex poſſeſſione hac vel illa ratione qualificata oritur. Ad qualificatae poſſeſſionis ſpecies vero referri poſſunt poſſeſſio 1) *ciuilis*; 2) *titulata*; 3) *bonae fidei*, 4) *immemorialis.*

§. 367.

Iura poſſeſſionis *generalia* ſunt, poſſeſſorem 1) *non eſſe obligatum ad editionem tituli poſſeſſionis, hoc eſt, iuris vi cuius poſſidet allegationem, niſi adſit praeſumtio pro eo qui tituli editionem poſtulat militans, quae fortior eſt ea quae militat pro poſſeſſore* per §. 363. num. 1; 2) *quamdiu non conſtat de vitio poſſeſſionis per probationem ab altero factam, eum in poſſeſſione non turbandum, multo minus de poſſeſſione deiiciendum eſſe, licet non niſi de eo conſtat, quod poſſideat, poſſeque poſſeſſorem, quamdiu nondum conſtat de vitio poſſeſſionis ſi deiectus eſt poſſeſſionem repetere, non ſolum a deiiciente, ſed et a quolibet alio poſſeſſore, ſiue is ſciat, ſiue ignoret, ex rei quam poſſidet detentione alterum eſſe deiectum* per §. 363. num 2; 3) *per poſſeſſionem continuatam acquirere poſſeſſorem quod poſſidet mediante praeſcriptione, de qua ſupra §. 335. ſeqq. actum, tumque valere regulam: tantum praeſcriptum quantum poſſeſſum.*

§. 368.

Ius poſſeſſionis *ſpeciale*, quod oritur ex poſſeſſione *ciuili* et quidem *immemoriali*, eſt, *inde oriri fortiſſimam, quaeque per contrariam probationem eludi nequit, praeſumtionem, id quod ita poſſidetur legitime acquiſitum eſſe, ſicque eius eſſe qui poſſidet*, vt ſic *poſſeſſio immemorialis ſit inſtar tituli, id eſt, id operetur quod iuſtus acquiſitionis titulus operatur.* Per §. 110.

§. 369.

Ius poſſeſſionis *ſpeciale* quod oritur ex poſſeſſione *ciuili temporali*, quae tamen *titulata et bonae fidei*, eſt, quod, *ſi res probato dominio domino ſuperuenienti reſtituenda a poſſeſſore, hic poſſeſſor*, ratione 1) *deteriorationis rei, indemnitatem non praeſtet*; 2) *fructuum, non niſi exſtantes et conſumtos, quatenus ex iis adhuc locupletior eſt, reſtituat*; 3) *impenſarum* a) *fructuum cauſa factarum, quatenus in fructuum quos reſtituit perceptionem factae ei ſint reſtituendae, non vero reliquae*; b) *in rem ipſam factarum, neceſſariae, ſimpliciter, vtiles, quatenus domino aeque vtiles, voluptuarie plane non, reſtituendas*, hincque *vtiles quae non reſtituuntur et voluptua-*

luptuarias tollere possit, quatenus absque rei possessae detrimento tolli possunt, quod si fieri nequit, officium perfectis erga dominum non repugnat possessorem eas perdere. Per §. 363. num 3. et §. 195.

§. 370.

Caeterum adhuc notandum *si eum, qui per temporalem possessionem eandem hactenus possedit rem alienam, in mala fide fuisse probatum est, restitutionem rei ita fieri debere domino, vt indemnis praestetur a possessore*, hinc *eum de deteriorationibus non casualibus, et fructibus omnibus, quos percepit et percipere potuisset, respondere debere.* Per §. 363. num. 3. Cum vero dominus nec cum malae fidei possessoris damno locupletior fieri possit (§. cit.), patet *eum tamen possessori m. f. impensas in fructuum perceptionem factas restituere debere, quoad impensas in rem ipsam factas vero idem valere, quod §. praec. de bis impensis quoad bonae fidei possessorem dictum est.*

MEMBRVM II.

DE

ACQVIRENDA, AMITTENDA ET RETINENDA POSSESSIONE

§. 371.

Quum non sufficiat scire, quid sit possessio quatenus facti et quatenus iuris est, de quo in antecedentibus §. 355 seqq. dictum: vt generalis theoria de possessione in hac parte generali absolvatur, et hic de *acquirenda, amittenda*, et *retinenda* possessione agendum.

TIT.

TIT. I.

DE ACQVIRENDA POSSESSIONE.

§. 372.

Cum natura res nulla possideatur, immo nequidem detineatur, *omnis possessio est acquirenda*, quod fit si res, siue corporalis, siue incorporalis, venit in nostram possessionem, quae nunquam in ea fuit.

§. 373.

In acquirenda possessione potissimum apprehensio et traditio (§. 132.) obueniunt; vnde antea praemittendum, quid requiratur ad vtramque, tam quoad res corporales, quam quoad res incorporales hic considerandas, nempe iura. Licet vero, quod attinet rerum *corporalium*, tam mobilium quam immobilium, traditionem et apprehensionem, quae *vera* tam in oppositione ad *quasi traditionem et apprehensionem* rerum incorporalium, quam in oppositione ad *fictam* traditionem et apprehensionem dicitur, facile patet eam fieri 1) quoad *res mobiles*, per dationem de manu in manum et receptionem in manum, 2) quoad *res immobiles* vero per inductionem in eas et ingressum in eas; quoad *iura* tamen, quorum intuitu exercitium eorum ab vna, et patientia exercitii ab altera parte, instar traditionis et apprehensionis sunt, hoc specialius euoluendum, pro iurium differentia, secundum quam vel *affirmatiua*, vel *negatiua* iura sunt, supra (§. 236.) iam explicata.

174.

§. 374.

Vt iuris, quod *affirmatiuum* est, quasi possessio *adsit*, in casu *quo ius concernit eius, de cuius quasi possessione quaestio est, actiones commissiuas, nihil praeterea requiritur quam hanc actiones commissiuas, iuris de cuius quasi possessione quaestio est exercitium inuolucrum, edere, vi iuris quod sibi competere asserit, hocque pati eum qui contradicere posset et deberet.* In casu vero *quo ius de cuius quasi possessione quaestio est, concernit alterius actiones commissiuas, non sufficit alterum actiones commissiuas edere, sed eas ita edere debet, vt vi iuris nostri eas edere appareat*, sicque *haec quasi possessio tum demum adest, si* 1) *post constitutum ius affirmatiuum actiones commissiuas, quas vi huius iuris edere licet, edimus;* 2) *dum nos vi iuris affirmatiui, quod nobis competere defendimus, postulamus ab altero vt certas actiones commissiuas edat, isque actu edit eas.* Per §. 136. 357.

§. 375.

Vt iuris, quod *negatiuum* est, quasi possessio *adsit*, in casu quo *ius negatiuum concernit eius, de cuius quasi possessione quaestio est, actiones omissiuas iuri alterius contrarias, sicque immunitatem, non sufficit sola omissio, sed tum demum quasi possessio talis iuris negatiui adest, si dici potest quod is, de cuius quasi possessione iuris negatiui quaestio est, omittat vi immunitatis quam sibi competere asserit; sicque haec quasi possessio adest* 1) *si post acquisitam immunitatem omittimus per se absque vllo facto interueniente,* 2) *si quis postulat vt iuris*

uris quod sibi competere asserit actionem commissiam, alter vero omittit eam prouocando ad immunitatem sibi competentem, et tum prior acquiescit. In casu vero *quo de iuris negatiui quod actiones omissiuas alterius concernit quasi possessione quaestio est, eidem non sufficit alterum omittere, sed ab eo tempore demum huius iuris negatiui quasi possessio adest, quo alter vi iuris negatiui quod is qui quasi possessionem acquirere vult sibi competere asserit omittit*, sicque haec quasi possessio adest 1) *per se et absque vllo facto interueniente, si iure negatiuo, vi cuius alter aliquid omittere debet, constituto, alter omittit;* 2) *si, dum quis actionem commissiuam edit, alter contradicit, ad ius negatiuum, vi cuius id facere non tenetur, prouocando, et prior acquiescit.* Per §. 136. 357.

§. 376.

His de apprehensione et traditione praemissis, facile definiri potest, quomodo possessio acquirenda pro hac casuum diuersitate, quod is qui possessionem acquirere vult, vel iam sit in *nuda detentione* constitutus, vel *non*; et in posteriori casu, vel *alius in nuda detentione seu possessione* sit, vel *non*, *sicque possessio vacua sit*; modo notetur possessionem *solo animo acquiri*, si acquisitio fit nullo accedente facto corporeo acquirentis, quod facit ad acquirendam detentionem, *animo et corpore simul* vero, si tali facto accedente fit.

§. 377.

Si quis in nuda detentione iam est, ad acquirendam possessionem sufficit accedere declarationem animi

animi detentoris rem sibi habendi, modo in casu quo is, cuius possessionem nudus detentor acquirere vult, in possessione, scilicet non corporali, est, accedat eius acquiescentia. Per §. 357.

§. 378.

Si is qui possessionem acquirere vult in nuda detentione non est, in casu *quo res in nullius detentione est, possessio est acquisita, si* 1) *apprehensio facta* et 2) *apprehendens rem habet animum eam sibi habendi.* Per §. 357. In casu vero, *quo res in alterius detentione*, siue *nuda*, siue *possessione* est, acquisitio possessionis fit 1) *si rem a possessore, cum animo ut eam nunc nobis habeamus traditam, recipimus in nostram detentionem cum hoc animo, siue actu hoc fiat, siue per actus aequipollentes quorsum pertinet si fit per* 1) *symbolum*; 2) *rei e longinquo factam ostensionem*; 3) *nudam verbalem declarationem*, a) *vel ita vt possessor corporalis declaret quod nostro nomine imposterum detinere velit, quippe quo casu possessio non corporalis a nobis acquisita, non nisi nuda detentione corporali apud alterum manente*; b) *vel ita vt possessor non corporalis nudo detentori declaret, quod velit eum imposterum rem tanquam suam detinere, quippe quo casu nuda detentio in possessionem degenerat*; II) *si derelicto nudo detentore vel possessore rem recipimus in nostram detentionem cum animo eam nobis habendi.*

TIT. II.

DE AMITTENDA POSSESSIONE.

§. 379.

Possessionis *amissio* tum facta, si res, quae in nostra detentione hactenus fuit cum animo eam nobis habendi, nunc in tali nostra detentione esse definit. *Si* itaque a) *licet nuda detentio adhuc penes nos sit, animus rem nobis habendi tamen non amplius adest*; b) *res in nostra detentione non amplius est, possessio est amissa, licet in priori casu nuda detentio adhuc penes nos sit.*

§. 380.

Possessionem *solo animo* amitti dicitur, si ita amittitur, vt, ea amissa, nuda detentio adhuc penes nos sit; *corpore et animo simul* vero, si ita amittitur, vt nec ipsa nuda detentio penes nos superstit.

§. 381.

Solo animo amitti possessionem non nisi tum fit, si, qui in corporali possessione est, animum rem sibi habendi deponit. Per §. praec. Alt *corpore et animo simul amitti possessionem*, vel fit *per possessoris mortem*, vel *eo vincente*. In posteriori casu fit, vel *eo volente*, veluti per *traditionem* rei alteri factam ita vt ipsa corporalis detentio in alium transferatur (§. 378.), et *derelictionem possessionis*, vel *eo inuito*, si fit privatio possessionis vel per *fugam rei animatae hactenus possessae*, vel per *detectionem ab alio homine factam*, quae si fit per factum illicitum

tum *spolium* dicitur, quod itaque est illicita priuatio possessionis ab alio facta.

TIT. III.

DE

RETINENDA POSSESSIONE.

§. 382.

Possessio retinetur, si is qui in possessione est, in ea manet, hocque fit vel *animo et corpore simul*, si, qui in possessione corporali est, in ea manet, vel *animo tantum*, si, licet rei nuda detentio corporalis amissa a possessore qui hactenus possedit, is tamen adhuc in possessione non corporali est.

§. 383.

Possessionem alterius turbare dicitur, qui exercitio facultatis physicae possessoris de re disponendi obicem ponit, ipsa possessione salua relicta. Hinc, *licet turbatio possessionis fiat, possessio tamen per eam non amittitur, sed adhuc, non obstante turbatione, retinetur, ast tamen nunc non amplius quietam esse possessionem efficit turbatio.*

§. 384.

Possessionem recuperare dicitur, qui possessionem amissam iterum acquirit. Vnde *si, dum possessio turbatur, possessor efficere studet turbationem cessare, is non de recuperanda sed de retinenda possessione est sollicitus.*

SECTIO

SECTIO VI.

DE

REMEDIIS PERSEQVENDI IVS NOSTRVM.

§. 385.

Ad generalissimas doctrinas in iurispr. nat. generali stricte sic dicta explicandas, referri etiam potest generalis doctrina de remediis persequendi ius nostrum. Fit vero *persecutio iuris*, si efficere intendimus, nobis actu praestari, ad quod praestandum alter nobis perfecte obligatus est.

§. 386.

Persecutio iuris fit vel *via facti*, si is qui ius suum persequitur, ipse suo facto alterum eo perducere vult, vt praestet ad quod praestandum obligatus est seu expleat obligationem, sicque sibi ipsi ius dicit, vel *via iuris*, si per talem cuius potestati obligatus subiectus est, id efficere intendimus. Cum itaque via iuris praesupponat potestatem cui obligatus subiectus est, haec vero societatem, hic non nisi de via facti agendum (§. 39.).

§. 387.

Via facti iuris persecutio fieri potest, vel ita vt debitor per indirectum cogatur ad expletionem obligationis, quorsum faciunt *retentio* et *retorsio*, vel directo, quod fit per *bellum* pro remedio iuris nostrum persequendi sumtum. De his remediis itaque hic ita agendum, vt, praemissa doctrina

de retentione et retorsione, bellum pro remedio ius nostrum persequendi suntum, explicetur. De ipso actu belligerationis vero non hic, sed aliis locis agendum.

TIT. I.

DE RETENTIONE ET RETORSIONE.

PHIL. IAC. HEISLER *de iure retentionis.* **Cap. I.** Halae 1756.

IO. AD. I. B. ab ECKSTATT Pr. *de arctis iuris talionis limitibus.* Wirceb. 1733. et in EIVS *Opuscula* Tom I. n. 2. pag. 152 seqq.

HENR. a COCCEII *de sacrosancto talionis iure.* Francof. 1705. et in EIVS *Exercit.* T. 2. num. 37. pag. 733 seqq.

§. 388.

Retentio fieri dicitur, si per denegatam restitutionem rei debitoris a nobis detentae donec debitum solutum, eum per indirectum cogere intendimus vt debitum, in cuius securitatem detentio non concessa, soluat.

§. 389.

Si debitum ob quod retentio exercetur est 1) *perfectum;* 2) *liquidum;* 3) *debitor in mora solvendi iam est;* 4) *remedia amica antea frustra tentata, retentio licita est.* Sub his circumstantiis enim ius ad finem adest, et si debitor nullius potestati subiectus hoc medium leniissimum est §. 231. 182.

§. 390.

Retorsio, nimirum factorum, de qua hic loquor, est in genere damni pro damno relatio, fuitque in hoc sensu retorsionis species *repressaliae*, si damnum quod refertur est simile, et *talio*, si est aequale.

§. 391.

Differt porro retorsio in eo, quod vel ex *sola vindictae cupidine* fiat, vel *in poenam*, vel *iuris nostri persequendi causa*, dum damno dato ideo fit, vt obligatus per damni relationem per indirectum cogatur ad indemnitatis praestationem.

§. 392.

Retorsio quae fit ex vindictae cupidine semper illicita. Per §. 193. *Si fit in poenam tum licita est, si in eius exercitio limites iuris puniendi* (§. 292.) *observantur. Si vero fit iuris nostri persequendi causa, quoties is contra quem fit ad damni dati relationem secundum dicta* §. 298. *obligatus est, et remedia amica antea frustra tentata, retentio vero non habet locum, licita est.* Tum enim et hic valent quae ad euincendam retentionis iustitiam faciunt §. 389.

TIT. II.

DE BELLO PRO REMEDIO IVS NOSTRVM PERSEQVENDI SVMTO.

§. 393.

Bellum pro remedio ius nostrum persequendi sumtum, est id remedium quo ipsi obligatum directo cogimus ad obligationis explerionem.

§. 394.

Si ius per remedium belli perſequimur, ius quod perſequimur, vel eſt ius defenſionis (§. 286), vel non, inde bellum vel *defenſivum*, vel *offenſivum* eſt. Offenſivum bellum vero vel *punitivum* eſt, ſi ius quod perſequimur eſt ius puniendi conatum (§. 286), vel *non*, ſi eſt aliud ius. In poſteriori caſu bellum vel *reale* eſt, ſi concernit ius in re (§. 241.), vel *perſonale*, ſi concernit ius ad rem (§. cit.). Bellum reale vero vel *poſſeſſorium* eſt, ſi concernit tantum ius circa rei poſſeſſionem, vel *petitorium*, ſi concernit ius in re ipſum. Poſſeſſorium bellum tandem eſt vel *bellum acquirendae* ſeu *adipiſcendae*, vel *bellum retinendae*, vel *bellum recuperandae poſſeſſionis*, prout vel acquirendam, vel retinendam, vel recuperandam poſſeſſionem concernit.

§. 395.

Cum ex dictis de iure defenſionis et puniendi conatu §. 285 ſeqq. de natura et indole remediorum ius noſtrum perſequendi, quae ſunt bellum quod vel defenſivum vel punitivum eſt, per ſe conſtet; hic de reliquis bellis, nimirum *bello reali*, tam poſſeſſorio, quam petitorio, et *bello perſonali* tantum monendum, *haec remedia ius noſtrum perſequendi via facti locum non habere, niſi ius quod perſequimur eſt* 1) *perfectum*; 2) *liquidum*; 3) *per bellum cogendus in mora iam eſt*; 4) *remedia amica antea friuſtra tentata, et praeterea* 5 *nec retentio, nec retorſio efficere poſſint obligationis expletionem fieri.*

Tum enim et hic locum habent, quae dicta ſunt §. 389. ad euincendam retentionis iuſtitiam.

§. 396.

Si per bellum cogendus, vel is contra quem retentio vel retorſio exercetur, negat ius quod perſequimur nobis competere, non niſi tum perfecte obligati ſimus ad euincendum ius praetenſum nobis competere, ſi inititur factis de quorum veritate non niſi per probationem a nobis factam ei conſtare poteſt, atque deductiones (§. 230.) *quidem nunquam requiruntur, aſt probationem* (§. 109.) *antecedere debent, antequam ad belli, retentionis vel retorſionis remedium confugimus pro caſuum diuerſitate neceſſe eſt poteſt, vel non.* Ius naturale in theſi enim ſcire debet quilibet: aſt ſi facti, quod ſcire non poteſt veritas non euincetur, antequam via facti procedimur, remedia amica non ſufficienter antea ſunt tentata, quae tamen ſemper antea tentari debent (§. 189.).

§. 397.

Si eius, contra quem ius noſtrum perſequimur per bellum reale petitorium vel perſonale, bona ſufficiunt ad expletionem obligationis ex bonis ſuis faciendam, expletio eius ex aſſe fieri debet, licet nihil ei ſuperſit. In caſu oppoſito vero vel *nihil habet per quod expletio ex bonis ſuis facienda fieri poteſt, vel licet adhuc aliquid habeat id tamen non ſufficit.* In priori caſu *ideo ius noſtrum non amittimus, ſed potius, ſi debitor ad meliorem fortunam venit, ad expletionem cogendus, quae nunc obtineri non potuit.*

In posteriori casu vero, *expletio fit ex his bonis in quantum fieri potest, quoad residuum vero manet obligatus, et si ad meliorem fortunam peruenit, hoc residuum adhuc soluere debet.* Nulla enim adest ratio cur ideo, quod debitori nihil superfit, sicque nunc obligationem explere nequeat, ei aliquid remittendum, vel obligatio pro dissoluta habenda sit.

§. 398.

Concursus creditorum dicitur is rerum status, quo plures creditores simul ius suum persequuntur contra debitorem obaeratum. *Debitor obaeratus* vero dicitur debitor cuius bona non sufficiunt ad expletionem omnium obligationum, quibus aliis tenetur. Vnde *si in casu posteriori §. praec. plures adsunt creditores oritur concursus creditorum.*

§. 399.

Orto concursu creditorum 1) *massa concursus est constituenda*, 2) quoad singula debita tam *punctus liquidi*, quam punctus *prioritatis* inuestigari debent; 3) quo facto *ipsa massa concursus inter creditores distribuenda.* Ex bonis debitoris obaerati enim expletio obligationum vere talium fieri debet.

§. 400.

Ad massam concursus constituendam requiritur 1) *separari res quae debitor obaeratus tempore ortii concursus quidem detinet, at res alienae sunt quae dominis eas reposcentibus, probato dominio, sint restituendae;* 2) *reuocari quae debitor obaeratus in fraudem creditorum alienauit*, id est, quae alienauit

vit postquam iam obaeratus fuit, ita, vt patrimonium suum diminuerit per illam alienationem, *ab iis qui in lucro sunt.* Ex iis rebus enim quae ad debitoris bona nunquam pertinuerunt, solutio debitorum suorum fieri nequit; sed ex iis facienda quae ad patrimonium pertinent, quorsum etiam referri debent alienata in fraudem creditorum, quoniam debitor obaeratus nihil valide agere potest, quo patrimonium suum diminuitur. §. 398.

§. 401.

Quod attinet punctum liquidi et prioritatis, quoad singula debita, tam quod et quantum debitor obaeratus debeat, quam tempus contractae obligationis per probationem euincendum a singulis creditoribus, si vel debitor obaeratus, vel concreditores vnum alterumue negant, et creditor non solum debitam sortem, sed et debitas vsuras, quae currunt vsque ad diem solutionis, petere potest ex massa concursus. Quoad prius enim haec pertinent ad facta quibus ius innititur, de quorum veritate, negantibus concreditoribus, immo ipsi debitori, quippe quorum interest de vtroque constare, absque probare constare nequit. Ergo §. 396. Quoad posterius nulla allegari potest ratio, cur de debito vsurarum non idem valere debeat, quod de debito sortis valet, et vsurarum ante solutionem cursum sistere debeat concursus creditorum.

§. 402.

In distributione massae concursus 1) *deducendi sunt a tota massa summus concursus*, tumque II) *singula*

gula debita sunt soluenda singulis creditoribus secundum ordinem temporis quo quodlibet debitum contractum, ita, vt nec debiti qualitas alia quaecunque, nec creditoris qualitas quaecunque, aliquam operari possit praerogatiuam. Qui enim iam debet, nouum debitum non nisi eatenus contrahere potest quoad effectum solutionis, quatenus ius prioris creditoris iam quaesitum eo non laedatur. Idem etiam fluit ex iis, quae de quiescentia iuris propter collisionem supra §. 349 dicta sunt. Sumtus concursus vero de integra massa deducendos esse, antequam creditoribus satisfit, inde fluit, quod sumtus soluere debeat, qui eos causauit, qualis est debitor obaeratus.

ERNST. IO. FRID. MANTZEL. Diss. exhibens *nonnulla prima iuris vniuersalis de concursu creditorum.* Rost. 1752.

LIBER II.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS GENERALIS SOCIALIS.

L. F. LANGEMACK *Allgemeines gesellschaftliches Recht.* Berlin 1745. 8.

§. 403.

Absoluta iurisprudentia naturali generali stricte sic dicta, sequitur iurisprudentia naturalis generalis socialis (§. 39.), in qua generalissima de societatibus principia explicanda. Reduci vero possunt ad ea quae de *societatibus in se spectatis* in genere praemittenda, et quae de *speciebus societatum*, nec

nec non earum *ortu et interitu, membrorum societatis diuersitate modisque quibus talia sunt et esse desinunt*, et tandem de *variis sociorum* et *societatum conuentibus* tam, quam eius *conclusis*, generatim valent.

SECTIO I.

DE

SOCIETATIBVS IN SE SPECTATIS IN GENERE.

§. 404.

Varia themata quae huc pertinent ita per singulos titulos digerenda, vt de *societatis definitione, constitutiuis, iuribus, obligationibus, possessione, imperio, potestate, directorio et officiis* agendum.

TIT. I.

DE

SOCIETATIS DEFINITIONE ET CONSTITVTIVIS SOCIETATVM.

§. 405.

Societas in genere est coniunctio plurium ad eundem finem non transitorium coniunctis viribus obtinendum; licet saepe etiam pro ipsa multitudine hominum, finis cuiusdam consequendi causa iniri sociatorum, sumatur. In hoc sensu generali vero vel *societas bonorum*, vel *societas personarum* est; de qua vltima specie hic agendum, estque societas cuius finis communio eius quod nostrum est, vel fit, non est.

§. 406.

Ex generali societatis, et in specie societatis personarum definitione patet, *ad omnem societatem personarum requiri*, a) *duos vel plures homines quorum intellectus voluntas et vires tendunt ad idem*; b) *finem communem non transitorium, qui non est rerum communio*; c) *consociationem ad hunc finem obtinendum.*

§. 407.

Quoad primum societatis essentiale speciatim notandum, 1) *eos qui in societate sunt simul sumtos personam moralem esse* (§. 46.); 2) quodlibet horum individuorum quae hanc personam moralem constituunt, dici *membrum societatis* seu *socium*, et reliquos homines in relatione ad societatem *extraneos* appellari.

§. 408.

Quoad secundum societatis constitutivum vero notandum, non impeditum progressum ad finem societatis *salutem societatis*, ipsum finem quatenus obtinetur *bonum commune societatis*, appellari. Et cum, vt facilius obtineri possit finis societatis, et omnia ordine atque decenter fiant, opus sit certa interna eius constitutione, inde oritur *societatis politia*, quae est ipsa interna eius constitutio.

§. 409.

Tandem quoad tertium societatis constitutivum notandum *communionem plurium ad finem vel ex lege esse, veluti si lex obligat ad finem communem obtinendum duos vel plures, vel ex libera voluntate eorum qui societatem ineunt.*

TIT.

TIT. II.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS NEC NON POSSESSIONE SOCIETATVM.

§. 410.

Quae de *obligationibus* §. 165. seqq. de *iuribus* §. 226 seqq. nec non de *possessione* §. 355. seqq. dicta sunt, facile ad societates, quippe quae morales personae sunt (§. 407.), applicari possunt. Quid itaque sit *obligatio societatis*, quid *ius societatis* pro facultate morali agendi sumtum, quid *possessio societatis*, et quae *de diuisionibus* iurium, obligationum et possessionis, de obligatione *contrahenda, dissoluenda et corroboranda*, de iure *acquirendo, amittendo* et *conseruando*, de possessione *acquirenda, amittenda* et *retinenda* dicta sunt, speciatim quoad societates et in applicatione ad eas hic repeti necesse non est. Vnde quae hic dictis addenda sunt, redeunt ad diuisionis obligationis in obligationem *societatis* et *singulorum*, nec non iuris in ius *societatis* et *singulorum*, explicationem. Haec diuisiones enim non nisi praesupposita societate concipi, hincque hic demum explicari possunt.

§. 411.

Est vero obligatio in relatione ad societatem considerata vel *obligatio societatis*, si est, saltem ab origine fuit, penes societatem, seu ipsa societas est obligata, vel *obligatio singulorum*, si est penes vnum vel plura membra societatis, sicque ipsa societas obli-

obligata non est, et obligationes societatum vel *sociales* seu *originariae obligationes* sunt, si societati qua tali incumbunt, sicque ex sola societatis natura per se fluunt, vel *contractae*, si societati qua tali non incumbunt, sicque societas eas contraxit.

§. 412.

Similiter et ius in relatione ad societates est, vel *ius societatis*, si est, vel saltem ab origine fuit, totius societatis, sicque omnium sociorum simul sumtorum, ius, vel *ius singulorum*, si est ius vni vel certis sociis proprium. Vnde facile patet, quando causa in societate obueniens sit *causa iura singulorum concernens*, tum nimirum, si punctus nunc definiendus concernit iura vni vel certis sociis propria (§. 107.), et *in his causis membra societatis pro vna persona haberi non posse.*

§. 413.

Iura societatum sunt vel *socialia* seu *originaria*, vel *iura societatum contracta*, prout vel talia sunt quae societati qua tali competunt, et per consequens vel ex natura societatis in genere, vel ex speciali fine huius vel illius societatis concipribilia sunt et ponuntur posita societate, vel non *socialia* seu *acquisita*, si societati qua tali non competunt, sicque vi specialis tituli acquisita sunt.

§. 414.

Licet ius concernat iura societatis, immo ipsum ius societatis sociale ab origine sit, tamen ius singulorum esse potest. Nec minus ius potest esse ius socie-

societatis et in specie ius societatis sociale, licet concernat ius singulorum. Per §. 412.

§. 415.

Iura societatum socialia cum ipsis societatibus oriuntur, et originaliter penes omnia membra societatis simul sumta sunt. Per §. 412.

§. 416.

Quoties ius vel tale est, quod versatur circa ea quae omnia societatis membra concernunt, vel eius indolis est, vt per eius exercitium aliquid determinetur quod facit ad obtinendam et promouendam salutem societatis, siue per se hoc fiat, siue per modum medii ad eam, vel directo promouendam, vel auremouenda impedimenta eius, ius sociale est. Quotiescunque vero ius versatur circa tale quid, quod nullam habet ad societatem respectum, vel licet circa tale quid quod ad societatem respectum habet versetur, attamen socius vel plures socii tale ius ipsum acquisierunt, vel ius proprium circa talis iuris exercitium est, ad iura singulorum referri debet Per §. 412.

ERNST. CHRIST. WESTPHAL. *de iure singulorum.* Halae 1757.

§. 417.

Societas de suis iuribus socialibus disponendi arbitrium habet, et socii dum ordinare volunt politiam societatis inter se conuenire possunt, an ea sibi retinere vel in personam vnam vel plures coniunctim; an omnia vel nonnulla; an certa lege vel sine illa lege; an reuocabiliter vel irreuocabiliter; an ad certum tempus vel ad dies vitae; an tanquam transmissibilia in certos alios, vel tanquam non transmissibilia;

fubilia; an ſaltem quoad exercitium vel quoad iura ipſa, tranſferre velint. Per §. 415.

TIT. III.

DE IMPERIO SOCIETATVM.

§. 418.

Praecipuum quoddam ius ſociale ſocietatum eſt *imperium ſocietatis*, quod eſt ius proprium dirigendi actiones ſociorum ita, prout eas dirigi ſalus ſocietatis poſtulat. Hinc *non omne ius ad directionem actionum alius hominis imperium eſt.*

§. 419.

Natura nulli hominum competit imperium in alium, ſed potius omne imperium interueniente facto humano eſt introductum, et originem debet ſocietati ita, ut poſita ſocietate ponatur imperium, et non niſi ex ſocietate imperium ortum trahere poſſit. Exinde quod natura homines viuant in libertate naturali (§. 257.), in ſyllogiſmum adhibita imperii notione (§. 418.) veritas huius propoſitionis per ſe fluit.

§. 420.

Licet nullum imperium a natura ſit, homines tamen potuerint ſaluis naturalibus obligationibus, immo debuerint, imperium introducere, ſi ad perfectionem eorum promouendam requiritur, quod imperio ſe ſubiiciant, et quatenus ad hunc finem requiritur. Per § 180. *Tolli tamen per imperii introductionem libertas naturalis non potuit, ſed potius tantum quieſcit.* Eſt enim ius connatum (§. 257.). Ergo §. 234.

§. 421.

Imperio licet introducto non plane quieſcit libertas naturalis, ſed potius ſuperſunt iura ex libertate naturali reſidua (§. 261.); tamquam actiones ſub imperio, cui ſubiecti ſumus, plane non comprehenſas, quam quoad actiones ſub eo comprehenſas. Prioris generis ſunt omnes, quae finem communem quem reſpicit imperium, plane non concernunt, in quibus determinandis adhuc a nobis ipſis dependemus. Poſterioris generis ſunt quae finem iſtum concernunt, in quibus ab imperium habente dependemus quidem, aſt tamen quoad eas in caſu neceſſitatis reuiuiſcit libertas naturalis, et tunc neceſſitatis tum iterum licet, quod liceret, ſi adhuc adeſſet. (§. 302.).

§. 422.

Porro ex imperii ſocietatis notione facile patet. 1) *Nullum imperium extendi poſſe ad actiones in quas non cadit obligatio* (§. 171.). 2) *Quoad actiones quae imperio ſubiici poſſunt, non niſi eas imperio ſubiectas eſſe, quae influunt in finem ad quem obtinendum ea imperii diriguntur, quae quales ſint, vel non, in genere determinari nequit, quum hoc differat pro diuerſitate ſpecierum imperii.* 3) *Ex omni imperio fluere* a) *ius per poenas ſubiectum ad obſequium perducendi*, vnde oritur ius puniendi a iure puniendi connato (§. 296.) diuerſum, quod *ius puniendi contractum* dicitur; b) *ius eum qui imperio ſocietatis ſubiectus eſt cogendi ad expletionem obligationum perfectarum eatenus, quatenus ſalus ſocietatis requirit earum expletionem fieri*, vn-

de

de oritur iuris perfecutio quae via iuris fit contra eos qui imperio focietatis cuiusdam subiecti sunt, et remedium per quod obligatum, per eum cuius imperio subiectus est, cogimus ad obligationis perfectae explementem, dicitur in sensu generali *actio*, quae remediis per quae perfecutio iuris via facti fit opponitur; c) *ius per voluntatem constituendi leges*, vnde oriuntur *leges positiuae*, quae legibus naturalibus (§. 136.) opponuntur, sunt que leges voluntate eius, cuius imperio alter subiectus est, constitutae.

TIT. IV.

DE SOCIETATVM POTESTATE, DIRECTORIO ET OFFICIIS.

§. 423.

Potestas societatis est complexus iurium societatis tam socialium, quam reliquorum, eiusque exercitium dicitur *regimen societatis*. Cum itaque imperium societatis non nisi species quaedam iurium societatis socialium sit (§. 418.), *potestas societatis latius patet quam eius imperium.*

§. 424.

Directorium societatis est exercitium eorum quae eo faciunt, vt negotia societatis expediri possint, iure proprio competens.

§. 425.

Officium societatis est exercitium certarum reginiinis vel directorii societatis partium, iure administratorio competens.

§. 426.

§. 426.

Potestas societatis originetenus penes totam societatem quidem est, est tamen vel per translationem ab ipsa societate factam, vel alio modo, ab alio, siue sit membrum societatis siue extraneus, acquiri potest, vel ita vt ipsa potestas acquiratur, vel ita vt non nisi ius proprium ad potestatis exercitium seu regimen acquiratur, potestate ipsa penes societatem manente. Per §. 415. 417.

§. 427.

Si potestas societatis adhuc penes societatem est semper est ius plenum, illimitatum et patrimoniale. Si vero ab alio acquisita est ipsa potestas societatis, vel plena vel minus plena, vel limitata vel illimitata, vel patrimonialis vel vsufructuaria vel transmissibilis in certos alios, vel non transmissibilis esse potest. Per. §. 417.

§. 428.

Quod attinet speciatim singula iura in potestate plena contenta, sicque singula iura societatum, quae ex principio generali §. 416. deducenda, ea, quatenus sunt iura societatis socialia, dividi possunt in *generalia*, quae certam partem finis societatis non concernunt, et *specialia*, quae certam finis societatis partem concernunt. Priora simul sumta *potestatem generalem*, posteriora vero *specialem potestatem* constituunt.

§. 429.

Generalia iura socialia, sicque potestatis generalis partes, sunt potestas rectoria, quatenus per

eam determinatur quid agendum vel omittendum; *potestas inspectoria*, quatenus per eam inquiritur, quid actu fiat, vel non; *potestas executoria*, quatenus per eam efficitur actu fieri vel non fieri, quod fieri vel non fieri debet.

§. 430.

Specialia iura societatis, sicque partes potestatis specialis, cum certas finis societatis partes concernant, *pro diuersitate societatum ratione diuersorum finium eorum differunt*, indeque de iis in hac generali de societatibus theoria plura dici nequeunt.

§. 431.

Potestas et directorium societatis in eo differunt inter se, quod potestas ipsa iura societatis in se contineat, non vero directorium. Prout etiam regimen societatis et directorium societatis in eo differunt, quod regimen exercitium ipsius potestatis sit: directorium vero ipsius potestatis exercitium non sit, sed eiusquod se habet per modum medii ad expeditionem negotiorum societatis. Per §. 423. 424.

§. 432.

Officium societatis differt a directorio non solum in eo quod ipsas regiminis partes concernat, sed et in eo quod non nisi administratio sit, per §. 424. 425, esque vel *officium principale*, si est exercitium ipsum certarum regiminis vel directorii partium, vel *officium minus principale*, si non nisi concursum ad hoc exercitium inuoluit.

SECTIO

SECTIO II.

DE

SPECIEBVS SOCIETATVM.

§. 433.

De speciebus societatum partim in genere agendum, partim de nonnullis speciebus societatum, quae tales sunt, vt non per specialem quendam finem, sed potius per suam politiam, a reliquis se distinguant, speciatim agendum, veluti de societatibus *aequalibus, inaequalibus, collegiis* et *corporibus*.

TIT. I.

DE

SPECIEBVS SOCIETATVM IN GENERE.

§. 434.

Species societatum oriuntur 1) *ex finis societatum diuersitate*, qui cum infiniti generis sit, singulae species societatum quae ex hoc fundamento oriuntur hic recenseri nequeunt. Vnde non nisi hoc vnicum hic monendum, ex hoc fundamento societates esse vel *respublicas* seu *ciuitates*, vel *non*, prout finis societatis vel est, vel non est salus publica, quae quid sit suo loco explicandum.

§. 435.

Sunt II) societates ex eo fundamento, quod vel a natura sint, vel sociorum voluntate constitu-

tae (§. 409.) vel *naturales*, vel *non naturales* societates.

§. 436.

Societates III) vel *aequales*, vel *inaequales* sunt Si enim potestas societatis penes vnum vel plura societatis membra est, dicitur *inaequalis*, si non, *aequalis*, de qua diuisione mox ex instituto agendum.

§. 437.

Diuisio societatum IV) in *simplices* et *compositas* hoc innititur fundamento, quod societates dicantur *simplices*, si membra earum sunt personae physicae, *compositae* vero si sunt societates seu personae morales. Simplices societates, vel sunt societates *simplices duorum membrorum*, vel *plurium membrorum*, quae, si sunt aequales societates, generali nomine *collegia* dicuntur. Compositae societates vero vel tales sunt quarum membra sunt societates simplices, quae *compositae minores* dicuntur, vel tales quarum membra sunt societates compositae, quae *compositae maiores* appellantur. Societatum compositarum minorum membra, vel sunt societates simplices duorum membrorum, vel collegia. In priori casu speciale nomen deest, in posteriori casu vero *corpora* generaliter dici possunt, de quibus in sequentibus itidem speciatim agendum.

§. 438.

Ad societatem compositam requiritur duas vel plures societates ad finem quendam communem obtinendum se coniungere. Societas composita enim est

est societas cuius membra sunt aliae societates, societas vero sine fine communi, ad quem obtinendum membra se coniungunt, cogitari nequit (§. 406.).

§. 439.

Hinc fluit: 1) *non omnes societates in quibus membra societates compositae viuunt, esse eas quae sunt societatis compositae membra*; 2) *si eaedem personae singulares se coniungunt ad obtinendos fines a se inuicem diuersos, plures quidem existere societates in quibus viuunt, ast non adesse compositam societatem, sed potius tum vnam societatem alteram pernadere.* Vt itaque *nec omnes societates in societate, nec societates quarum vna pernadit alteram, compositam societatem constituant.*

§. 440.

Sequitur V) societatum diuisio in *perpetuas* et *temporarias*, prout ad certum tempus non sunt initae, vel ad certum tempus initae societates sunt.

§. 441.

Tandem VI) societates vel *licitae*, vel *illicitae* sunt, prout finis earum vel licitus, vel illicitus est.

TIT. II.

DE SOCIETATIBVS AEQVALIBVS.

§. 442.

Cum societates dicantur aequales, si vnus sociorum vel plures eorum non habent potestatem societatis (§. 436.), duplicis generis societates aequales

quales concipi possunt, nimirum tales quarum potestas est penes omnes socios simul sumtos, et tales quarum potestas penes extraneum est. Priores appello *societates aequales cum potestate*, et posteriores *societates aequales sine potestate.*

§. 443.

Cum societates *aequales sine potestate* in societatis negotiis nihil possint, sed regantur per eum cuius potestati subsunt, de iis plura non addo. *Societates aequales cum potestate* vero se ipsas regunt, et, licet adsit directorium, ideo tamen inaequales non sunt, hinc de iis speciatim agendum.

§. 444

Quaelibet societas non naturalis tam diu pro societate aequali cum potestate habenda donec probetur contrarium. Ast, an naturales societates sint aequales, vel inaequales, ex earum natura definiendum. Per §. 426 436.

§. 445.

Si in societatibus aequalibus aliquid definiendum quod concernit iura societatis siue socialia, siue acquisita, per voluntatem membrorum societatis hoc definiendum, quae per conclusum votis collectis, vel in conuentibus societatum cum in finem institutis, vel extra hos conuentus formatum, declaratur. Vnde de harum societatum conuentibus, votis sociorum et conclusis agendum.

§. 446.

Conuentus societatis est congregatio membrorum in vno loco, societatis negotium expediendi causa facta, et vel *status*, vel *imperatus* conuentus est. *Conclusum societatis* vero est voluntas societatis, et *votum* seu *suffragium* dicitur voluntas membri societatis in relatione ad conclusum.

§. 447.

Ius indicendi conuentum et sessiones societatis, proponendi deliberanda, colligendi vota, formandi conclusa, eaque, si opus est, in actum deducendi, sunt iura quae pertinent ad iura directorii. Vi definitionis directorii (§. 424).

§. 448.

Vota varias admittunt diuisiones. Sunt enim 1) vel *virilia*, vel *curiata*, prout vel a singulis individuis ferumtur, vel a pluribus individuis quibus coniunctim non nisi vnum votum competit; 2) vel *vnanimia*, si omnes votantes consentiunt in idem placitum, vel *diuersa*, si non. Diuersa vota vero vel *paria* sunt, si vota in diuersa placita consentientia sunt numero aequalia, vel *disparia*, si numero sunt inaequalia, eaque quorum numerus maior, *maiora*, quorum numerus minor, *minora*, dicuntur. Maiora vota, in casu quo per vota disparia plura quam duo diuersa placita oriuntur dicuntur *absolute maiora*, si maiora sunt in relatione ad numerum votantium: *respective maiora* vero, si sunt maiora in relatione ad vota in vnum reliquorum placitorum consentientia; 3) vota vel *simplicia*, vel *complexa* sunt, prout in plura vota resolui vel nequeunt, vel possunt. Caeterum dantur adhuc vota quae singularibus nominibus ab aliis

distinguuntur, qualia sunt *votum decisiuum*, quo vota paria vertuntur in maiora; *votum commune*, quod est vnum votum plurium, qui singuli votum habent, de quo inter se conuenerunt; *vota sanniora*, quorum de eo, quod fieri debet, iudicium verius est quam reliquorum. Sic dicta *vota negatiua* et *vota consultatiua* autem proprie ad vota referri nequeunt.

§. 449.

Ius votandi est ius vi cuius votum alicuius audiendum et in formando concluso attendendum, et *in iis quae iura societatis concernunt, sicque societatis negotiis, quodlibet societatis aequalis membrum non solum ius votandi habet, sed et vnius membri votum tantum valere debet, quantum valet votum alterius, sicque singulorum vota aequalis sunt valoris, nisi aliter conuentum. Quiescit vero huius vel illius membri ius votandi* 1) *si ei in casu quodam dato renuntiat, quod expresse fieri potest, vt et tacite sit, si ad deliberationem vocatus non comparet, aut discedit voto non dicto;* 2) *si negotium de quo deliberandum tale est quod ad hoc vel illud membrum spectat.* Ex notione voti (§. 446.) enim facile patet, iuris votandi fundamentum esse quod quis sit membrum societatis. Quum itaque fundamentum huius iuris in eo situm quod omnibus sociis commune est, non potest non singulis membris ius votandi aequale competere.

§. 450.

Hinc fluit 1) *vota sanniora* (§ 448.), *ideo quoniam sanniora sunt, praeferenda non esse;* 2) *non dari votum*

votum decisiuum (§. cit.) *quod ex natura societatis fluit, ita vt nec votum eius penes quem est directorium per se tale sit.*

§. 451.

In colligendis votis is obseruandus est ordo qui in societate in aliis locum habet. Licet tamen ei qui votum iam tulit, mutata sententia calculum suum adiicere votis sequentibus, quamdiu nihil fuerit conclusum. Dependet enim saepe voti vis a prioritate in ordine, et quamdiu nihil conclusum nullius interest an votum mutetur, vel non.

§. 452.

Vota dicuntur *numerari*, si numerus votorum consentiendum in idem placitum per computum determinatur. *Ponderari* vero dicuntur, si inquiritur, quae ex votis diuersis sint sanniora. In numeratione votorum ea vota dicuntur *coniungi*, quae inter se vt vnitates numerum efficientes assumuntur, quae non, dicuntur *separari*.

§. 453.

Si votis collectis ea numeranda sunt 1) *vota, si quae adsunt, complexa, resoluenda sunt in vota simplicia;* 2) *plura simplicia vota singulorum membrorum simul ab iis latorum, a se inuicem secundum diuersa themata deliberationis secernenda;* 3) *non nisi ea coniungenda sunt quae prorsus eadem sunt, nec quae in genere quidem conueniunt, at differunt in specie, coniungi possunt;* 4) *quo facto ad ipsum computum progrediendum.* Vota enim sunt vnitates ex quarum coniunctione oritur numerus, qui

eſt vaiatum earundem multitudo. Quae cum ita ſint, in ſubſidium adhibita definitione §. praec. obvia, praeſens problema de votorum numeratione recte reſolutum eſſe patebit.

§. 454.

Votis collectis et numeratis ex iis formandum concluſum, collectio votorum vero vel *in conſeſſu* ſocietatis, *vel extra conſeſſum* fit per ſcripta vota. Hinc oritur ea concluſorum ſocietatis differentia, quod ſint vel concluſa ex votis verbalibus in conſeſſu ſocietatis latis formata, vel non. In priori caſu dicuntur, quod attinet collegia, *concluſa collegialia*, in poſteriori vero *extra collegialia*. In ſocietatis conſeſſu vero iterum duplici modo concludi poteſt, vel ita vt ſingula membra ſecundum votandi ordinem ſigillatim vota ferant, vel ita vt haec formalitas non obſeruetur. Si prius concluſum *per vota collecta formatum concluſum*, et ſi poſterius *concluſum votis non collectis formatum*, dici poteſt, et *prius locum habet ſi, poſtquam in conſeſſu ſocietatis aliquid propoſitum ad deliberandum, ſingulorum votis nondum collectis iam apparet omnia membra in idem conſentire placitum.*

§. 455.

Si concluſum praeuia votorum collectione formandum, hoc prius fieri nequit quam poſtquam ſinguli votum ſuum tulerunt, licet omnium votis nondum auditis iam appareat a leſſe maiora. Per §. 451.

§. 456.

Si votis a ſingulis latis ex iis concluſum formandum, ſemper vota ſunt numeranda nunquam ponderanda

randa (§. 452.). Numeratis vero votis aut adſunt *vnanimia*, aut *non*, et, ſi vnanimia non adſunt, aut adſunt *paria*, aut *diſparia* vota. De ſingulis his caſibus itaque ſigillatim agendum.

§. 457.

Si votis collectis adſunt vnanimia haec concludunt. Quod enim ſingula indiuidua volunt eſt voluntas perſonae moralis (§. 45 .), ergo eſt concluſum ſocietatis, quippe quae perſona moralis eſt (§. 446. et 407.).

§. 458.

Si votis collectis adſunt vota diuerſa *quidem ſed* paria, *ſiue in duo, ſiue in plura diuerſa placita, nihil concluditur ſeu deeſt concluſum. Res itaque manet in ſtatu in quo nunc eſt, ſi in eo manere poteſt* et tum obtinet vulgo ſic dictus *calculus Minervae. Si vero in eo manere non poteſt, aut conſultatio repetenda donec perueniatur ad vota quae concludunt, aut per ſortem determinandum quae ſententia vincere debeat.* Sunt enim vota ſociorum eiusdem valoris (§. 449.), ſique res in ſtatu, in quo eſt, manere nequit, quod per vota fieri nequit alio modo fieri neceſſe eſt.

Io. Vlr. L. B. de CRAMER Pr. *Calculo minervae ſuas terminos vindicans.* Marb. 1733. Opp. Tom. II. n. XVIII.

§. 459.

Si votis collectis adſunt vota diuerſa *quae ſunt* diſparia, *in iis quae iura ſocietatis concernunt, ſeque negotiis ſocietatis, maiora concludunt, quae, ſi non niſi*

nisi duo placita votantium adsint, semper simul absolute et respective maiora sint. Secus vix aut plura votantium placita adsint, vel absolute maiora esse possunt, vel tantum respective talia, unt, licet sint tantum respective maiora, tamen concludant. In causis iura singulorum concernentibus vero vota maiora non concludant. Vi eorum quae de personae moralis, qualis est societas (§ 407.), voluntate valent et nominis iurium societatis collegialium (§. 412.) tam, quam concubi societatis § 492.). Praesertim vero, quod etiam vota respective maiora sufficiant, inde, est, quoniam placito pro quo sunt, pauciſſima vota semper aduersantur.

Io. VER. L. B. de CRAMER Pr, *id quod iustum est circa votorum disparitatem ex pari suffraganeum iure defluens.* Marb. 1734. et opusc. Tom. II. n. XIX.

§. 460.

Casus à iure maiorum excepti dicuntur, in quibus maiora non concludunt, seu, id quod plurima societatis membra volunt dissentientes non obligat. Vnde patet, *secundum ius naturae non nisi vnicum eum casum a iure maiorum exceptum concipi posse quo conclusum per maiora formatum in causa ius singulorum concernente. §. praec.*

§. 461.

Itio seu *secessio in partes* fieri dicitur, si certi generis membra societatis aequalis in hanc, membra alius generis vero in aliam, sententiam consentiunt. *Si*

Si itaque *per leges societatis constitutum esset, toties, quoties sit itio in partes, pluralitatem votorum non esse attendendam, casus quo itio in partes fit est casus a iure maiorum exceptus.*

§. 462.

Si per leges societatis constitutum, itionem in partes casum a iure maiorum exceptum esse, distinguendum est an lex de nudo facto itionis in partes, an vero de voluntate eiusdi, loquatur. In priori casu *omnia ea membra societatis eiusdem generis, quorum itioni in partes hic effectus concessus est in partes, ire necesse est, vt adsit casus a iure maiorum exceptus.* At in posteriori casu *sufficit per maiora vota membrorum huius generis conclusum esse formatum, quod concluso societatis per maiora formato se opponere velint.* Si enim prius, casum a iure maiorum exceptum existere dici nequit ideo, quoniam ea membra certi generis, quorum itioni in partes effectus vim pluralitatis votorum impugnandi tribuitur, volunt in partes ire. Licet itaque, quod plures in causa communi volunt, per votorum pluralitatem determinari possit, hoc tamen non nisi in casu secundo applicari potest, in quo, non quod eant, sed quod ire velint, efficere potest pluralitatem votorum non esse attendendam.

§. 463.

Conclusum societatis aequalis totiesq; mutari potest, quoties tertii ius quaesitum per hanc mutationem non laeditur. Requiritur vero hanc mutationem, vel per vnanimia fieri, vel saltem per vota contraria

contraria omnium eorum, per quorum vota maiora concluſum nunc mutandum formatum eſt. Prius per hypotheſin facile patet. Poſterius vero inde deducendum, quod vnanima vota concludant. Aſt licet et maiòra concludant, hic tamen obſtat ius quaeſitum ſingulorum quorum votis plurimis concluſum formatum.

§. 464.

Caeterum concluſum ſocietatis eſt, vel *lex* vel *non*, prout vel eſt regula generalis ſociis praeſcripta ſecundum quam actiones ſuas determinare obligantur (§. 135.), vel non. Cum vero vi imperii in poteſtate ſocietatis contenti concluſum, quod lex eſt, formetur (§. 418), tale concluſum ſocietatis aequalis, quod eſt lex, eſt *poſitiua lex* (§. 136.) quae vt ab aliis legibus poſitiuis, in ſocietatibus inaequalibus obuenientibus, diſtingui poſſit, ſub *legis conuentionalis* nomine venit; cum, licet non vi pacti obliget, ſed vi imperii cui ſingulī ſocii ſubiecti ſunt, conuentionem membrorum ſocietatis tamen, prout concluſum omne, in ſe continet. Sive vero hae leges politiam et regimen ſocietatis concernant, ſiue nón, perinde eſt, cum, licet tum in materia differant, in *forma* et *modo obligandi* tamen non differunt. Interim per me liceat ſecundum hanc differentiam leges ſocietatum aequalium conuentionales in *fundamentales* et *non fundamentales* diuidere.

TIT.

TIT. III.

DE SOCIETATIBVS INAEQVALIBVS.

§. 465.

Societates inaequales ſunt vel ſocietates inaequales *perfecte tales*, ſi tota poteſtas ſocietatis penes vnum vel plura membra ſocietatis ſimul ſumta eſt, vel non niſi *imperfecte tales*, ſi quaedam iura in poteſtate ſocietatis contenta adhuc penes ſocietatem ſunt. Societas perfecte inaequalis vero iterum abit in *limitatam*, et *illimitatam*, prout poteſtas quae penes vnum vel plura ſocietatis membra eſt, vel limitata, vel illimitata eſt. (§. 244).

§. 466.

Quod ſocietas ſit inaequalis, et qualis inaequalis ſocietas ſit, pertinet ad politiam ſocietatis. Per §. 408.

§. 467.

Et in ſocietatibus inaequalibus tum *conuentus* et *concluſa ſocietatis per vota ſociorum formanda* obueniunt, ſi vel imperfecte inaequales ſunt, vel, licet perfecte inaequales ſint, limitatae tamen ſunt in eo, quod iura quaedam in poteſtate contenta ad conſenſum aliorum, qui ſocietatem conſtituunt, adſtricta ſint. Per §. 465. De hisconuentibus et concluſis vero tum valent, quae de aequalium ſocietatumconuentibus et concluſis dicta ſunt §. 446. ſqq.

§. 468.

Quod ſpeciatim attinet leges ſocietatum inaequalium, eae vel *leges fundamentales* ſunt, quae

per

per pactum inter fodetatem et eum vel eos, in quem vel quos, potestas ciuilis, vel in totum, vel in tantum transfertur, initum, constitutae et societatis politiam et regimen concernunt, vel *non fundamentales*, quae per eius qui imperium societatis habet nudam dispositionem (§. 149.) constituuntur, et singulorum sociorum actiones concernunt. Quae cum ita sint, *sic dictae leges fundamentales societatum inaequalium potius pacta fundamentalia dicenda*, cum proprie et in sensu strictissimo leges non sint (§. 135.), *non fundamentales leges vero sunt leges in sensu proprio est strictissimo* (§. cit.) et quidem *legum positiuarum species* (§. 136.) *quae tamen differunt a legibus societatum aequalium conventionalibus* (§. 164.), cum licet pro diuersitate specierum societatum inaequalium, moxper nudam dispositionem, mox etiam per conclusum societatis cuiusdam constitui possint, nunquam tamen per omnium sociorum conclusum constituantur, sicque non *vi conventionis, sed vi imperii quod penes earum auctorem est, obligent singulos socios.*

TIT. IV.

DE

COLLEGIIS ET CORPORIBVS

§. 469.

Cum collegia §.437. definita sint species societatum et quidem aequalium, quae de societatibus in genere et in specie aequalibus societatibus dicta sunt, ad collegia applicanda. Cum vero ad singulas collegiorum species quae oriuntur ex finis diuer-

diuersitate, hic descendere non licear, generalis theoria de collegiis redit ad applicationem principiorum generalium de societatibus, quae nec ullis difficultatibus inuoluta, nec specialia quaedam hic obueniunt, nisi huc referre velis, iura societatis quoad collegia, *collegii iura*, et obligationes societatis *obligationes collegii*, sique sunt iura collegii socialia et obligationes sociales, *iura collegialia* et *obligationes collegiales* appellari. Plura de collegiis itaque non addo, nisi quod, cum dentur quaedam collegia quae ratione politiae suae singularia quaedam habent, et *irregularia* ideo dici possent, de iis quaedam addenda.

§. 470.

Ad talia collegia referri possunt quorum iura collegii certis membris concessa. Quodsi itaque tale datur collegium, illa membra, quibus iura collegii concessa peculiare constituunt collegium, quod *repraesentatitium collegium* appellari potest, et tum, *quae de toto collegio valent, ad collegium repraesentatitium applicanda.* Sic e. g. ius votandi non singula membra, sed membra collegii repraesentatiui habent, quorum vota sunt instar votorum omnium; conclusum collegii repraesentatiui est conclusum totius collegii eius.

§. 471.

Porro ad talia collegia referri possunt quorum certis membris hoc, vel haec, aliis aliud, vel alia, collegii iura expedienda committa. Quodsi itaque

que talis eſt collegii politia, quaelibet particularis conſociatio nonnullorum membrorum dici poteſt *deputatio*, *quarum quaelibet* itaque *non repraeſentat totum collegium*, *ſed potius collegio manet ſubiecta in rebus collegii*, ſicque e. g. deputationis concluſum non eſt collegii, cuius deputatio eſt, concluſum. Aſt, cum tamen quaelibet deputatio ſit ſocietas, *in iis quae deputationi commiſſa ſunt, ad eam applicanda ſunt quae de ſocietatibus in genere dicta ſunt.*

§ 472.

Quod porro attinet corpora ſupra §. 437. definita, ea differunt quidem pro finis diuerſitate, aſt haec differentia hic non niſi, catenus attendenda, quod finis corporis, vel talis finis ſit in quem influunt fines collegiorum ita, vt, quorſum tendunt fines collegiorum in particulari, eo generaliter tendat finis corporis, ſicque fines collegiorum ſint fini corporis ſubordinati, vel non.

§. 473.

Collegia in deputationes diuiſa quorum §. 471. *mentio facta, in multis quidem cum corporibus conveniunt, aſt tamen talia collegia et corpora differunt inter ſe in eo, quod* 1) *corporis membra ſint ipſa collegia ex quibus corpus compoſitum eſt, non vero collegii membra ſint ipſae deputationes ſed potius ſingulares perſonae;* 2) *corpus habeat finem a finibus ſingulorum collegiorum illud conſtituentium diuerſum, licet fines ſingulorum collegiorum ſubordinati eſſe poſſint*

fini totius corporis; aſt collegium in deputationes diuiſum non habeat finem a finibus deputationum diuerſum, ſed potius deputationes conſtituantur vt adminiſtrent ſibi commiſſum negotium collegii vnicum, vel plura ſibi commiſſa, ſicque finis deputationis ſit pars finis totius collegii. Singulae hae differentiae ex corporis et collegii in deputationes diuiſi notionibus facile deduci poſſunt.

§. 474.

Caeterum quae de ſocietatum conventibus et concluſis dicta ſunt §. 46. ſqq. ad corpora et collegia applicanda ſunt, vbi tamen, quod corpora attinet, notari meretur, quoad 1) *conventum corporis, aut ſingulorum collegiorum, quae corpus conſtituunt, ſingula membra conuenire, aut ex ſingulis collegiis nonnulla vel vnum tantum membrum, quae vel quod totum collegium repraeſentat*, indeque conventus corporis in priori caſu *veros*, in poſteriori *repraeſentatiuos* dici; 2) *vota, aut ſingula membra collegiorum quae corpus conſtituunt votum habere in conventibus corporis, aut quodlibet collegium non niſi vnum votum habere, tamque in primo caſu vota virilia, in poſteriori curiata vota eſſe* (§. 448.), *et in hoc caſu votum curiatum cuiuslibet collegii eſſe, in relatione ad collegium cuius votum eſt, concluſum eius, in reſpectu ad concluſum corporis vero votum* (§. 446.); 3) *ſingulorum collegiorum iura collegii eſſe in reſpectu ad corpus iura ſingulorum* (§. 412.); 4) *directorium, varia concipi poſſe directoria ſi ſocietas eſt*

corpus, veluti directorium totius corporis, quod est *directorium generale*, et singulorum collegiorum directoria, quae sunt *directoria specialia*.

SECTIO III.

DE

SOCIETATVM ORTV ET INTERITV, EARVM MEMBRIS, ET MODIS QVIBVS EA TALIA FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 475.

Quatuor momenta, quae loquitur huius sectionis inscriptio, nunc sigillatim in tot titulis sunt consideranda.

TIT. I.

DE

SOCIETATVM ORTV ET INTERITV.

§. 476.

Quod attinet societatum ortum, duplici modo concipiendum esse ortum societatum, prout vel naturales, vel non naturales sunt, ex dictis §. 435. per se patet.

§. 477.

Si societas non naturalis oritur per consociationem voluntate eorum qui certum finem coniunctis viribus obtinere volunt, mediante pacto societas oritur (§. 150.), et praeter hoc pactum ita initum

tum, vt sibi promittant duo vel plures, quod coniungere velint vires suas ad obtinendum certum finem communem, ad constituendam societatem nihil aliud requiritur, nisi socii inter se conueniant de alio termino a quo, vel per finis naturam alius terminus a quo determinari possit. Per §. 405.

§. 478.

Quoties societas est *licita societas*, homines in libertate naturali viuentes pro lubitu eam constituere, et pro lubitu quem volunt admittere, vel recusare, possunt. Si vero est *illicita*, si ideo illicita, quoniam *officiis sociorum erga se ipsos repugnat societatis finis*, reliqui hoc pati debent: si ast ideo illicita quoniam *finis repugnat officiis erga alios*, reliqui homines iure securitatis (§. 285. sqq.) vti possunt contra talem societatem.

§. 479.

Societatem dissolui seu interire, vel fit per *mortem*, siue omnium membrorum nouis plane deficientibus, siue vnius si est societas simplex duorum membrorum, vel *alio modo*. Dissolui vero alio modo praeter mortem societatem contingit, si 1) *finis obtentus*; 2) *finem obtineri plane impossibile esse constat*; 3) *socii per dissensum tollunt societatem, quod tamen quoad societates naturae constitutae locum habere nequit*; 4) *tempus praeterlapsum est societatis est temporariae societas*; 5) *in societatibus duorum membrorum alter sociorum a societate recedit*.

TIT. II.

DE MEMBRIS SOCIETATVM.

§. 480.

Membra cuiuslibet societatis in eo differunt inter se, quod sint vel *membra vulgaria*, quae per quandam peculiarem qualitatem societatem concernentem a reliquis membris se non distinguunt, vel *non vulgaria*, quae ima a reliquis membris se distinguunt.

§. 481.

Non vulgaria societatis membra sunt quoad societates aequales, vel *director* seu directores, vel *officiales* societatis, prout vel directorium societatis (§. 424), vel officium societatis (§. 425.), est illa qualitas per quam a membris vulgaribus se distinguunt.

§. 482.

Quoad societates inaequales vero membra non vulgaria sunt *rector societatis* seu *imperans*, quo nomine venit id membrum, seu ea membra societatis simul sumta, penes quod, vel quae, est potestas societatis, et *officiales societatis*, penes quae est societatis officium. Quodsi nunc rector societatis non est vnum membrum, sed plura membra simul sumta rector sunt, vel inter haec plura membra potestas societatis est in completa communione (§ 248.), tunque dicuntur *comperantes*; vel potestas est inter eos ita diuisa, vt hae partes speciales

ciales sint penes hunc, aliae penes alium, tuncque dicuntur singuli *imperantes minus pleni*; vel potestas ipsa quidem tota penes vnum ex his pluribus est, ait tamen ad exercitium vel omnium, vel nonnullorum iurium in ea contentorum, concurrunt reliqui vi iuris a potestate ipsa diuersi, tumque prior dicit posset *imperans incompletus*, posteriores vero *imperantis adiuncti* appellandi.

TIT. III.

DE

MODIS QVIBVS MEMBRA SOCIETATVM TALIA FIVNT.

§. 483.

Membrum societatis in genere tale fit vel *originarie*, si quis, dum societas constituitur, eius membrum fit, vel per *receptionem*, si societas iam constituta declarat quod, qui hactenus extraneus fuit, pro membro imposterum habendus.

§. 484.

Ius determinandi an extraneus in numerum membrorum societatis sit recipiendus, vel non, est ius societatis sociale. Receptio noui membri enim omnes socios aequaliter concernit. Ergo §. 416.

§. 485.

Si quis membrum societatis factus est, vi huius status quem sibi acquisiuit iura et obligationes

eius eatenus alterantur, quod quoad 1) *obligationes, nunc perfecte obligatus sit ad faciendum quae ad finem societatis consequendum facere potest, et quod, vt ab eo fiat, specialiter conuentum est;* 2) *iura, ea iura quae, si extra societatem constitutus esset, haberet, nunc non nisi eatenus habeat, quatenus cum dicta obligatione, quam vt socius contraxit, subsistere queunt: licet et acquirat per hunc statum noua iura, nimirum iura obligationibus consocii vel consociorum, quae sunt illae obligationes quas quilibet socius prout dictum contrahit, respondentia, quae in societate simplici ex duabus personis constante solus, in reliquis cum caeteris membris conuenctim, habet.* Vnde porro patet: *vnicum fundamentum ex quo iura et obligationes sociorum qualitas definiri possint esse finem societatis.* Per §. 405.

§. 486.

Qualitates eorum qui socii esse possunt, in genere ex natura societatis non nisi eatenus determinari possunt, vt tot et tales ad societatem requiri personas, quot et quales ad finem societatis consequendum sufficiant. Per §. 405.

§. 487.

Quod attinet in specie modos quibus membra societatum non vulgaria, veluti in societatibus inaequalibus imperans seu rector societatis (§. 482.), in aequalibus director (§. 481.), et in vtriusque generis societatibus officiales societatis (§. 481. 482.), talia fiunt, hic generatim notandum *imperantium, directo-*

rum et officialium constitutionem pertinere ad iura societatis, cuius imperantes, directores et officiales sunt, socialia (§. 416.). Ipsa constitutio vero variis modis fieri potest, veluti ad tempus vel non, quod in applicatione ad singulas societatum species, et in specie ad rempublicam, suis locis specialius determinandum.

TIT. IV.

DE

MODIS QVIBVS MEMBRA SOCIETATVM TALIA ESSE DESINVNT.

§. 488.

Socius in genere talis esse desinit, vel *dissoluta* societate per eius dissolutionem (§. 479.), vel ea *subsistente*. In vltimo casu vero socius talis esse desinere potest si 1) *recedit a societate*, id est, socius amplius esse non vult; 2) *excluditur*, id est, societas eum pro socio amplius agnoscere non vult.

§. 489.

Socius in regula a societate recedere nequit. Per §. 485. Attamen dantur tamen casus in quibus socius licite recedere potest, veluti si 1) *societas consentit;* 2) *vi iuris necessitatis licita sit recessio a societate* e. g. si socius sine damno suo socius manere nequit.

§. 490.

Socius in regula a societate excludi nequit. Per §. 485. Est vero tum per modum exceptionis a regula exclusio a societate licita, *si vi iuris necessitatis sit* e. g. si societas sine damno eum amplius pro socio agnoscere nequit.

§. 491.

Quod in specie attinet non vulgaria societatum membra, veluti *Imperantes*, *Directores* et *Officiales* societatum, qualitates has amittere possunt variis modis, de quibus potius infra in applicatione ad singulas societatum species, quam hic, agendum.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA.

THEORETICA SECVLARIS ALLODIALIS CIVILIS.

§. 492.

Absoluta introductione in iurisprudentiam naturalem, sequitur singularum partium eius tractatio. Quum vero partes eius sint *iurisprudentia naturalis stricte sic dicta*, et *iurisprudentia naturalis ciuilis* (§. 11.), nunc iurisprudentia naturalis stricte sic dicta explicanda. Haec quum abeat in *theoreticam* et *practicam* partem (§. 12.), pars theoretica praemittenda, et quidem ex partibus eius, quae sint *secularis* et *ecclesiastica* iurisprudentia (§. 13.), primo secularis, et ex huius duabus partibus, *allodiali* et *feudali* (§ *cit.*), prior, allodialis scilicet, praemittenda. Aft cum ea iterum vel *ciuilis*, vel *criminalis* sit (§. *cit.*), praemissa ciuili, criminalis iurisprudentiq naturalis stricte sic dicta explicanda.

§. 493.

Hominum extra respublicas viuentium iura et obligationes naturales, quae ad hanc partem iurisprudentiae naturalis referri debent, partim officia hominum erga *se ipsos*, partim officia eorum erga

erga *alios* tam *absoluta*, quam *hypothetica* concernunt (§. 170. 175.). Cum vero officia erga nos et erga alios absoluta paucis absoluenda, et potissimum hypothetica officia hic tractanda, praemissa brevissima, theoria de officiis prioris generis, posterioris generis officia ex instituto hic explicanda sunt.

PARS I.
DE
OFFICIIS ERGA NOS ET ERGA ALIOS ABSOLVTIS CONNEXISQVE CVM IIS IVRIBVS.

§. 494.

Theoria hic explicanda abit in doctrinam de officiis *erga nos* et officiis *erga alios absolutis*.

SECTIO I.
DE
OFFICIIS ERGA NOS.

§. 495.

Summa officiorum hominum erga se ipsos est, quod ad bona animi, quae animam, *corporis*, quae corpus, *et fortunae*, quae statum externum perficiunt, *quatenus in potestate eorum sunt, consequenda sint obligati; id quod de malis contrario sensu valet* (§. 186.).

§. 496.

Si ergo *dantur ad perfectionem hominis promovendum necessaria, quae non in omnium potestate sunt, ad ea consequenda non obligantur nisi ii quorum*

rum in potestate ista sunt. Hinc que *dantur officia erga nos quae omnibus hominibus communia, et talia quae non omnibus hominibus communia, sed huic vel illi homini propria sunt.*

§. 497.

Homo noscere debet 1) *perfectiones et imperfectiones*; 2) *usum facultatum humanarum ad perfectionem consequendam et imperfectionem arcendam*, vtpote et 3) *se ipsum.* Nisi enim harum rerum cognitione instructus, officiis erga se ipsum satisfacere nequit (§. 495.).

§. 498.

Summum bonum hominis seu *beatitudo philosophica* est non impeditus progressus ad maiores continuo perfectiones, *ad quod obtinendum quilibet homo obligatus est.* Per definitionem et §. 495.

§. 499.

His de officiis erga nos in genere praemissis, specialioria quoad officia haec ratione 1) *animae*; 2) *corporis*; 3) *status externi* addenda sunt.

TIT. I.
DE OFFICIIS ERGA NOS QVOAD ANIMAM.

§. 500.

Homo 1) *conseruare debet quaslibet animae facultates quibus a natura instructa est, quales sunt facultas cognoscitiua et appetitiua*; 2) *eas augere acquirendo nouas animae perfectiones.*

§. 501

§. 501.

Quaelibet acquisita animae perfectio dicitur *virtus*, hincque 1) *virtus vel intellectualis, vel moralis est*, prout vel ad facultatem cognoscitiuam, vel ad facultatem appetitiuam pertinet; 2) *ad omnem virtutem moralem constans et perpetua voluntas requiritur*; 3) *homo debet omnem dare operam vt fiat virtuosus.* §. 495.

§. 502.

Homo obligatus est ad ita vtendum facultatibus animae suae, vt vsus respondeat fini propter quem anima sua a natura facultatibus istis instructa est. Per §. 495.

§. 503.

Hinc fluit 1) *omnem dolum omnemque culpam officiis erga nos repugnare*; 2) *dominium sui ipsius in sensu morali*, quod habet is qui sensibus, imaginationi atque adfectibus resistere valet, ne praevaleant aduersus rationem, eorumque vsum rationi conuenienter determinat, *officia erga se ipsum a quolibet homine exigere.*

§. 504.

Ad officia hominum erga se ipsos quoad animam, referri etiam possunt officia ratione sermonis et aliorum modorum animi nostri sensa aliis communicandi, de quibus in genere notandum, *quod cuilibet liceat saluis officiis erga se ipsum loqui vel tacere, nisi hoc vel illud ad perfectionem obtinendam, aut imperfectionem arcendam requiratur* (§. 495.).

TIT.

TIT. II.

DE OFFICIIS ERGA NOS QVOAD CORPVS.

§. 505.

Homo 1) *conseruare debet facultates quaslibet corporis quibus a natura corpus instructum est, quales sunt, facultas vitalis, sensitiua et locomotiua*; 2) *eas augere acquirendo nouas corporis perfectiones.* Per §. 495.

§. 506.

Quaelibet acquisita corporis perfectio dicitur *habilitas corporis*, hincque *homo operam dare debet vt omnem corporis habilitatem, quatenus in sua potestate est, acquirat.*

§. 507.

Homo obligatus est ad ita vtendum facultatibus corporis sui, vt vsus respondeat fini propter quem corpus suum a natura facultatibus illis instructum est. Per §. 495.

§. 508.

Hinc fluit 1) *tam autochiriam*, quae est factum quodcunque quo quis sibi ipsi vitam adimit, *quam membri cuiusdam corporis corruptionem, iure naturali esse prohibitam, nec fingi posse casum quo ob collisionem officiorum autochiria foret licita* (§. 305.); 2) *omnem actum libidinosum*, qui est vsus partium corporis genitalium, solius voluptatis sensualis excitandae gratia, siue coitus sit, siue non, *officiis erga nos repugnare.*

TIT. III.
DE
OFFICIIS ERGA NOS QVOAD STATVM EXTERNVM.

§. 509.

Ad ſtatum hominis externum, qui determinatur per mutabilia quae extrinſecus ad eum referuntur, pertinent 1) *eius exiſtimatio*; 2) *ea quae vſui ſuo inſeruiunt*; 3) *amici et inimici*. Vnde de his tribus, hic agendum.

§. 510.

Exiſtimatio eſt aliorum de moralitate actionum noſtrarum iudicium, et vel *bona*, vel *mala* eſt, prout iudicium hoc vel fauorabile eſt, vel non. Exiſtimatio bona verbis declarata *laus*; aliis actibus externis vero ſignificata *honor* dicitur. Aſt *fama* eſt communis hominum ſermo de moralitate actionum alterius, eſtque, vt exiſtimatio, vel *bona*, vel *mala*.

§. 511.

Homo operam dare debet vt exiſtimatione bona, honore, laude dignus ſit, atque fama ſua ſit bona, non vero ad conſequendum haec omnia eſt obligatus. Quoniam prius perficit, et in poteſtate ſua eſt, poſterius vero in poteſtate ſua non eſt. (§. 495.)

§. 512.

Ad ea quae vſui hominis inſeruiunt, pertinent 1) *res neceſſariae, vtiles et voluptuariae*; 2) *actiones aliorum in noſtram vtilitatem tendentes.*

§. 513.

§. 513.

Homo operam dare debet vt inſtructus ſit iis quae vſui ſuo inſeruiunt, ſicque vt 1) *ſibi adquirat patrimonium et acquiſitum conſeruet*; 2) *efficiat alios adeſſe quorum opera, ſi opus eſt, vti poſſit.* (§. 495.)

§. 514.

Amici dicuntur qui ex perfectione noſtra voluptatem percipiunt: *inimici* e contra, qui ex imperfectione noſtra voluptatem percipiunt.

§. 515.

Homo operam dare debet vt aliorum amicitia ſe dignum reddat, ad conſequendum vero eam non eſt obligatus. Quoniam prius perficit et in poteſtate ſua eſt, poſterius vero in poteſtate ſua non eſt (§. 495.)

SECTIO II.
DE
OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS ET CVM IIS CONNEXIS IVRIBVS.

§. 516.

Abſolutis officiis hominum erga ſe ipſos ſequuntur officia eorum erga alios, quae hic tractanda, nimirum abſoluta (§. 493.), praemiſſis iis, quae de officiis erga alios in genere notari merentur.

§. 517.

Officia erga alios non ſolum quoad homines nobiscum viuentes locum habent, ſed et dantur officia erga mortuos et poſteros, immo nec deſinunt deberi

licet alter desit a sua parte officiis quae nobis debet. Nulla enim adest ratio cur ad viuentes restringantur, et obligatio naturalis est immutabilis (§. 174. et 138.).

§. 518.

Summa officiorum erga alios est, quod quemcunque alium hominem, quatenus ipse non potest, nouis perfectionibus instruere debeamus, et perfectionibus quibus instructus est neminem priuare liceat, quatenus officia erga nos permittunt. Per §. 193. et 194. Hinc fluit: *vnumquemque hominem alteri debere quod sibi, quatenus alter id non habet in potestate sua, ipse autem saluis officiis erga se ipsum hoc alteri praestare potest, et officia erga nos esse, vt aiunt, mensuram officiorum erga alios* (§. 495.).

§. 519.

Ex officiorum erga alios obseruantia oritur *iustitia*, quae est constans et perpetua voluntas, seu virtus, ius suum cuique tribuendi, eamque GROTIVS diuidit in *expletricem*, qua ius perfectum, et *attributricem*, qua ius imperfectum, alteri tribuitur: ARISTOTELES vero in *vniuersalem*, quae exercetur per actiones eum, cui ius suum per eas tribuitur, proprie non respicientes, et *particularem*, quae exercetur per actiones eum, cui per eas ius suum tribuitur, proprie respicientes, quam subdiuidit in *distributiuam*, quae exercetur in *distributione*, quae est actus quo communia diuiduntur, et *commutatiuam*, quae exercetur in *commutatione*, quae est actus quo id quod nobis proprium erat fit alterius.

§. 520.

§. 520.

Quod attinet singulas officiorum erga alios absolutorum species ea, prout officia erga nos, vel *animam*, vel *corpus*, vel *statum externum* alterius concernunt.

TIT. I.

DE

OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS QVOAD ANIMAM.

§. 521.

Officia hominum erga se ipsos quoad animam, sunt etiam officia hominum erga alios quoad animam Per §. 518.

§. 522.

Hinc fluit *officia nostra erga alios quoad animam aliorum a nobis exigere vt facultates animae eorum conseruemus et augeamus*, per consequens *alios exemplo nostro omnes virtutes docere, et ad earum studium incitare debeamus, omnemque sedulitatem*, quae est persuasio alterius ad agendum contra leges, *legi naturali esse contrariam.*

§. 523.

Ad *officia erga alios absoluta* quoad animam, referri etiam potest obligatio absoluta alteri animi nostri sensa significandi, sicque officia circa sermonem aliaque signa per quae aliis animi nostri sensa significare possumus, quae *a nobis exigunt vt toties animi nostri sensa alteri significemus, sicque declaremus voluntatem nostram, quid nobis videa-*

tur dicamus, quae nobis cognita sunt reuelemus, quoties interest alterius hoc fieri vel ad perfectionis suae conseruationem, vel ad nouae perfectionis acquisitionem. Quoties vero alterius non interest nos animi nostri sensa ei significare, nec perfecta, nec imperfecta obligatio adest ad hoc faciendum. Vi principii generalis quod summam officiorum erga alios continet (§. 518.).

§. 524.

Si quis loquitur in casu quo ad loquendum est obligatus, sermoni inesse debet 1) *veritas logica et* 2) *euitanda ambiguitas, siue oriatur ex reseruationibus mentalibus, siue ex neglecto significatu verborum qui vsui loquendi conuenit, siue alio modo. Quodsi vero quis loquitur, dum ad loquendum non est obligatus, sicque silere posset, haec non requiruntur.* Nisi enim, quae dicta sunt, obseruantur animi sensa non significantur. Hinc in priori casu adesse debent, non in posteriori, per hypothesin vtriusque partis propositionis.

VITI BENED. BEVERI *Diss. de eo quod circa sermonem iustum est.* Ien. 1693.

GOTTL. GER. TITII *Diss. de officio sermocinantium.* Lipl. 1695.

TIT. II.
DE
OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS QVOAD CORPVS.

§. 525.

Officia hominum erga se ipsos quoad corpus, sunt etiam officia eorum erga alios absoluta quoad corpus. Per §. 518.

§. 526.

§. 526.

Hinc fluit: *officia nostra erga alios absoluta quoad corpus a nobis exigere vt facultates corporis eorum conseruemus, et curemus vt corporis habilitatem acquirant,* per consequens *alterum nec vita priuare, nec per vulnera, rupturas, fracturas et luxationes damnum corpori eius inferre liceat*

§. 527.

Licet is cuius corpori nocetur vitam adimendo aut alio modo damnum corpori inferendo consentiret, nihilominus haec actio illicita foret, sicque nec volentem occidere licet. Per §. 508. et 332.

§. 528.

Officiis erga alios absolutis quoad corpus repugnat omnis actus quo alter ad aliquid agendum seu patiendum ratione corporis sui vi metuue adigitur. Hoc enim contrarium est obligationi qua alios perficere tenemur (§. 518.).

TIT. IV.
DE
OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS QVOAD STATVM EXTERNVM.

§. 529.

Officia hominum erga se ipsos quoad statum externum, sunt etiam officia erga alios absoluta quoad statum externum. Per §. 518.

§. 530.

Hinc ratione 1) *existimationis operam dare debemus vt alii fama bona fruantur, iisque honorem*

meritum exhibere, meritamque laudem tribuere debemus (§. 19.); II) *eorum quae ipsi aliorum inseruiunt, curare vt alii iis instructi fiant et ea conferuent* (§. 21), licet enim officia erga alios absolutum nec dominium nec imperium praesupponant, concipi tamen possunt officia absoluta erga alios ratione rerum et actionum humanarum; III) *amicorum et inimicorum, omnibus amici, nemini inimici esse debemus, et operam dare vt inimicos reconciliemus* (§. 509. fqq.).

PARS II.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS HYPOTHETICIS ET IVRIBVS CVM IIS CONNEXIS.

§. 531.

Absolutis nunc officiis duplicis generis, nimirum officiis erga nos, et iis erga alios officiis quae sunt absoluta officia, sequuntur officia erga alios hypothetica seu contracta (§. 493.), quae demum certo rerum statu praesuppolito adsunt. Ad talem rerum statum vero praesertim pertinet 1) loco communionis primaeuae, quae a natura est, introductum esse *dominium*, et 2) homines hoc vel illo *statu* praeditos esse, sicque hanc vel illam sustinere personam.

§. 532.

Quod praesertim attinet illum rerum statum, dominium loco communionis primaeuae esse introductum, generatim de eo hic notandum, inde esse homines habere *bona*, quo nomine veniunt res quae sunt in dominio eorum vniuersim spectatae, nullo attento earum discrimine, ipsamque hanc rerum vniuersitatem *patrimonium* eorum dici.

§. 533.

Ad patrimonium hominum itaque *tam res corporales quam incorporales pertinent quarum domini sunt, immo introducto rerum dominio ipsae hominum actiones rebus in dominio existentibus aequiparari debent.*

§. 534.

Quae in hominum patrimonio sunt reduci possunt ad *substantias ipsas* et *reditus*, prout id quod in eorum patrimonio est, vel sunt res ipsae quarum domini sunt, vel ex rebus, quae sunt in aliorum dominio, iis debitae vtilitates.

§. 535.

Praeterea patrimonium vel est *patrimonium vnius* seu *plurium societatem personarum non constituentium hominum*, vel *patrimonium societatis personarum*, et quae ad hoc patrimonium pertinent dicuntur *bona societatis*. Bonorum societatis ea pars vero, quae consistit in pecunia numerata expensis societatis destinata, *aerarium societatis* constituit.

§. 536.

Dominium bonorum seu rerum societatis non est condominium, sed dominium solitarium, quod est ius societatis, eique opponitur dominium singulorum

lorum societatis membrorum, quod est ius singulorum. Per §. 412.

§. 537.

Cum praeter eum rerum statum, quod dominium sit introductum, et is rerum status, quod homo vel in hoc, vel in illo statu viuat efficiat, oriri officia hypothetica (§. 531.), quoad hos status hic notandum eos esse vel status *sociales*, qui ex societate quadam oriuntur, vel status *non sociales*.

§. 538.

Caeterum tota haec theoria de officiis hominum erga alios hypotheticis et connexis cum iis iuribus, commode reduci potest ad doctrinam de iuribus et obligationibus quae *successionem non* concernunt, et de iuribus et obligationibus quae *successionem* concernunt.

LIBER I.
DE
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS SVCCESSIONEM NON CONCERNENTIBVS.

§. 539.

Iura et obligationes hominum quae successionem non concernunt, reduci possunt ad vulgo sic dictum ius rerum et ius personarum. Complexus earum veritatum de officiis hominum erga alios hypotheticis connexisque cum iis iuribus enim, quae non dependent a certo quodam hominum statu *iura rerum*, quae vero a certo quodam hominum statu dependent, *iura personarum* constituunt.

SECTIO

SECTIO I.
DE IVRE RERVM.

§. 540.

Quae sub iuris rerum nomine comprehenduntur doctrinae, partim *iura in re* (§. 241.), partim *iura ad rem* (§. *cit.*) concernunt. De his iuribus iisque respondentibus obligationibus itaque nunc agendum.

MEMBRVM I.
DE IVRIBVS IN RE.

§. 541.

Iura in re quae successionem non concernunt (§. 538.) sunt vel ius in re nullius, vnde *ius occupandi*, vel ius in re alicuius, quod, si res est nostra, *dominium*, si est aliena, *ius in re aliena constitutum* est. De his speciebus itaque nunc agendum.

CAPVT I.
DE IVRE OCCVPANDI RES CORPORALES SINGVLARES

§. 542.

Ius occupandi §. 330. in genere definitum et §. *cit.* in *commune* et *proprium* diuisum, tam *in se* considerandum, quam etiam de eius *acquisitione*, *conseruatione*, *amissione* et *persecutione* agendum.

TIT.

TIT. I.

DE

IVRE OCCVPANDI, PRAESERTIM RES CORPORALES SINGVLARES, IN SE SPECTATO.

§. 543.

Licet ius occupandi sit ius in re, res ipsa quam vi iuris occupandi occupare licet tamen, ideo nostra nondum est, sed manet res nullius, a cuius occupatione quidem tum, si ius occupandi est ius occupandi proprium, quemlibet alium excludere possumus, non vero si est ius occupandi commune. Per §. 330. Vnde statim patet res nullius (§. 284.) dupleis generis concipi posse, tales nimirum ad quarum occupationem nemini competit ius occupandi proprium, quas res *simpliciter nullius*, et tales, ad quarum occupationem alicui competit ius occupandi proprium, quas res *secundum quid nullius* appello.

§. 544.

Ius occupandi varia a se inuicem diuersa iura sub se non continet, sed potius simplicissimum ius est, vi cuius non nisi hoc licet, quod possimus per occupationem, sicque per nobis propria auctoritate factam attributionem (§. 329.), *acquirere rem nullius.* Per §. 330.

§. 545.

Quod attinet iuris occupandi, et quidem proprii, species, praeter generales iurium diuisiones, speciatim hoc ius, vel est ius occupandi *vniuersale*, si quoad

si quoad omnes res nullius in certo districtu obvias nobis competit, vel *particulare*, si non nisi quoad certi generis res nullius in certo districtu obuias nobis competit. Particulare ius occupandi vero, iterum differt pro diuersitate earum certi generis rerum quas vi iuris occupandi occupare licet, indeque oriuntur variae species huius iuris occupandi, veluti ius *venandi*, *metallifodinarum* etc.

§. 546.

Si plures habent ius occupandi proprium in certo districtu, quando illud vniuersale est, hi in communione sunt, nisi forsan vni tantum per certum tempus hoc ius occupandi competat, ita, vt eo elapso alter solus illud exerceat. Si vero pluribus in eodem districtu competit ius occupandi particulare quoad diuersi generis res nullius, inde non oritur communio. Per §. 247.

§. 547.

Si res nullius in districtu, in quo mihi competit ius occupandi res eius generis, est, talem rem occupare possum vbi eam inuenio, siue locus vbi est sit in alterius dominio, siue non. Si vero res in eo loco non amplius est, cessat ius occupandi, licet in iuris occupandi exercitio iam constitutus fuerim, occupatio vero nondum absoluta fuit. Prius inde patet, quod dominium loci vbi res nullius est non inuoluat ius prohibendi occupationem. Posterius ex ipsa hypothesi fluit.

§. 548.

Obligationes iuri occupandi nostro respondentes sunt 1) *si nobis competit ius occupandi proprium*

prium neminem impedire debere occupationem, vel ipſe occupare rem nullius, quam occupandi nos ius proprium habemus, ſique hoc de facto ſit, nobis licere rem apprehenſam eripere apprehendenti, reſtitutis tamen ei impenſis in apprehenſionem factis; 2) ſi ius occupandi commune exercemus, itidem quidem neminem impedire debere quo minus exercere poſſimus actus ad occupationem neceſſarios, aſt tamen licere cuilibet praeoccupare, licet nos in actu occupandi, ſed nondum abſoluto, conſtituti ſimus; 3) dominum fundi, in diſtricto in quo nobis competit ius occupandi, ſiti, nonſolum pati debere ingreſſum in ſuum fundum, qui ſit ideo, vt rerum nullius ibi forſan obuiarum occupatio fieri poſſit, ſed et eum in praeiudicium huius iuris de fundo ſuo diſponere non poſſe. Per §. 193.

TIT. II.

DE

IVRIS OCCVPANDI ACQVISITIONE CONSERVATIONE, AMISSIONE ET PERSECVTIONE.

§. 549.

Ius occupandi *commune*, tamquam connatum ius, ſtatim cum homine adeſt nec proprie acquiritur. Aſt ſi ius occupandi *proprium* acquirendum, haecque acquiſitio, pro diuerſitate eius per quod acquiritur (§. 324.), ſit extra ſucceſſionem (§. 327.) vel *per ſe*, et quidem mediate per *occupationem*, *acceptationem delati iuris occupandi* et *praeſcriptionem mere acquiſitiuam*, tam *conſtitutiuam*, quam *mere*

mere tranſlatiuam, vel *per conſequentiam*, per rei cui inhaeret acquiſitionem. De omnibus his acquiſitionibus vero valent quae §. 327. ſqq. de iis in genere dicta ſunt, niſi quod, quoad acquiſitionem iuris occupandi per occupationem, ſpeciatim notandum *eam non niſi eatenus licitam eſſe, quatenus ad perfectionem hominem promouendam requiritur, loco iuris occupandi communis, has vel illas res ſimpliciter nullius iuri occupandi proprio ſubiici.* Per §. 186. et 231.

§. 550.

Quod attinet iuris occupandi *amiſſionem*, *conſeruationem* et *perſecutionem*, quae in genere de iure amittendo §. 339 ſqq, conſeruando §. 350. ſeqq. et perſecutione iuris §. 385. ſqq. dicta ſunt, hic applicanda, nec dantur ſpecialia hic in eorum applicatione obuenientia, quae ſpeciatim notari merentur.

CAPVT. II.

DE

DOMINIO, PRAESERTIM RERVM CORPORALIVM SINGVLARIVM.

§. 551.

Licet detur tam rerum corporalium verum dominium, quam quaſi dominium rerum incorporalium (§. 271), nec minus detur tam rerum vniuerſalium, quam ſingularium dominium; hic tamen praeſertim de *rerum corporalium ſingularium dominio* ideo agendum, quoniam, quoad dominium rerum *incorporalium* ſufficit generalis

de dominio theoria supra §. 263 sqq. tradita, dominium rerum *corporalium vniuersalium* vero sit possessionum dominium hereditatis, de quo infra (§. 538.). In hac theoria vero tam de hoc dominio *in se spectato*, quam de eius *acquisitione*, *amissione*, *conseruatione* et *persecutione* agendum.

TIT. I.

DE DOMINIO, PRAESERTIM RERVM CORPORALIVM SINGVLARIVM, IN SE SPECTATO.

§. 552.

Cum omnes res corporales natura sint in communione primaeua (§. 257.), idem etiam valet de rebus corporalibus singularibus. Vi huius iuris itaque *natura quilibet ius habet ad talem rerum vsum, qui ad id requiritur, vt obligationi suae naturali satisfaciat, qui dicitur* vsus rerum necessarius, *siue per hunc vsum res consumetur, siue non, nec vnus alterum ab hoc vsu excludere potest, licet eo finito, et re per vsum non consumta, aliorum vsui iterum pateat.* Alt, si res in dominio est, *dominus cum exclusione aliorum exercet omnia iura in dominio contenta* (§. 158.), sicque *proprietatem, vsumfructum et ius possidendi.* Per §. 256. et 263.

§. 553.

Singula haec iura in dominio contenta quod attinet, quatenus eo eorum dominus rem corporalis singularis de re sua disponere possit, ex dictis §. 269. per se facile constat, et in genere theoriae gene-

neralis de dominio §. 263 sqq. obuiae applicatio ad dominium rerum corporalium singularium, nullis difficultatibus inuoluta est, veluti quod dominus possit vi proprietatis rem suam singularem *destruere*, *deteriorare*, *meliorare* et *specificare*, hoc est, ita immutare vt fiat species a priori specie diuersa (§. 218.). Quae cum ita sint, de dominio rerum corporalium singularium *in genere* plura non addo, sed potius de huius vel illius generis rei corporalis singularis dominio, et quidem pleno, et a iure alteri in re aliena constituto libero, *specialim* agendum.

§. 554.

Sunt vero res corporales singulares, de quarum dominio specialia quaedam notari merentur 1) *solum* (*Grund und Boden*) in se consideratum, quod est res immobilis ad homines et res sustinendas apta.

§. 555.

Quoad solum in se consideratum a se inuicem distinguì debent 1) *materia soli*, quae varia esse potest; 2) *superficies soli*, quicquid nimirum super solum eminet eidemque cohaeret; 3) *spatium atmosphaericum*, quod est spatium illud intra atmosphaeram, quod perpendiculariter soli cuidam imminet; 4) *subterranea*, quo nomine veniunt res a soli materia diuersae, quae intra solum sunt.

§. 556.

Dominus soli est dominus materiae soli et spatii atmosphaerici. Ast dominium soli sub se non com-

prehendit dominium 1) *superficierum*, 2) *subterraneorum*, 3) *corporum quae in spatio atmosphaerico nostro generantur*; 4) *rerum mobilium quae in solo inueniuntur*; 5) *rerum se mouentium quae in eo subsistunt*. Cum dominio soli, materiae et spatii atmosphaerici dominium simul acquiri, inde patet, quoniam solum habemus propter materiam et superficiem, sicque sine hoc dominio, soli dominium nullam praestaret vtilitatem. Ast de reliquis rebus hic recensitis illud non valet, ergo nec earum dominium inuolait dominium soli.

§. 557.

Ergo *dominus soli vti potest materia soli ad vsum quemcunque, superficiem cuiuscunque generis solo imponere, modo superca solum alienum projecta aut moeniana non ponat, nec immittat ei aliquid, aut talem superficiem, vel ita eam imponat, vt inde damnum immineat vicino.* Per §. 269. et 193.

§. 558.

Licet dominus, si solo suo imponit superficiem, vicino intercipiat liberiorem aërem, liberiorem prospectum, radiorum solarium vsum, vicino tamen non competit ius prohibendi, nisi domino superficiei nullam praestet vtilitatem, vicino vero noceat, hoc est, *ad aemulationem fiat superficiem imponi.* Dum enim superficiem imponit dominus solo suo, vtitur iure suo, indeque, si aliquod fenrit damnum vicinus, est damnum iure datum, quod dare licet (§. 298.). Quoad exceptionem vid. §. 193.

§. 559.

§. 559.

Rerum de quarum dominio hic speciatim agendum species sunt II) *aedificia* (*die Gebaude*) quae sunt res, ex pluribus rebus opera humana iunctis, in solo exstructae. *Constant* itaque *aedificia ex duabus rebus, solo et superficie.*

§. 560.

Dominus soli pro lubitu aedificare potest in suo, aedes, muros, castra, fortalitia etc. exstruendo in infinitum ad coelum vsque, potestque quaquauersus in suo pariete fenestras tam luciferas, quam prospectiuas aperire. Per §. 269.

§. 561.

Dominus aedificii potest illud reficere, vel non, nisi vicino ex ruinoso aedificio damnum immineat, si placet destruere illud, aut ei aliquid detrahere, nec non cuicunque vsui quem praestat destinare potest. Quodsi itaque aedificia sint aedes, inde oritur ius habitationis, *quod, quatenus domino vi dominii competit*, causale, *dici potest.* Per §. 269.

§. 562.

Domino licet aedificii sui formam mutare, manetque, si aedificium collapsum, vel combustum, vel dirutum, dominus areae: prout etiam ab eius arbitrio dependet an nouum aedificium exstruere velit, vel non. Per §. 269.

§. 563.

Progredior III) ad dominium *animalium* de quo notandum 1) *domino licere in suo alere animalia cuiuscunque generis, modo non sint noxia animalia.*

lia. 2) *ipsum animalium dominium sub se continere ius stercorandi, factum lucrandi, si etiam animal alterius impraegnauerit illud, omnesque aliàs res quae ex animalibus veniunt, mactandi animal et si mortuum deglubendi, siue esui hominum inseruiat, siue non.* Per §. 269 et 193.

§. 564.

Huc IV) referri debent *agri, prata, vineae et horti*, de quarum rerum dominio hic non nisi hoc notandum: 1) *quod liceat domino harum rerum formam mutare, agrum in hortum etc. commutando;* 2) *domino agrorum licere agros suos colere semper et quocunque modo velit;* 3) *pratorum et agrorum dominium sub se continere ius pascendi*, quod dici potest *causale*, estque vel *ius pascendi solitarium*, vel *ius compascendi*, prout vel ex dominio solitario, vel ex condominio oritur. Per §. 269.

§. 565.

Et hic V) dominii *arborum* mentio facienda est. Licet enim per se facile constet in quo consistat arborum proprietas et vsusfructus, hic tamen de dominio arborum notari meretur 1) *arborem eius esse in cuius fundo truncus est;* 2) *arborem cuius truncus in confinio duorum fundorum positus est, pro rata communem esse;* 3) *si arbor vicini ramos suos per spatium atmosphaericum nostrum diffundit, nobis competere ius sublucandi arborem, quatenus nobis impedimento sunt rami in vsu fundi nostri, et ramos ipsos tam, quam eorum fructus, nostros esse, licet hoc non obstante dominus arboris eam caedere possit, quando libuerit.* Per principia physica et §. 269.

§. 566.

Sequitur VI) dominium *sylvarum*, de quibus notandum *earum partes esse syluam et arbores, non vero animalia fera in iis obuia.*

§. 567.

Dominus syluae, non solum ipsam syluam in agrum commutare, et de arboribus, tanquam de re sua, pro lubitu disponere potest, sed et eius sunt omnia emolumenta syluestria, hincque *ei competit ius glandes legendi, ius lignandi, ius pascendi in sylua sua.* Per §. 269.

§. 568.

Res hactenus recensitas excipiunt VII) *flumina*, quorum partes sunt *alueus et aqua*, non vero *pisces in flumine.* Quoad aquam fluminis vero notandum, quod vel vt *aqua simplex*, vel vt *aqua fluminis* considerari possit, prout nimirum, vel quoad eum vsum consideramus quem praestat aqua omnis, vel quoad eum, quem non nisi aqua fluminis praestat.

§. 569.

Dominus soli per quod flumen fluit, ideo, quod soli ab vtraque fluminis parte dominus sit, fluminis dominus non est. Est enim flumen res a solo diuersa.

§. 570.

Qui dominus fluminis est, eius quidem est alueus, et aqua qua aqua fluminis considerata, non vero aqua qua aqua simplex considerata. Quod eius sit

alueus, inde eſt, quoniam eſt fluminis pars. Licet vero et aqua ſit fluminis pars, eſt tamen aqua qua ſimplex aqua conſiderata res vſus inexhauſti. Ergo non admittit dominium (§. 260.).

§. 571.

Tandem X) et hic de *rerum quarum dominium in directum et vtile* diuiſum dominio agendum. Variae quidem res huius generis concipi poſſunt in ſtatu naturali, cum conditio, ſub qua diuiſio fieri poteſt, multiplex ſit. Praeprimis vero hic de *emphyteuſi* agendum, cum altera praecipua harum rerum ſpecies, *feudum* ſcilicet, infra, in iurisprudentia feudali, ex inſtituto explicanda.

§. 572.

Emphyteuſis eſt res cuius dominium in vtile et directum diuiſum ſub conditione annui canonis praeſtandi. Dicitur vero *canon* ſymbolum recognitionis dominii directi. Is cui competit emphyteuſeos dominium directum dicitur *dominus emphyteuſeos*, cum *emphyteuta* dicatur qui habet eius dominium vtile.

§. 573.

Eſt itaque *dominium emphyteuſeos per ſe et ſua natura nunquam plenum, et quae ſint iura domino emphyteuſeos et emphyteutae quoad ipſam emphyteuſin competentia, ex domini directi et vtilis natura et indole ſupra §. 270. expoſita per ſe fluit, cum dominio emphyteuſeos iura in dominio directo, et emphyteutae iura in dominio vtili contenta, competant. Iura et*

et obligationes inter dominum et emphyteutam, quae circa ipſam emphyteuſin non verſantur vero, praeſtationem canonis reſpiciunt, qui ſemper praeſtandus, ita vt nihil interſit an parum, aut nihil vtilitatis ex emphyteuſi perceperit emphyteuta, et vel in pecunia, vel in re alia conſiſtere poteſt, cum pro vtilitate quae ex re percipitur non detur, et ſit ſymbolum (§. 572). *A canone vero differt laudemium*, quod eſt pecunia, quam nouus emphyteuta ſoluit domino pro receptione, *quod ſoluendum eſſe ex natura et eſſentia emphyteuſeos non ſcit*, indeque *ipſa laudemii praeſtatio eiusque quantitas per pactum inter dominum et emphyteutam initum determinari debent.*

TIT. II.

DE
DOMINII, PRAESERTIM RERVM CORPORALIVM SINGVLARIVM, ACQVISITIONE.

§. 574.

Dominium, quatenus per ſucceſſionem non acquiritur, de qua acquiſitione infra agendum (§. 583.) vel *per ſe*, vel *per conſequentiam* acquiritur. Cum vero per conſequentiam non tam rerum corporalium, quam potius incorporalium rerum, quae rebus corporalibus, quarum dominium acquiſitum, inhaerent (§. 338), acquiratur, hic tantum de acquiſitione dominii quae per ſe fit agendum, et quidem ea quae per ſe *mediate* fit, cum *immediate* per legem naturae dominii rerum

corporalium acquisitio aliter non fiat, quam in casu quo fructus ex re nostra proueniunt, quippe *qui nostri fiunt per se immediate ex lege.* Per §. 269.

§. 575.

Fit vero acquisitio dominii per se mediate 1) per *occupationem* §. 329., quae vel occupatio rerum nullius est, vel occupatio rerum hostium. Prior dicitur *occupatio stricte sic dicta*, posterior vero *bellica occupatio.* Occupatio stricte sic dicta, vel est rerum animatarum occupatio, quae dicitur *venatio in sensu latiori*, vel rerum inanimatarum occupatio, quae *inuentio* appellatur. De bellica occupatione commodius infra in doctrina de belligeratione agendum, vnde sola occupatio in specie sic dicta huius loci est.

§. 576.

Occupatio in specie sic dicta inuoluit originarium dominii acquisitionem (§. 320.) ad eamque requiritur 1) *occupantem ius occupandi, siue commune, siue proprium habere* (§. 330.); 2) *si rei corporalis dominium per occupationem acquirendum, eius apprehensionem* (§. 256. 132.) *fieri*, sicque 1) *nec solus visus, nec sola declaratio animi, quod velimus rem nostram esse, sufficit*, et 2) *tantum acquisitum est per occupationem, quantum apprehensum.*

§. 577.

Cum itaque per §. 260. *res vsus inexhausti*, quo nomine veniunt res quae omnibus hominibus sufficiunt, iisdem patent, quoties iisdem indigent, occupandi ius non detur, et per §. 132. res quae vel nunc demum per naturam producuntur, vel adhuc incognitae sunt, vel eius indolis sunt vt propter suam amplitudinem in nostram potestatem rediginon possint, apprehendi nequeant; *dictae res, et quidem res vsus inexhausti ob moralem, reliquae ob physicam impossibilitatem per occupationem in dominium redigi nequeunt.*

§. 578.

Si res nullius quae occupari potest per §. 576. actu occupata est, sicque in dominium redacta, immo in genere, si res in dominio est, dominus tamen permittere debet, 1) *vsum rei suae qui est vsus innoxiae vtilitatis*, sub quo nomine venit vsus quem res ita praestat, vt nullum inde capiat detrimentum, et 2) *vsum cui locum facit iuris necessitatis exercitium.* Ad 1) vid. §. 260. et ad 2) §. 300 sqq.

§. 579.

Ex his §. 577. et 578. dictis nunc facile patet, quae detur, introducto licet dominio, iura ex communione primaeua relicta (§. 261.). Nimirum 1) *quoad res quae secundum §. 577. in dominium redigi nequeunt, simpliciter adhuc obtinent iura communionis primaeuae;* 2) cum perinde sit, siue res in dominium plane redigi non possit, siue, licet possit in dominium redigi in illud tamen nondum reducta sit, *idem valet de his rebus;* 3) *quoad res quae in dominio sunt, dicta §. 578. iura huc etiam referri possunt*, licet stricte restringi soleant ad res quae in dominio non sunt, siue quo-

niam non possint in dominium redigi, siue quoniam hactenus earum dominium nemo acquisiuit.

§. 580.

Porro II) acquisitio dominii per se mediate fit per *praescriptionem acquisitiuam* et quidem *mere translatiuam* (§ 335.). Quum vero si, quae generatim de hac acquisitione §. 336. dicta sunt, applicantur ad possessionem rerum corporalium, per se pateat quid hic iustum sit, secundum ius naturae plura de hac specie acquisitionis dominii rerum corporalium non addo.

CHRIST. GOD. WEIDLERI Diss. *de praescriptione in statu naturali considerata.* Lipsi. 1739. 4.

IO. FRID. BERG sub praes. MANTZELII Diss. *de discrimine praescriptionis iuris gentium et ciuilis.* Rost. 1738.

L. F. LANGEMACK *philosophische Abhandlung von der Verjährung.* Berl. 1746. 8vo.

§. 581.

Sequitur III) acquisitio dominii rerum corporalium quae fit per *delati nobis dominii acceptationem*, de qua acquisitionis specie itidem sufficiunt quae de ea in genere §. 333. dicta sunt, et facile ad dominium, tanquam ius in re, applicari possunt.

§. 582.

Licet vero, prout ex dictis patet, dominium rerum corporalium nullius *originarie* per occupationem in specie sic dictam, et dominium rerum corporalium alterius *derivative*, vel per praescriptionem

nem, vel per acceptationem delati dominii acquirantur; praeter hos dominium rerum corporalium singularium acquirendi modos tamen, ius naturae alios hoc ius acquirendi modos ignorat, ita, vt nec *accessio*, nec *pactum*, nec *traditio* sint modi acquirendi hoc ius, prout ex nunc dicendis patebit.

§. 583.

Accessio dicitur quodlibet rei nostrae incrementum. Vnde facile patet dari varias accessionum species quidem, sed tamen *nullam harum specierum inuoluere modum acquirendi dominium eius quod accedit.* Aut enim quod accedit est res nullius, aut propria res. Si est res nullius, nulla est ratio in ipsa accessione cur talis non maneat. Si est propria, aut eius iam est ad cuius rem accedit, tumque non acquiritur (§. 311.), aut est alterius, tumque iterum accessio ipsa non efficere potest dominum priorem rem suam amittere. Vnde simul patet: *si per accessionem ad rem meam venit res alterius et accessio est separabilis, separationem fieri debere, si non, rem fieri pro rata communem.*

§. 584.

Similiter *pactum non est modus acquirendi dominium*, quoniam omne pactum in futurum prominet (§. 150. 146), et, licet per pactum dominium rei promittatur, ipsum illud dominium tamen per illud non transfertur (§. 333.).

§. 585.

Tandem *traditio modus acquirendi dominium non est*, quum ea non nisi detentionem transferat (§. 132.).

HENR. A COCCEII Diff. *An traditio ſit neceſſaria ad transferendum dominium* Lugd. 1676. et in RIVET. *exercit. Tom. I. p. 23. ſeqq.*

IO. FRIR. WEIDLERI Diff. *de traditione rerum collata iure naturali et poſitivo illuſtrata.* Viteb. 1729.

TIT. III.

DE

DOMINII, PRAESERTIM RERVM CORPORALIVM SINGVLARIVM AMISSIONE, CONSERVATIONE ET PERSECVTIONE.

§. 586.

Quod attinet dominii amiſſionem, ex dictis de iure amittendo in genere §. 339. ſqq facile patet quomodo dominii amiſſio fiat, quibus itaque hic non niſi haec ſpecialia addenda: 1 *ad alienationem ſtrictiſſime ſic dictam requiri dominium alienantis eſſe dominium patrimoniale*, (§. 272.) *et illud quieſcens ius non eſſe* (§. 238.); 2 *ſi dominus per abdicationem dominii ſui illud amiſit, rem, quae hactenus fuit alicuius, fieri rem nullius* (§. 284.), et in ſpecie *rem derelictam* dici, a qua differt *res abiecta* et *re amiſſa*, quarum illa eſt res quam dominus ob immmens periculum ex cuſtodia ſua dimiſit, haec quam dominus, vbi eſt, ignorat, ſicque *domini adhuc ſint res abiectae et amiſſae, modo a' aliis rebus diſtingui poſſint, hincque per fugam rerum animalium dominium dominus non amittit, niſi ab aliis eiusdem generis amplius diſcerni nequeant.*

MICH.

MICH. VENC. GRIEBNERI Diff. *de eo quod iuſtum eſt circa feras ex cuſtodia dilapſas Cap. I.* Lipſ. 1704. et in LL. Opuſc. Tom. V. Sect. III. Cap. I. p. 42. ſeqq.

GOTTL. GERH. TITII Diff. *de dominio in rebus occupatis citra poſſeſſionem durante.* Lipſ. 1704. et in RIVET. Diſput. inaug. n. VII. p. 316. ſeqq.

§. 587.

Ad *conſervationem* dominii rerum corporalium ſingularium faciunt, prout in genere ad eius conſervationem, § 350. ſqq. proteſtatio et reſervatio dominii.

§. 588.

Dominii rerum corporalium ſingularium perſecutio fit *via facti*, vel per *retentionem retorſionemve*, vel per *bellum*, quod eſt vel *defenſivum*, ad damnum futurum rei noſtrae imminens auertendum, vel *offenſivum reale*, ſi alter rem noſtram detinens eam reſtituere non vult, idque vel *poſſeſſorium*, vel *petitorium* eſt (§. 385. ſeqq).

§. 589.

Quod attinet in ſpecie *bellum offenſivum petitorium*, per quod dominus rem ſuam contra eius poſſeſſorem perſequitur, et ſpeciatim *bellum vindicatium* dici poteſt, *vindicans rem ſuam dominium eius probare debet* (§. 396.). *Licet vero dominium ſuum vindicans illud exacte probare non poſſit, ſufficit tamen conſtare vindicantem rem tanquam dominum poſſediſſe, eumque a quo vindicat infirmio-*

re iu-

re iure possidere eam. Quid ceterum hic ratione *deteriorationis*, *fructuum* et *impensarum* iustum sit, ex dictis §. 269. et 370. per se patet.

CAPVT III.
DE
IVRIBVS IN RE ALIENA CONSTITVTIS.

§. 590.

Sequitur nunc, absoluta doctrina de iure occupandi et de dominio, tertia et vltima species iuris in re (§. 541.) species, nimirum iura in re aliena constituta.

§. 591.

Iura in re aliena constituta sunt iura in re, seu obiectiue realia, quae nobis competunt in re quae nostra non est, siue sint simul subiectiue realia, siue subiectiue personalia (§. 241.).

§. 592.

Hinc fluit: 1) *non omnia iura in dominio contenta a domino in nos translata, esse iura in re aliena constituta*; 2) *iura in re aliena constituta non semper esse particulam dominii rei alienae*; 3) *iura in re aliena constituta in personalia et realia, scilicet subiectiue talia, diuidi posse*; 4) *dominum proprietatis, directum et vtile* (§. 270.), *ideo non esse iura in re aliena constituta, quoniam inuoluunt ius proprium de rei substantia disponendi, sicque dominia sunt* (§. 270.), *et res quarum dominium proprietatis,*

prietatis, directum, vel vtile nobis competit, in respectu ad nos non sunt res alienae.

§. 593.

Libertas rerum nostrarum naturalis, dicitur ea rerum nostrarum conditio, quod sint a iuribus aliis in iis constitutis liberae.

§. 594.

Libertas rerum naturalis praesumitur, quum facti, sit iura in re aliena constituta esse (§. 114.), hinc*que dominus qui prouocat ad libertatem hanc a probatione eius immunis est, et is qui asserit sibi competere ius in re aliena constitutum probare debet illud constitutum esse.*

§. 595.

His generatim de iuribus in re aliena constitutis praemissis, sigillatim de iis *in se consideratis*, et de earum *acquisitione, amissione, conseruatione* nec non *persecutione* agendum.

TIT. I.
DE
IVRIBVS IN RE ALIENA CONSTITVTIS IN SE SPECTATIS.

§. 596.

Iurium in re aliena constitutorum dantur quidem infinitae species, sunt tamen quaedam quae specialia habent nomina, de quibus nunc sigillatim agendum. Tales sunt 1) *seruitus rerum*, quae etiam simpliciter seruitus appellari solet, et seruituti personarum contradistinguitur; 2) *ius*

pigno-

pignoris; 3) *ius censiticum*; 4) *ius bannarium reale*; 5) *ius retractus*.

§. 597.

Quod itaque attinet 1) *seruitutem*, ea est ius in re aliena constitutum, vi cuius dominus, vel quoad rei suae vsumfructum aliquid pati, vel quoad eius proprietatem aliquid omittere, debet, dicitur-que seruitus in casu priori *affirmatiua*, in posteriori *negatiua*.

§. 598.

Quum id quod pati, vel non facere, tenetur dominus seruitute constituta, infinitis modis variare possit, *infinitas dari seruitutum affirmativarum et negatiuarum species* facile patet, quae potius in iurisprudentia politiua, quam hic, euoluendae sunt.

§. 599.

Seruitutis obiectum semper est res, id vero cui seruit res, vel est res, vel persona, vnde oritur seruitutis diuisio in *realem*, si res seruit rei, et *personalem*, si res seruit personae.

§. 600.

In seruitutibus realibus per se quidem seruitus personae non competit, sed tamen per rem in personam deriuatur. Non res enim, sed persona, ius exercet.

§. 601.

Seruitus vel in omne tempus, vel in certum tempus constitui potest, tumque in priori casu *perpetua*, in posteriori *temporaria* seruitus dicitur. (§. 253.).

§. 602.

§. 602.

Omnis seruitus, siue sit affirmatiua, siue negatiua, dominium diminuit, licet diuerso modo, et dominus seruitute constituta omne id omittere debet, quo seruitutis exercitium impeditur. Prius patet per § 579. posterius per §. 149.

§. 603.

Nemo seruitutem rei imponere potest quam dominus, etsi non praecise requiratur quod sit dominus plenus, sed potius quilibet dominus minus plenus, eatenus seruitutem rei imponere potest, quatenus non nisi suum dominium minus plenum per eam diminuitur. Disponit enim de re qui ei imponit seruitutem. Ergo (§. 263.).

§. 604.

Si res quae seruit reficienda, et refectio talis est, vt, si illa omittatur, seruitus amplius exerceri nequeat, refectio incumbit domino cuius res seruit. Si vero opus manu factum, sine quo seruitus exerceri nequit, reficiendum, refectio operis incumbit ei cui seruitus competit, et pati debet dominus rei quae seruit refectionem. Rem enim reficere debet is cuius est, et dominus omittere debet omne id quo seruitutis exercitium impeditur. (§. 602.).

§. 605.

Si, seruitute constituta, tertio eadem vel alia seruitus constitui, vel ipse dominus re sua vti potest sine impedimento prioris seruitutis, domino licet eandem vel aliam seruitutem alteri constituere, prout etiam ipse eatenus adhuc vti potest re sua. Quodsi vero sine impedimento prioris seruitutis tertio eadem

vel alia ſeruitus conſtitui, vel dominus ipſe vti re ſua nequit, nec alteri talem ſeruitutem conſtituere, nec ipſe vti poteſt re ſua dominus. Per §. 602.

§. 606.

Sequitur II) *ius pignoris*, quod eſt ius in re aliena, in ſecuritatem eius quod debet alter, conſtitutum, eſtque vel *ius pignoris in ſpecie ſic dictum*, ſi res oppignorata poſſidetur a creditore, vel *ius hypothecae*, ſi creditor rem oppignoratam non poſſidet, ſicque *ius pignoris in re tradita*, *ius hypothecae vero in re non tradita conſtituitur.*

§. 607.

Ex his notionibus fluunt haec corrolaria: 1) *Tam vi iuris pignoris in ſpecie ſic dicti, quam vi iuris hypothecae, creditor habet ius conditionatum rem oppignoratam alienandi, et de pretio tantum retinendi, quantum ad hoc ſufficit, vt ſibi ſatisfiat, ipſaque conditio a qua hoc ius dependet haec eſt, ſi debitum debito tempore non ſoluitur. In ſpecie vero vi iuris pignoris in ſpecie ſic dicti, creditor praeterea ius poſſidendi tam diu habet, donec debitum ſolutum.* 2) *Si facta alienatione rei oppignoratae, adeſt pars pretii rei oppignoratae, quae id quod creditori debetur excedit, qualis pars* hyperocha *dicitur, ea debitori reſtituenda.* 3) *Ius pignoris per ſe non dat creditori ius re oppignorata vtendi, etſi non repugnet naturae huius iuris ius vtendi re oppignorata creditori concedi, vnde oritur* pactum antichreticum.

§. 608.

§. 608.

Ius pignoris in ſpecie ſic dictum diminuit dominium, et tam ius pignoris in ſpecie ſic dictum, quam ius hypothecae illud limitant. Per §. 607. n. 1.

§. 609.

Oppignoratio non quidem inuoluit praeſentem dominii per alienationem in creditorem translationem, eſt tamen via ad alienandum. Itidem per §. 607. num. 1. Hinc patet *a facultate alienandi rem, dependere ius eam oppignorandi.*

§. 610.

Quoties res eſt talis quae creditori praeſtat ſecuritatem, ea oppignorari poteſt, ſiue ſit res incorporalis, ſiue corporalis. Per §. 606.

§. 611.

Si dominium rei in minus plena dominia diuiſum, res illa ipſa oppignorari nequit ſine omnium, qui de dominio rei participant, conſenſu. Ipſum dominium minus plenum vero, a ſolo eo, cui competit, oppignorari poteſt, quatenus illud ſolus alienare poteſt. Per §. 609. 272.

§. 612.

Res nonſolum oppignorari poteſt pro debito proprio, ſed et pro debito alieno; prout etiam plures res vni oppignorari poſſunt, et pluribus vna res oppignorari poteſt. Id quod per ſe patet.

§. 613.

Si eadem res pluribus oppignorata eſt pro ſumma pecuniae, quae ſuperat eius pretium, re diſtracta in ſolutione debiti ei cui primo oppignorata,

praefertur ei cui secundo oppignorata, et ita porro, nec datur alia iuris pignoris qualitas, vi cuius vnus prae alio potior in pignore, praeter tempus. Per §. 349.

§. 614.

Debitori competit ius per solutionem debiti a pignoris nexu liberandi rem suam, id est, reluendi pignus, *quocunque tempore. Potest vero debitor huic iuri renunciare, quod duplici modo fieri potest, vel ita, si iuri reluendi certum tempus tanquam terminus a quo praefigitur, vel ita, si ei certum tempus tanquam terminus ad quem praefigitur, sicque* pactum commissorium *iuris pignoris constitutioni adiicitur.* Per §. 606.

L. F. LANGEMACKS *Pfand- und Hypotheken-Recht aus philosophischen Gründen hergeleitet.* Berl. 1745. 8.

§. 615.

Ad iura in re aliena constituta pertinet III) *ius censiticum*, vi cuius dominus certo anni tempore dare debet rem quandam: IV) *ius bannarium reale*, vi cuius dominus aliquid facere debet; V) *ius retractus* (*der Abtrieb*) vi cuius rem alienatam a nouo domino, reflituto quod dedit pro eo pretio, et in genere praestitis iisdem conditionibus sub quibus a nouo dominio acquisita, reuocare licet.

§. 616.

Ius censiticum, ius bannarium et ius retractus in eo differunt a iure pignoris, quod haec iura non in eum finem sint constituta vt adsit securitas obligationis expletionem fieri: a seruitutibus vero in eo

differunt, quod vi horum iurium dominus nec pati, nec non facere teneatur; nisi quod vi iuris retractus pati quidem teneatur, at non ita prout constituta alteri seruitute pati debet, cum nihil ratione vsusfructus rei suae patiatur. Per comparationem definitionum harum specierum iuris in re (§. 615.).

§. 617.

Ius censiticum, bannarium et retractus dominium non diminuunt, nec limitant illud, si discessoris a iure retractus, quippe quod, licet alienandi facultatem non tollat, efficit tamen dominum non posse alienando dominium suum transferre in quem vult, eo effectu vt penes eum maneat. Id quod ex ipsis definitionibus (§. 615) obuius prono alueo fluit, addito §. 269. et 274.

§. 618.

Id quod vi iuris censitici dominus dare debet alteri, dicitur *census*; res ex qua census praestari debet, *praedium censiticum*; dominus rei ex qua praestari debet, *censualis*; et qui accipit eum, *dominus census. Est* itaque *census annuus reditus realis, qui in pecunia et quacunque re alia mobili corporali consistere potest, et, licet ex iuris censitici natura non fluat, praedii censitici dominium esse diuisum inter dominum census et censualem in directum et vtile, ita, vt domino census illud, censuali hoc competat, naturae huius iuris tamen haec diuisio non repugnat, tumque praedium censiticum et emphyteusis parum differunt inter se.* Per §. 615. et 572.

§. 619.

§. 619.

Est et hic *iuris superficiarii* mentio facienda, quod est ius superficiem habendi in solo alieno. Hinc fluit, in subsidium adhibita seruitutis definitione, haec thesis: *Ius superficiarium tum quidem ius in re est, si est in solo alterius constitutum, prout etiam, si ita conuentum, dominium superficiei solo impositae diuisum esse potest inter dominum soli et eum qui superficiem imponendi ius habet, seu superficiarium, ita, vt domino soli directum, superficiario utile eius dominium competat: ast, ex natura et essentia iuris huius, nec fluit ius in re esse, nec dominium superficiei dicto modo esse diuisum, sique hoc ius in solo alieno, sicque ius in re aliena, constitutum esse supponitur, ex sua natura seruitus solo imposita est, pleno dominio superficiei apud superficiarium manente. Si vero hic pro hac participatione de vsu rei alienae, domino soli annuatim aliquid soluere debet, id quod soluit*, dicitur *solarium.*

TIT. II.

DE IVRIVM IN RE ALIENA CONSTITVTORVM ACQVISITIONE, CONSERVATIONE, AMISSIONE ET PERSECVTIONE.

§. 620.

Iura in re aliena constituta, praeter successionem de qua infra, vel per acquisitionem *constitutiuam*, vel per acquisitionem *mere translatiuam* (§. 321.) acquiruntur. Vtroque modo vero acquisitio vel per *praescriptionem*, vel per *acceptationem*,

nem talis iuris, siue a domino, siue ab alio qui tale ius in re aliena constitutum habet, delati. Praeterea vero et *per consequentiam* haec acquisitio fit, per rei, cui inhaerent iura in re aliena constituta, acquisitionem. Ast, *immediate per legem naturae nec seruitus, nec pignus, nec aliud ius in re constitutum est*, licet dentur sic dictae *seruitutes naturae constitutae*, si praedii nostri situs talis est, vt per necessitatem naturae praedium vicini aliquid pati debeat.

10. NIC. HERTII Diss. *de seruitute naturaliter constituta.* Giss. 1704 et in Opusc. EIVS Vol. II. Tom. III. p. 103 — 154.

§. 621.

Quod in specie attinet *seruitutem, per praescriptionem constitutiuam, acquisitionem*, si eae *affirmatiuae seruitutes* sunt, *ad acquirendam quasi possessionem ad hanc praescriptionem necessariam*, adesse debent, *quae ad quasi possessionem iuris, actiones nostras commissiuas respicientis, secundum* §. 374. *et, si sunt negatiuae, ad acquirendam quasi possessionem hic necessariam ea adesse debent, quae ad acquisitionem quasi possessionis iuris negatiui quoad actiones omissiuas alterius, secundum* §. 375. *requiruntur.* Per §. 597. et 336.

§. 622.

Porro, si per acceptationem delati iuris, ius in re alterius per constitutiuam acquisitionem acquirendum, non sufficit pactum, sed aliquid accedere debet, quod continet declarationem de praesenti facta,

constituentem nunc hoc ius actu in alterum transferre eumque illud acceptare. Per §. 591 et 333.

§. 623.

Iurium in re aliena constitutorum amissio fit, quod attinet iurium amissionem, per *alienationem in sensu lato* (§. 340 seqq.), per *cessionem, nisi sint simul subiective realia* (§. 592.) *vel personalissima iura* (§. 241.). et per *iuris abdicationem.* Quod vero attinet amissionem iurium quae *alio modo, quam per alienationem in sensu lato, fit*, tam *per se*, si nimirum sint iura revocabilia, quam *per consequentiam*, fit eorum amissio, de qua in genere quidem valent §. 345 seqq. dicta; ast tamen quoad hanc amissionem speciatim notandum 1) *per rei alienae, in qua ius nobis constitutum, interitum fieri horum iurium amissionem, si est totalis interitus, nec res iterum restituitur in pristinum statum, dum, si restituitur, ius revivisci, nisi ad rem quae interiit restrictum erat;* 2) *solo non usu nunquam amitti ius in re aliena constitutum, licet detur seruitutum, aliorumque iurium in re aliena constitutorum, praescriptio acquisitiua - exstinctiua secundum principia* §. 337. *aestimanda.*

§. 624.

Licet tandem, quoad *conseruationem* horum iurium, specialia non obueniant; ratione *persecutionis* eorum, speciatim quoad bellum, hic tamen notandum, duplex occasione horum iurium concipi posse bellum, alterum *defensiuum*, quo quis libertatem naturalem rei suae defendit, contra eum qui ius

ius in re praetendit, alterum *offensiuum*, quo vitur is, qui ius suum in re aliena constitutum persequitur contra eius possessorem.

MEMBRVM II.

DE IVRIBVS AD REM.

§. 625.

Absolutis iuribus in re, sequuntur iura ad rem (§. 540.). Sunt vero iura ad rem seu personalia, prout obligationes, vel *immediata*, quae non ex pacti initi natura, sed ex lege, nullo praesupposito pacto, adsunt, vel *mediata*, quae ex pacti initi natura oriuntur. De his iuribus itaque secundum hanc diuersitatem agendum.

CAPVT I.

DE IVRIBVS AD REM IMMEDIATIS.

§. 626.

Iura ad rem immediata, et quae huc etiam pertinent obligationes personales immediatae, oriuntur quidem partim occasione laesionis, partim occasione alius rerum status immediate ex lege (§. 201): ast tamen, remissis iuribus et obligationibus prioris generis ad iurisprudentiam criminalem, non nisi posterioris generis iura et obligationes huius loci sunt. Praemissa itaque theoria de iuribus et obligationibus huius generis *in se consideratis*, et de *acquisitione, amissione, conseruatione*, nec non *persecutione* huius generis iurium et obligationum, agendum.

TIT. I.

DE

IVRIBVS AD REM IMMEDIATIS IN SE CONSIDERATIS.

§. 627.

Cum dentur innumerae ſpecies iurium immediatorum et obligationum immediatarum, prout ex principiis §. 203. obuiis per ſe facile patet: ſingulae ſpecies iurium et obligationum huius generis hic recenſeri nequeunt. Potiores ſpecies itaque, et quae alibi data occaſione nondum locum inuenerunt, veluti ius indemnitatis §. 294. ſeqq. hic pertractandae et ex principiis §. 203. obuiis deducendae ſunt.

§. 628.

Sit prima ſpecies I) *ius exhibitionem rei, quam alter detinet, poſtulandi*, vi cuius nobis alter rem quam detinet praeſentem ſiſtere debet, et ſemper nobis competit, *quoties alter rem exhibendi facultatem habet, et noſtra intereſt exhibitionem fieri, aſt non niſi imperfectum ius eſt.* Per §. 203.

§. 629.

Porro huc pertinet II) *ius id, quod aliter a nobis habet et ſine cauſa apud eum eſt, ab eo repetendi.* Per §. 203. Eſt vero apud alium *ſine cauſa*, quod ita apud eum eſt, vt leges quoad effectum habendi non aſſiſtant. Hinc fluit: *ſine cauſa apud alium eſſe, tam id quod ab initio ſine cauſa accepit, quam id quod ita habet, vt, licet ab initio cauſa adfuerit, nunc tamen ea ceſſet, praeterea que nonſolum rei corporales, quae ita habent, vt leges quoad effectum habendi non aſſiſtant, ſed et iura, huc referri poſſe.*

§. 630.

Quod ſine cauſa apud aliquem eſt, vel ſpeciale nomen habet, vel non. Ad priorem claſſem pertinet quod 1) *ob cauſam datum, cauſa non ſecuta*, quo nomine venit quod datum alteri ob certum finem, reſpectu dantis et accipientis licitum, non ſecutum; 2) *ob turpem vel iniuſtam cauſam datum*, ſi aliquid alteri datum ob certum finem reſpectu accipientis, non vero dantis, illicitum; 3) *indebite ſolutum*, quod habet alter ex facta expletione obligationis, quam adeſſe alter credidit, cum nulla adſit.

§. 631.

Ad ſine cauſa accepta referri nequit, quod datum ne factum illicitum committatur. Aſt, quod datur ob certum finem, tam reſpectu dantis, quam accipientis, ſeu, reſpectu dantis tantum, non accipientis, illicitum, ad ſine cauſa accepta referri debet; licet dici nequeat quod ob turpem vel iniuſtam cauſam datum ſit. Quoad prius enim probari nequit leges ad effectum habendi non aſſiſtere, cum factum illicitum omittere legibus non ſit contrarium. Ergo §. 629. Quoad poſterius vero ſufficit ſubeſſe factum illicitum, ad quod nemo vllo modo ſe obligare et ex eo lucrari poteſt, ſicque leges ad effectum habendi non adſiſtunt. Ergo §. 629.

§. 632.

§. 632.

Sequitur III) *ius, si versio eius quod nostrum erat in rem alterius facta, ab eo illud repetendi.* Per §. 203.

§. 633.

Progredior IV) ad *ius eius qui, dum damnum pluribus imminebat, illud solus ita passus est, vt eo damnum a reliquis auersum sit, ab his postulandi damni restitutionem eatenus, vt omnium, quibus damnum imminebat, damnum fiat aequale.* Sunt enim nunc ii, a quibus damnum imminens est auersum, cum damno eius, qui illud actu passus est, locupletiores. Ergo §. 203.

§. 634.

Et huius loci est V) *ius rationum reddituonem ab eo postulandi qui aliquid, quod vel in totum, vel pro parte, alienum est suscepit, veluti alienas res administrauit, et ab eo exigendi, vt damnum datum reficiat, et quod superest restituat, qui vero non minus ius immediatum habet indemnitatis praestationem postulandi.* Constitit vero rationum redditio in *genere* in eo, vt alter, quomodo circa id quod alienum est versatus sit, exponat, cum in *specie*, si quis res alienas administrauit, rationum redditio in eo consistat, vt designatione earum rerum, quas administrauit, pro fundamento posita, acceptorum et expensorum configuatio et calculatio fiat. Per §. 203.

TIT.

TIT. II.

DE

IVRIVM IMMEDIATORVM ACQVISITIONE, AMISSIONE CONSERVATIONE ET PERSECVTIONE.

§. 635.

Acquisitio iurium immediatorum non semper, quatenus extra successionem fit, *per se et immediate per legem* fit, in quo casu dicta §. 328 locum habent: sed et fieri potest, si tale ius penes alium iam est, *per se mediate*, vel per *cessionem in respectu ad cessionarium consideratam*, (§. 334.) vel per *praescriptionem mere translatiuam* (§. 335.).

§. 636.

Quod vero attinet horum iurium *amissionem, conseruationem* et *persecutionem*, omnia hic redeunt ad applicationem principiorum generalium, in antecedentibus traditorum, de iuris amissione, confirmatione et persecutione in genere. Vnde non nisi hoc hic addendum: *in persecutione horum iurium eum, qui tale ius sibi competere asserit, probare debere eius acquisitionem, quod in casu, quo per se immediate illud acquisiuit, sit dum euincit adesse talem rerum statum, sub quo leges alicui immediate tale ius indulgent.* Nam et hoc facti est (§. 108.). Ergo (§. 114.).

CAPVT.

CAPVT. II.
DE
IVRIBVS AD REM MEDIATIS.

§. 637.

Absoluis iuribus ad rem immediatis, de iuribus mediatis seu ex pactis nunc agendum (§. 625.). Vt vero haec amplissima doctrina distincte proponatur et in ordinem redigatur, sigillatim 1) *generalia de pactis hominum extra rempublicam viuentium principia sunt praemittenda*; 2) *iura et obligationes personales quae ex pactis oriuntur, pro pactorum diuersitate, recenseri debent*; 3) *de acquisitione, amissione, persecutione et conseruatione iurium et obligationum huius generis agendum.*

(A)
GENERALIA DE PACTIS PRINCIPIA.

§. 638.

Generalia de hominum extra rempublicam viventium pactis principia, commode reduci possunt ad has, quae sequuntur, doctrinas, de: 1) *pactorum definitione et variis eorum diuisionibus*; 2) *subiecto et obiecto pactorum*; 3) *pluribus pactorum communibus*,

TIT. I.
DE
PACTORVM DEFINITIONE ET VARIIS EORVM DIVISIONIBVS.

§. 639.

Cum de pacti definitione ex dictis §. 150. iam constet, statim ad diuisiones pactorum progredi licet. Diuiduntur vero pacta 1) in *vera* et *praesumta*

sumta seu *quasi pacta*, prout vel ab vtraque parte consensus verus adest, vel ab vna parte consensus verus, ab altera vero consensus praesumtus. Verum pactum iterum duplex est vel *expressum*, vel *tacitum*, pro hac consensus veridiuersitate (§. 53.).

§. 640.

Quum consensus praesumtus sit etiam consensus §. 53.), nec ex notione pacti demonstrari possit, consensum ad pactum requisitum praecise ab vtraque parte verum esse debere (§. 150.) *pactorum diuisio in vera et quasi pacta legibus naturalibus non repugnat*. Alia vero quaestio est, anne haec diuisio sit otiosa? de qua infra.

§. 641.

Diuiduntur pacta II) in *obligatoria*, *liberatoria* et *mixta*. Licet enim omne pactum obliget promissorem ad praestandum quod promisit, id quod promisit tamen in eo differt, quod, vel efficiat nouam obligationem induci, vel anteriorem tolli, vel vtrumque simul fieri, indeque in primo casu *obligatoria*, in secundo *liberataria*, in tertio *mixta* pacta sunt.

§. 642.

Sunt pacta III) vel *principalia*, vel *minus principalia*, prout se referunt ad aliud pactum, vel non. Minus principalia pacta abeunt in pacta *praeparatoria*, quae futuro pacto concludendo inseruiunt, et *adiecta*, quae praesens pactum magis determinant: *illa* itaque *ad pactum principale ita se referunt vt per ea existentia facilitetur, haec ita vt per ea futurae lites praecaueantur.*

§. 643.

§. 643.

Progredior IV) ad diuiſionem pactorum in *ſimplicia*, et *compoſita*, quorum haec ſunt vnum pactum, quod varia in ſe diuerſa pacta continet, illa non.

§. 644.

Dantur V) pacta *vnilateralia* et *bilateralia*. Ex his vterque contrahentium, ex illis non niſi vnus contrahentium, obligatur. Poſteriora ſubdividi ſolent in *aequalia*, et *inaequalia*, prout vel vterque contrahentium ſtatim ab initio obligatus eſt, vel vnus tantum ab inicio obligatus eſt, ex poſt vero et alter obligatus fit. Aſt, ſi dicendum quod res eſt, licet fieri poſſit, dum vnus contrahentium ab inicio tantum obligatus fuit, alterum ex poſtfacto etiam obligatum fieri, haec obligatio tamen ex pacto, poſtquam pactum iam initum eſt, et vnus ſe per illud tantum obligauit, non oritur, indeque potius dicendum hanc obligationem immediate ex legibus oriri. Pacta bilateralia aequalia, qualia proprie loquendo omnia ſunt, vero in *directoria* et *communicatoria* ſubdiuidenda, prout vel ſeparata vtriusque pacifcentium, vel communis eorum vtilitas, intendiatur.

§. 645.

Magnam cum hac modo explicata diuiſione ſimilitudinem habet VI) diuiſio pactorum in *beneſica* et *oneroſa*. Dicuntur vero pacta tum *beneſica*, ſi ab vna parte tantum promiſſio fit, *oneroſa* vero, ſi ab vtraque parte promiſſio fit, ſicque *oneroſa per promiſſionem et repromiſſionem* incantur.

§. 646.

§. 646.

Omnia pacta vnilateralia ſunt beneſica, et omnia pacta bilateralia aequalia ſunt oneroſa. Per §. 644. et praec. Nili itaque pacta bilaterialia inaequalia admittere vis, *haec diuiſio cum priori coincidit.*

§. 647.

Pacta etiam VII) in *pacta re inita* ſiue *realia*, et *ſine re inita*, ſeu *conſenſualia*, diuidi poſſunt. Sunt enim inter ea talia, quae ſine actuali quadam praeſtatione concipi nequeunt, quae *re inita*, et talia, quae ſine actuali quadam praeſtatione concipi poſſunt, quae *ſine re inita*, dici poſſunt.

§. 648.

Vltima pactorum diuiſio eſt quod VIII) in *realia* et *perſonalia* diuidantur. *Realia* ſunt, ſi obligatio et ius ex iis tranſeunt in heredes; *perſonalia*, ſi non. *In dubio* tamen *omnia pacta praeſumuntur perſonalia.*

TIT. II.

DE SVBIECTO ET OBIECTO PACTORVM.

§. 649.

Subiectum pactorum, ſunt ii qui acceptant et promittunt, ſeu pacifcentes. *Requiritur vero ad habilitatem pacifcentium, ſi diſceſſeris a quaſi pact.s*, 1) *quoad eos qui promittendo ſe obligant*, a) *ſanae rationis vſum, tam in genere, quam in ſpecie tempore pacti initi, habere*; b) *animi ſui ſenſa vel per verba, vel alia ſigna declarare poſſe*; c) *ſibi relictos eſſe*

in eo, vt aliis se obligare possint; 2) *quoad eos vero qui acceptando acquirunt, primum et secundum requisitum itidem quidem adesse debet, non vero tertium.* Exinde, quod pactis veris inlit voluntatis declaratio, tam a parte promittentis, quam acceptantis, fluit primum et secundum requisitum ab vtraque parte pacisceniium adesse debere. Cur vero tertium ad promittentem restrictum sit, inde patet, quoniam acceptans se non obligat.

§. 650.

Si inhabilis ad promittendum, promittit habili acceptanti, pactum non valet. Si vero habilis promittit, et inhabilis ad promittendum, ast ad acceptandum habilis, accepterat, pactum subsistit. Prout prius per se patet, ita posterius inde fluit, quod inhabilitas ad promittendum pacti validitati obstare nequeat, si inhabilis non promittit sed acceptat.

§. 651.

Si ergo *in pacto bilaterali pacisceniium vnus est ad promittendum inhabilis, alter habilis, pactum subsistit quoad promissionem ab habili, non vero quoad promissionem ab inhabili factam*, diciturque tale pactum *claudicans pactum*.

§. 652.

Obiectum pacti, dicitur id ad quod praestandum per promissionem promissor se obligat, estque vel *res*, vel *nudum factum*. Quoad *res*, vel res promittitur cum omni in eam iure, vel res retento quodam iure, vel ius retenta re, vel res earumque iura a pluribus secum inuicem communicantur.

nicantur. Quoad *nudum factum* promissor vel ad committendum, vel ad omittendum, vel ad patiendum se obligat (§. 51.).

§. 653.

Ratione obiecti ad pactorum validitatem in genere requiritur: 1) *possibile esse tam physice, quam moraliter, praestari a promissore, ad quod praestandum se obligat*; 2) *obiectum pacti esse determinatum vel per se, vel per relationem ad aliud, tunque perinde esse, siue ab incerto euentu suspensum, an et quid praestandum, siue non, sitque, quoad res ea siue res sperata, siue simplex spes, siue res simpliciter sic dicta.* Ad 1) vid. §. 171. Ad 2) quoniam, si plane determinatum non est obiectum pacti, promissor praestare potest quod vult, sicque idem sit acsi nihil promissum.

§. 654.

Hinc fluit 1) *pacta indiscreta*, quo nomine veniunt pacta quorum obiectum plane non determinatum, *non valere, nisi adsit ex quo determinationem accipere possit promissio, licet ipsi paciscentes eam non determinauerint.* E contra vero 2) *pacta aleam continentia*, si nimirum super incerto euentu conuenitur, vt eodem vtrinque stetur, *valere.*

§. 655.

Praeter paciscentes ipsos, hic etiam tertius considerandus est, et quidem triplici modo, dum quaeritur; 1) *an tertius ex nostro pacto ius acquirere possit?* 2) *an tertius ex nostro pacto obligatus fieri possit?* 3) *an in tertii arbitrium conferri*

possit pactum? Respondeo ad quaestionem primam: *si tu mihi promittis quod tertio aliquid praestare velis et ego hanc promissionem accepto, vel mihi commisit tertius hoc negotium suo nomine expediendum, vel non. In priori casu, tertius statim facta a me acceptatione ius quaesitum habet ex hoc pacto. In posteriori casu aut tertius nondum declaravit, aut iam declaravit, an acceptare velit, vel non. Si tertius nondum declaravit an acceptare velit, vel non, ego quidem ex tali pacto ius quaesitum habeo, non vero tertius, unde ego tertio inscio et inuito ius illud remittere possim. Si vero tertius iam declaravit an acceptare velit promissionem, vel non, tum si acceptauit, ius quaesitum habet ex tali pacto, ita, vt meum ius quaesitum nunc cesset, tum vero si acceptare non vult tertius, ius non acquirit ex tali pacto et meum ius quaesitum euanescit cum toto negotio.* Ex ipsis hypothesibus de veritate propositionis facile constabit, modo notetur in dictis casibus euanescere ius quaesitum promissarii, quoniam non res eius, sed tertii, agitur. Ad secundam quaestionem responsio sit haec: *si quis promittit tertium tibi aliquid praestare, tuque hanc promissionem acceptas, aut tertius promissori hoc commisit, aut non, tumque in vltimo casu, aut tertii accedit ratihabitio, aut non. Si tertius commisit, aut ratihabet, tibi ex hoc pacto est obligatus, si vero mihi nec commisit, nec ratihabet tertius, tibi ex hoc pacto obligatus non est. In omni casu tamen ipse promissor tibi obligatus est, vt omni modo efficere studeat tertium praestare quod promissum est.* Et haec propositio quoad tertium ipsum

ipsum ex ipsis hypothesibus adiectis facile deduci potest. Quod vero de ipsius promissoris obligatione dictum, inde patet, quoniam haec promissio in sua potestate est eatenus quatenus proprium suum factum concernit. Quod attinet tertiam quaestionem: *si tertius arbitratur pactum subsistit, si non vult arbitrari, euanescit.* Est enim tertium arbitrari hic instar conditionis suspensiuae.

IVST. HERM. BOEHMER *de iure ex pacto tertii quaesito, cap. 1.* Hal. 1735. et in EIVS Exercit. ad Paud. T. II. p. 256. seqq.

TIT. III.

COMMVNIA PACTORVM

§. 656.

Varia sunt quae ad omnium, saltem plurium pactorum, communia referri possunt, quae itaque, cum praecise ad doctrinam de hac seu illa pactorum specie non pertineant, hic praemittenda sunt.

§. 657.

Huc referri possunt 1) *adiectiones* quae, prout actibus iuridicis in genere, ita et pactis addi solent, veluti *conditio, dies, modus, causa* et *demonstratio* (§ 152 seqq.). De quorum effectu quoad pacta hic agendum.

§. 658.

Si pacto inest conditio *impossibilis*, quae semper est *suspensiua*, quando est *affirmatiua*, *pactum est inualidum*, quoniam statim patet iocari promissorem: quando vero *negatiua est*, *validitati eius*

non obſtat, nec ſuſpendit, quoniam non poteſt non *eam* impleri et ſtatim conſtat impleri. Per §. 154.

§. 659.

Si pacto ineſt conditio *poſſibilis* et quidem *ſuſpenſiua*, quamdiu ea *pendet*, *ius ad id quod promiſſum, eſt vel ius futurum, vel ius praeſens quidem, aſt incompletum, prout conditio vel ius ipſum, vel iuris exercitium concernit. Si exiſtit, ius ex pacto ſit, vel ius quaeſitum ſeu praeſens, vel ius praeſens completum, pro dicta caſuum diuerſitate.* Si vero *deficit, vel ius futurum quod aderat euaneſcit ſeu extinguitur, vel ius praeſens incompletum in eum ſtatum redigitur vt nunquam completum fiat, pro dicta caſuum diuerſitate.* Per §. 154 et 237.

§. 660.

Si pacto ineſt conditio *poſſibilis* et quidem *reſolutiua*, quamdiu ea *pendet*, *ius ad id quod promiſſum quidem praeſens ius eſt, aſt temporarium. Si exiſtit, ius hactenus temporarium euaneſcit.* Si vero *deficit, ius temporarium tranſit in ius perpetuum.* Per §. 154 et 237.

§. 661.

Sequitur *diei adiectio* pacto facta, quae, *quatenus dies eſt inſtar conditionis* (§. 155.) *idem operatur quod conditio operatur.* Quatenus vero dies *inſtar conditionis non eſt*, hicque dies talis eſt a cuius exiſtentia tantum implementum pacti dependet (§. cit.), *talis dies nihil aliud operatur, quam demum eo veniente ius ex pacto exerceri et obligationis expletionem poſtulari poſſe.* Hineque in hoc caſu valet regula: *dies non remoratur obligationem.*

§. 662.

§. 662.

Quod attinet *modum*, *cauſam* et *demonſtrationem*, facile ex ipſis definitionibus harum adiectionum §. 153. obuius patet: 1) *modum adiectum pactum non niſi eatenus alterare, quod implendus ſit ab eo cui adiectus, ſeque acquirens per pactum, de eo quod ex pacto acquiſiit, libere diſponere non poſſit;* 2) *demonſtrationem et cauſam tantum propter maiorem certitudinem diſpoſitioni adici, hicque, licet ſint falſae, pactum tamen ſubſiſtere, modo aliunde conſtet de certitudine voluntatis, nec appareat errorem ſubeſſe, in quo vltimo caſu infra de errore dicenda hic locum habent.*

§. 663.

Sequitur II) *praeſtatio damni doloſi, culpoſi et caſualis* occaſione pacti dati. Vbi vero *ſimpliciter obtinent ea quae de iure indemnitatis §. 294 ſeqq. dicta ſunt, et ſecundum ius naturae inter damnum occaſione pacti datum, et ita non datum, nulla eſt differentia.*

§. 664.

Ad communia plurium pactorum referri debent III) *ea quae efficiunt voluntatem paciſcentium vel in totum, vel in tantum, ceſſare, qualia ſunt ignorantia, error et dolus contemplatione eius qui dolo inductus eſt ad paciſcendum.*

§. 665.

Quodſi itaque alter paciſcentium dolo inductus ad paciſcendum, hic dolus, vel talis eſt per quem quis inductus vt paciſcatur, qui dicitur *cauſam dare*, vel talis per quem quis inductus ad ita

paciſcen-

pacifcendum, prout pactus eft, qui dicitur *incidens*. In priori cafu *totum pactum corruit, fiue alter pacifcentium, fiue tertius, dolum commiferit*. In pofteriori cafu *pactum corruit quatenus dolus incidit, quatenus non, fubfiftit, fiue iterum dolus fit dolus alterius pacifcentium, fiue tertii*. Dolo inductus enim errat et errantis non eft voluntas. §. 157. Ergo §. 150.

§. 666.

Ignorantiam et errorem quod attinet, aut vterque pacifcentium errat, aut laltem vnus eorum. Si prius, *pactum eft inualidum in totum, fi eft cauſam dans, in tantum, feu quatenus incidit, fi eſt incidens error*. Si pofterius, quando *vnus fcit errare alterum idem valet quod de dolo* § 665. *dictum*. Quando vero *alter hac ignorat*, aut error eft *defectus rectitudinis actionis vincibilis, et pactum valet non obſtante hac errore*, aut *invincibilis, et pactum eſt inualidum in totum, ſi eſt cauſa dans, in tantum, ſeu quatenus incidit, ſi eſt incidens error*. Erranti enim non eſt voluntas §. 157. Ergo §. 150.

NIC. HIER. GVNDLING *von der ſchweren Lehre von dem Irrthum in der Rechtsgelahrheit*. In Gundlingianis P. 33.

§. 667.

Porro iis, quae communia pactorum ſunt, accenſeri poſſunt IV) *ea quae libertatem in pacifcendo minuunt vel tollunt*, veluti *metus, ira aliique affectus*. (§. 158).

§. 668.

§. 668.

Per metum pactorum validitati nihil decedit, niſi ſit metus 1) *illatus*; 2) *iniuſtus*; 3) *non vanus. In hoc caſu enim, non ſolum tum, ſi ab altero pacifcentium illatus eſt, ſed et tum, ſi eſt a tertio, altero pacifcentium ignorante, incuſſus, pactum reddit inualidum*. Per §. 158.

IVST. HENN. BOEHMER *de exceptione metus iniuſti in ſtatu naturali et ciuili*. Halae 1720.

NIC. HIER. GVNDLING *de efficientia metus* etc. Halae 1711. et in ELVS *Exercit. acad* Tom. II n. 2.

IO. CHRIST. KYBOLPH *de effectu metus in pactis et contractibus*. Erlangae 1762.

§. 669.

Quod attinet iram aliumue affectum, in quo vnus alterue pacifcentium tempore pacti initi conſtitutus fuit, *non niſi tum inde oritur pacti inualiditas, ſi is, qui in affectu conſtitutus, fui non conſcius fuit*. Per §. 159.

§. 670.

Progredior V) ad *clauſulam rebus ſic ſtantibus*, quae, ſi pacto ineſt, omnino efficit *pactum corruere, ſi res non ſtant, prout ſtabant, tempore initi pacti*. Alt praecipua quaeſtio, quae huc pertinet, eſt: *an omnibus pactis tacite inſit haec clauſula?* ad quam reſpondeo: *tum demum eam pactis tacite ineſſe, ſi pacifcentes, mutationem poſt pactum initum ortam, praeuidere non potuerunt, ei tamen, ſi praeuidiſſent, pactum initum non eſſe, certiſſimum eſt*. Tum enim absque pacifcentium culpa ceſſat eorum voluntas.

THEOR. PHILIP. KOPP *de clauſula rebus ſic ſtantibus ſecundum ius tum naturale, tum ciuile.* Marb. 1750.

§. 671.

Quoad VI) *ſimulationem in pactis* notandum, *ſi ſimulantes praeter ſimulatum pactum aliud non ineunt, nihil agunt. Si aliud pactum ineunt, illud, non vero ſimulatum pactum, valet inter paciſcentes.* Per §. 159. Reſpectu *tertii vero, qui per ſimulationem damnum ſentit, hoc damnum eſt damnum dolo datum, hincque obtinent quae de hoc damno valent.*

§. 672.

Porro huc pertinet VII) *euictionis praeſtatio.* Eſt vero *euictionis praeſtatio* indemnitatis praeſtatio, ſi tertius iure ſuo vſus eſt, cum alter pacifcentium in alterum plus iuris transferre voluit, quam ipſe habuit.

§. 673.

Ad euictionis praeſtationem requiritur 1) *alterum pacifcentium in alterum plus iuris transferre voluiſſe quam ipſe habuit;* 2) *tertium iure ſuo eſſe vſum;* 3) *inde oriri damnum et intereſſe. His poſitis requiſitis itaque euictio eſt praeſtanda, ab eo qui plus iuris transferre voluit, quam ipſe habuit, ſiue pactum ſit oneroſum, ſiue beneficum.* Primum et ſecundum requiſitum fluunt ex definitione §. *praec.* Tertium inidem. Quod vero euictio praeſtanda, et inter oneroſum et beneficum pactum non diſtinguendum ſit, inde probandum, quoniam ex pacto oritur ius perfectum ad praeſtandum promiſſum, et damnum ex euictione ortum inde eſt, quoniam

quoniam promiſſor promiſſionem non impleuit, ſicque damnum dolofum vel culpoſum eſt quod praeſtandum (§. 298.).

ERN. RVD. BRENNEISEN *de praeſtatione euictionis in ceſſione nominis ſecundum principia iuris naturae et romani.* Halae 1696.

§. 674.

Ad communia pactorum pertinet VIII) *praeſtatio indemnitatis propter dationem rei vitioſae.* Dicitur vero *res vitioſa*, ſi talis non eſt, qualis eſſe debet. *Qualis* vero *res eſſe debeat, aut ex rei natura, aut ex dantis declaratione aeſtimandum eſt.*

§. 675.

Praeſtatio indemnitatis propter dationem rei vitioſae, et euictionis praeſtatio, in eo differunt quod, licet in vtroque caſu implementum ſit ſecutum, pactum tamen non legitime impletum ſit, et quidem in priori caſu ideo, quoniam promiſſor plus iuris, quam ipſe habet, transferre voluit, in poſteriori vero ideo, quoniam res eſt vitioſa. Per comparationem definitionum (§. 674. 672.).

§. 676.

Si quis per pactum ſe obliganit quod rem quandam dare velit, deditque eam, aſt vitioſa eſt, tum, ſiue pactum ſit oneroſum, ſiue beneficum, praeſtatio indemnitatis propter rei vitioſae dationem locum habet, ſi vitium iam adfuit tempore dationis, idque viſibile non fuit, quod ſecus ſi viſibile fuit, vel tempore dationis non adfuit. Ipſa praeſtatio indemnitatis vero ſit duplici modo, vel per redhibitionem

rei

reſtitutoſae a parte accipientis, et eius quod pro re vitioſa acceptum reſtitutionem, a parte eius qui dedit rem vitioſam, vel per reſtitutionem eius quod acceptum a parte dantis in tantum, in quantum res, propter vitium quod habet, minoris pretii eſt. Prior modus locum habet, ſi res ita vitioſa eſt vt nullum praeſtet vſum, poſterior vero, ſi vſum quidem praeſtat, aſt non talem, qualem praeſtaret, ſi vitioſa non eſſet. Demonſtratio ad tria redit 1) nec hic inter pacta oneroſa et benefica diſtinguendum eſſe, quod patet per demonſtationem §. 673 adiectam; 2) vitium iam adfuiſſe tempore dationis; nec id viſibile eſſe, quod inde fluit, quoniam, quoad prius, ſi poſt dationem oritur, promiſſionem tamen impleuit promiſſor, quoad poſterius, ſi vitium viſibile eſt, damnum ſua culpa ſentit accipiens (§. 298.); 3) reſtitutionem damni diuerſo modo fieri pro caſuum diuerſitate, quod ex ipſa notione indemnitatis (§. 297.) facile patet.

§. 677.

Sequitur IX) *Arrha*, quo nomine venit quod vel in ſignum pacti initi, vel ea lege, vt ſub eius diſpendio a pacto recedere liceat, datum eſt. Licet eam in priori caſu *probatoriam*, in poſteriori vero, *liberatoriam* arrham, appellare.

§. 678.

Arrhae probatoriae datio non inuoluit pactum, ſed eſt actus qui de praeſenti abſoluitur, licet circa arrham pacta initi poſſint. Per §. 150. 146.

§. 679.

§. 679.

Si arrha ſimpliciter data poſtquam pactum initum eſt, hoc eſt, de arrha ipſa nihil conuentum, arrha probatoria eſt, eaque circa pactum ipſum nihil mutat, ſed facilitat tantum probationem pactum eſſe initum, nec in mutis tractatibus ſubſtitiſſe patiſcentes. Per §. 677

§. 680.

Si, pacto inito, aliquid datur ita vt accedat pactum, vt cuius ſub arrhae diſpendio a pacto recedere liceat, arrha eſt arrha liberatoria. Per §. 677. Quum itaque haec arrha ſemper per pactum conſtituatur, de ea infra in doctrina de pactis pluribus agendum.

§. 681.

Si data arrha probatoria pacti implementum ſequitur, ea, niſi aliter conuentum, reſtituenda eſt, aut in id, quod dans arrham praeſtare debet, imputandum. Si vero pacti implementum non ſequitur, itidem quidem arrha reſtituenda, aſt poteſt tamen is qui arrham accepit, ſi propter non ſequutum implementum dans ei obligatus eſt, ius retentionis exercere quoad arrham. Nam in vtroque caſu probatio, pactum eſſe initum, hinecque arrhae probatoriae finis, ceſſat (§ 677.). Quoad ius retentionis vid. §. 389.

§. 682.

Ad communia pactorum X) referri poſſunt generales quaedam doctrinae quae *rerum valorem in reſpectu ad pacta* reſpiciunt. Quid ſit rerum valor, eumque vel *pretium*, vel *mercedem* eſſe, et

et mercedem in *mercedem in ſpecie ſic dictam* et *vſurae* abire, ex dictis §. 127. conſtat. Hic itaque addenda ſunt de valore eiusque ſpeciebus generalia quaedam principia, in vſum doctrinae de pactis.

§. 683.

Aeſtimare eſt valorem determinare, fitque aeſtimatio ex duplici fine, vel *venditionis*, vel *taxationis* cauſa, prout, vel ideo fit, vt eius, cui rem noſtram damus, arbitrio committamus an rem eandem reſtituere, an vero eius valorem per aeſtimationem determinatum ſoluere velit, vel ideo, vt, ſi rem ea lege, vt eadem illa reſtituatur, datam reſtitui impoſſibile ſit, in ſubſidium valor per aeſtimationem determinatus ſoluatur.

§. 684.

Hinc fluit: *eum cui res data facta eius aeſtimatione venditionis gratia, de ea tanquam de re ſua diſponere poſſe, non vero ſi aeſtimatio tantum taxationis gratia facta.*

§. 685.

Honorarium dicitur, quicquid datur vel remunerandi animo ob praeſtationem quandam gratuitam, vel ob praeſtationem quandam pecunia non aeſtimabilem. Hinc patet: 1) *honorarium prioris generis poſſe eſſe mercedem, nunquam vero honorarium poſterioris generis mercedem eſſe* (§. 127.). 2) *Honorarium prioris generis non mutare naturam pacti gratuiti, omnino vero honorarium poſterioris generis, ſi ad illud dandum adeſt obligatio perfecta.*

§. 686.

§. 686.

Laeſio in valore fieri dicitur, ſi in pactis oneroſis aequalibus, valor eius quod praeſtatur ab vna parte, non eſt aequalis valori eius quod praeſtatur ab altera parte.

§. 687.

Si laeſio in valore facta, aut laeſus ſcit inaequalitatem adeſſe, aut non. Si prius, laeſione non obſtante, pactum validum eſt. Si poſterius laeſus a pacto quidem recedere nequit, aſt tamen laeſio, etiamſi ſit minima, eſt emendanda, quod fit, dum in lucro haerens reſtituit quod aequalitatem excedit. Prius ideo, quoniam volenti non fit iniuria, obtinet. Poſterius ideo, quoniam, ſi laeſus neſciuit inaequalitatem, voluit aequalitatem obſeruari, ſicque laeſio quidem emendanda, aſt tamen a pacto ideo recedere nequit, quoniam, laeſione emendata, habet quod vult.

ERNST TENTZEL *de laeſione in contractu emtionis venditionis iure naturae plane prohibita.* Erford 1727.

(B)

DE IVRIBVS EX PACTIS.

§. 688.

Iura ex pactis partim *in ſe conſiderari* et diſtincte recenſeri debent, partim de iurium huius generis *acquiſitione, amiſſione, conſeruatione* et *perfecutione* agendum.

(a) DE

(a)

DE IVRIBVS EX PACTIS IN SE SPECTATIS.

§. 689.

Iura ex pactis, quibus semper respondent obligationes ex iis, ad certas species reduci magis commode nequeunt, quam secundum species pactorum. Vnde nunc, secundum specierum pactorum diuersitatem, species iurium ex pactis pertractandae.

TIT. I.

DE IVRIBVS EX PACTIS VERIS, SIMPLICIBVS, OBLIGATORIIS PRINCIPALIBVS, RE INITIS.

§. 690.

Pacta huius generis sunt, sub his generalibus formulis comprehensa pacta; 1) *do vt des*; 2) *do vt facias*; 3) *facio vt facias*; 4) *facio vt des*.

§. 691.

Pactum do vt des est pactum, quo, re actu data ab vna parte, ab altera parte accipiens promittit se vicissim aliquid dare velle. Est itaque, cum rem ab vna parte datam esse requiratur, *pactum re initum* (§. 647.), et, cum accipiens tantum promittat, *vnilaterale* (§. 644.).

§. 692.

Ex innumeris pactorum speciebus sub hac formula generali comprehensis, datur quae per terminum technicum receptum ab aliis distingui possunt,

possunt, cum quoad alia talis desit. Ad pacta prioris generis pertinent 1) *mutuum*; 2) *commodatum*; 3) *pignus* et 4) *pactum permutatorium*, de quibus itaque sigillatim, praemissis iis quae generatim de pacto dos vt des notanda sunt, agendum.

§. 693.

Si quis promittit se velle mihi aliquid dare, et ego vicissim promitto quod ei aliquid dare velim, pactum non est pactum do vt des. Hic enim a nulla parte actu aliquid datum est. Ergo §. 691.

§. 694.

Actus quo ego de praesenti aliquid do, et alter vicissim de praesenti aliquid dat, non est pactum do vt des, sed est actus qui de praesenti absolvitur a pacto distinguendus. Hic enim a nulla parte aliquid promittitur. Ergo §. 691 146.

§. 695.

Ex pacto do vt des, dans nunquam, accipiens semper, obligatus sit ad dandum quod se dare velle promisit, estque id quod vel dans dat, vel accipiens dare promittit, vel res ipsa, siue simpliciter vt res considerata, siue vt valor eius quod accepit; vel rei vsus; vel rei possessio. Prius inde patet quoniam dans nihil promittit, vbi vero nulla promissio ibi nulla obligatio ex pacto est, per pacti definitionem (§. 150). Posterius per se patet.

§. 696.

Haec sufficiant de pacto do vt des in genere. Quod attinet in specie 1) *mutuum*, illud est pactum

quo, data re ad vſum talem per quem conſumitur, accipiens promittit rei, cum accepta eiusdem qualitatis et quantitatis, dationem.

§. 697.

Licet rem ſuam mutuo dans, immediate non niſi hoc intendat alterum re ſua uti, mediate tamen vult rem mutuo datam eius fieri cui eam mutuo dedit. Vnde mutuum omnino alienationem rei mutuo datae involuit. Id quod inde fluit, quoniam vſus, quem mutuo dans concedit, talis eſt per quem res conſumitur (§. *praec.*).

§. 698.

Ex mutuo mutuans acquirit ius perſonale a mutuatario poſtulandi rei ſuae ita factam dationem, vt ratione mutuantis perinde ſit, ac ſi res nunquam mutuo data eſſet, cui iuri reſpondet in mutuatario obligatio. Per definitionem mutui (§. 696.).

§. 699.

Sequitur II) *commodatum* quod eſt pactum quo, data re ad certum vſum gratuitum per quem non conſumitur, accipiens promittit eiusdem rei finito vſu reſtitutionem.

§. 700.

Commodatum itaque *non involuit alienationem, et ex hoc pacto acquirit commodans ius perſonale, finito vſu conceſſo, rei eiusdem reſtitutionem poſtulandi, cui iuri reſpondet in commodatario obligatio.*

§. 701.

Progredior III) ad *pignus* ſeu *pactum pignoratitium*, quod eſt pactum quo, data rei poſſeſſione iuris

ne iuris pignoris in ſpecie ſic dicti cauſa, accipiens rei eiusdem reſtitutionem promittit.

§. 702.

Pacto pignoratitio inito itaque, *inter ipſum ius pignoris et ius ex pacto pignoratitio diſtinguendum eſt. Prius ſupra* §. 606. *ſeqq. explicatum eſt, nec ex hoc pacto oritur. Poſterius vero eſt ius perſonale debitoris, poſtulandi a creditore, vt debito ceſſante rem eandem, quam accepit, reſtituat, cui iuri reſpondet in creditore obligatio.*

§. 703.

Pertinet huc IV) *pactum permutatorium*, ab ipſa permutatione, tanquam actu qui de praeſenti abſolvitur, diuerſum. Eſt vero illud pactum quo, actu data re ipſa ab vna parte, accipiens ab altera parte, rei ſub eodem genere cum data comprehenſae dationem, promittit.

§. 704.

Pactum permutatorium itaque *involuit alienationem, et ex hoc pacto acquirit dans ius perſonale ab accipiente poſtulandi vt rem promiſſam det, cui iuri reſpondet in accipiente obligatio.*

§. 705.

Praeter pactum do vt des, et hic de pacto *do vt facias* agendum (§. 690.), quod eſt pactum, quo, re actu data ab vna parte, accipiens ab altera parte promittit ſe vicißim aliquid facere velle. Eſt itaque et hoc pactum ex dictis §. 691. rationibus *reale* et *unilaterale*.

§. 706.

Quae de pacto do vt des supra §. 693. *et* 694. *dicta sunt, valent etiam mutatis mutandis de hoc pacto.* Ex iisdem rationibus.

§. 707.

Vnica datur praeterea species pacti do vt facias quae speciale nomen habet, nimirum *depositum*, quod est pactum quo, actu data re ab vna parte ad custodiam, alter promittit quod eam gratis praestare et rem restituere velit.

§. 708.

Ex deposito ergo *deponens acquirit ius rei depositae custodiam, eaque iusta, restitutionem postulandi a depositario, cui iure respondet in depositario obligatio.*

§. 709.

Quae superfunt pacta realia, nimirum pactum *facio vt facias*, vt et pactum *facio vt des* (§. 690.), quorum hoc est pactum quo, facto quodam ab vna parte actu praestito, alter a sua parte vicissim facti cuiusdam praestationem promittit; illud vero pactum quo, facto quodam ab vna parte actu praestito, alter a sua parte vicissim promittit quod aliquid dare velit, nec sub se continent species quae speciale nomen habent, nec adsunt specialia de his pactis notanda.

§. 710.

Caeterum de pactis re initis in genere adhuc notandum, *quod, licet ex iis semper non nisi vnus obligetur, non desint tamen obligationes immediatae, quae*

quae occasione horum pactorum oriuntur, et tenent eum qui actu dedit vel fecit. Pet §. 203.

TIT. II.

DE

IVRIBVS EX PACTIS SIMPLICIBVS OBLIGATORIIS PRINCIPALIBVS SINE RE INITIS.

§. 711.

Pacta quae sunt huius generis infinitis modis variant, reduci tamen possunt ad has classes, quod vel *vnilateralia*, vel *bilateralia* sint.

§. 712.

Pacta vnilateralia huius generis, quae per terminum technicum receptum ab aliis distingui possunt, sunt 1) *pactum donationis inter vivos*; seu *donatio inter vivos*; 2) *pactum intercessorium*; 3) *mandatum.*

§. 713.

Donatio inter vivos pro pacto sumta, seu *pactum donationis inter vivos*, opponitur donationi mortis causa (§. 151.), et est pactum, quo vnus promittit alteri eius, quod suum est, gratuitam translationem, ita, vt a morte sua obligatio non suspendatur.

§. 714.

Hinc fluit 1) *per donationem in hoc sensu sumtam dominium quidem non transferri, ast tamen implemento huius promissionis facto, dominium translatum esse, licet traditio nondum sit facta, et ipsam donationem hanc non nisi ius personale operari postu-*

landi a donatore vt dominium transferat (§. 333.); 2) *tam res corporales, quam incorporales, veluti seruitutes, per donationem promitti posse.*

§. 715.

Pactum intercessorium dicitur quo vnus alteri promittit expletionem obligationis tertii, quod si fit in subsidium, *fideiussio* seu *constitutum debiti alieni*, si principaliter, *expromissio* appellatur.

§. 716.

Licet itaque *per pactum intercessorium vtrumque promittens se obliget ad expletionem obligationis tertii, in eo tamen differunt inter se fideiussio et expromissio, quod, in priori casu, tum demum expletio obligationis tertii fieri debeat a promissore, si a tertio non fit, in posteriori vero simpliciter.*

§. 717.

Mandatum est pactum, quo vnus promittit alteri negotiorum suorum, sibi commissorum, gratuitam expeditionem.

§. 718.

Cum *committere* sit alterum sibi perfecte obligare ad aliquid suo nomine faciendum, ex hac notione, iuncto mandati concepto, patet 1) *per solam commendationem mandatum non contrahi* (§. 207.); 2) *mandatarium obligatum esse ex hoc pacto ad adimplendum mandatum, cui obligationi respondet in mandante ius.*

§. 719.

Licet ex pactis sine re initis vnilateralibus vnus pacisentium tantùm ius acquirat, alter tamen occasione

sione horum pactorum etiam immediate ex lege ius acquirere potest, si adest talis rerum status quem ius immediatum requirit. Per §. 644 et 203.

§. 720.

Sequuntur pacta sine re inita bilateralia (§. 644.), quae vel *directoria*, vel *communicatoria* (§. *cit.*). esse possunt.

§. 721.

Quae ex iis directoriis sunt reduci possunt ad haec summa genera: 1) *pactum quo ab vtraque parte res promittitur*; 2) *pactum quo ab vtraque parte factum promittitur*; 3) *pactum quo a parte promittentis res, et a parte repromittentis factum, promittitur*; 4 *pactum quo a parte promittentis factum, a parte repromittentis res, promittitur.*

§. 722.

De his pactis in genere notandum, quod 1) *a pactis do vt des etc.* (§. 690.) *in eo differant, hic nullam actu iam factam praestationem adesse*; 2) tum *inita* esse, si de vtriusque consensu constat; *perfecta*, tum esse, si obiectum antea incertum certum factum; *consummata* vero, si ab vtraque parte praestatio eius quod promissum accessit.

§. 723.

Quod in specie attinet pacta, quibus ab vtraque parte res promittitur, eo pertinent *emtio venditio*; *locatio conductio rerum et permutatio.*

§. 724.

Emtio venditio est pactum quo, ab vna parte res ipsa, ab altera vero eius pretium, per pecuniam

iam numeratam soluendum, promittitur. Esque, prout res quae venditur, vel est res quae iam existit et in venditoris potestate est, vel non, vel *emtio venditio simpliciter sic dicta*, vel *non*. In posteriori casu vero, vel *emtio venditio fiet*, vel *emtio venditio rei sperate* est, prout res quae venditur vel simplex spes, vel res sperata est (§. 116. 117.).

§. 725.

Ex emtione venditione itaque *obligatus est venditor ad dominii rei venditae translationem eiusque traditionem, emtor vero ad pretii promissi solutionem. Quibus obligationibus respondent in venditore et emtore iura* (§. *praec.*).

§. 726.

Locatio conductio rerum est pactum, quo vsus rei ab vna parte, ab altera vero merces, per pecuniam numeratam soluenda, promittitur. *Locatio conductio operarum* vero est pactum quo operae ab vna parte, ab altera vero merces, per pecuniam numeratam soluenda, promittitur, eaque est vel *locatio conductio operis*, vel *locatio conductio operarum in specie sic dicta*, prout operae promissae, vel tales sunt, per quas promissor opus quoddam ex nostra materia facit, vel non. *Si itaque conueniatur cum artifice, vt opus ex sua materia faciat, pretio in opus perfectum et consummatum constituto, pactum locatio conductio non est, sed emtio venditio rei futurae.*

§. 727.

Ex locatione conductione itaque *oritur a parte locatoris, tam obligatio promissam rei vsum concedendi et*

et operas promissas praestandi, quam eius tum mercedem promissam postulandi. Vnde per se patet quale iur, qualisque obligatio, ex hoc contractu ratione conductoris oriatur.

§. 728.

Permutatio pro pacto sumta, est pactum quo vnus promittit rem ipsam, et alter vicissim promittit rem ipsam aliam.

§. 729.

Differt itaque *permutatio pro pacto sumta, a pacto permutatorio* (§. 723.) *in eo, quod in permutatione ab vtraque parte promissio ipsius rei, in pacto permutatorio vero, ab vna parte res iam actu data, et ab altera tantum promissio fiat. Caeterum per se patet, in quo differant emtio venditio et locatio conductio a permutatione, quaeque iura et obligationes ex hac pacto oriantur.*

§. 730.

Pacta sine re inita bilateralia directoria excipiunt communicatoria (§. 720.), quae vno nomine *societas*, scilicet *bonorum*, dicuntur, cui opponitur *societas personarum*, (§. 405.). Est vero *societas bonorum*, quae ab ipso condominio seu ipsa communione (§. 275.) distinguenda, pactum de rebus vel operis communicandis, id quod fit, vel communis lucri seu damni causa, vel non, et in priori casu speciatim *negotiatoria societas* appellatur.

§. 731.

Societatis negotiatoriae variae concipi possunt species, pro diuersitate eius quod communicatur. Communicari enim possunt 1) *res ab vtraque parte tantum*; 2) *facta ab vtraque parte tantum*; 3) *res ab vna, parte tantum, et facta ab altera parte tantum.* Licet vero adhuc plures species concipi possint, reliquae tamen ad pacta composita, de quibus infra, commodius referri possunt.

§. 732.

Ex societate semper quidem oritur communio quaedam, at non semper ipsorum collatorum condominium per eam constituatur, sed vel vsum tantum, vel et rem ipsam, communio efficit. Per definitionem (§. 730.).

§. 733.

Ex societate quilibet sociorum acquirit ius ab altero sociorum postulandi collationem eius quod se conferre velle promisit, et, si praecise negotiatoria est, lucri diuisionem, cui iuri in vno sociorum, respondet obligatio in altero. Quod si vero eventus intentioni in societate negotiatoria non respondet, sed adest damnum casuale, quilibet sociorum illud itidem ferre debet. Id quod itidem ex definitione societatis in genere et in specie negotiatoriae deducendum (§. 730).

TIT.

TIT. III.

DE

IVRIBVS EX PACTIS SIMPLICIBVS OBLIGATORIIS MINVS PRINCIPALIBVS PRAEPARATORIIS.

§. 734.

Praeparatoria pacta §. 642. sunt duplicis generis, dum per alia *pacta re inita* praeparantur, per alia vero *pacta sine re inita.*

§. 735.

Pactorum praeparatoriorum primi generis, tot dantur species, quod sunt pactorum re initorum principalium species; et, prout quaedam pactorum principalium re initorum specialia habent nomina, ita nec talia desunt quoad pacta praeparatoria, veluti *pactum de mutuando, commodando, oppignorando, deponendo, permutando, ex quorum implemento oriuntur pacta re inita quae praeparant.*

§. 736.

Pacta praeparatoria pactorum principalium re initorum, in eo differunt a pactis re initis ipsis, quod nulla hic accedat actualis praestatio, sicque sint sine re inita pacta. Per §. 647.

§. 737.

Quae de speciebus pactorum praeparatoriorum quoad pacta re inita dicta sunt §. 755 valent etiam de pactis praeparatoriis quoad pacta sine re inita, qualia sunt pactum de *emendo, vendendo,*

dendo, locando, conducendo, mandato suscipiendo, inunda societate.

§. 738.

Pacta praeparatoria ad pacta sine re inita, differunt ab ipsis pactis principalibus quae praeparant, in eo, quod 1) in pactis praeparatoriis consensus in futurum pactum expresse concipiatur, quod in principalibus pactis secus est; 2) licet utrumque pactum sit pactum sine re initum, ad pacti principalis existentiam tamen, praeter pactum minus principale, adhuc nova promissio, a priori specie diversa requiratur, praesertim si per pactum praeparatorium consensus non nisi generaliter determinatus. Per §. 712 seqq. et 737.

TIT. IV.

DE IVRIBVS EX PACTIS SIMPLICIBVS OBLIGATORIIS MINVS PRINCIPALIBVS ADIECTIS.

§. 739.

Pacta adiecta in genere vel *confirmantia*, vel *adiicientia*, vel *detrahentia* pacta sunt: prout vel obligationem ex pacto, cui adiiciuntur, natura venientem confirmant; vel novam obligationem, ex pacto principalis cui adiiciuntur natura non venientem, constituunt; vel obligationem, ex pacto principalis cui adiiciuntur natura venientem, tollunt. Cum vero pacta detrahentia ad *liberatoria* pacta referri debeant, hic non nisi de iis quae *confirmantia* et *adiicientia* sunt agendum.

§. 740.

§. 740.

Pactorum adiectorum huius generis infinitae dantur species, ex quibus praecipue notari merentur 1) *pactum usurarium*; 2) *pactum de redimendo, protimiseos*, et de *retrouendendo*; 3) *pactum antichreticum*; 4) *pactum de praestanda emtione*.

§. 741.

Pactum usurarium est pactum, quo quis pro usu rei alienae, seu alteri debitae, usuras promittit; unde *hoc pactum non mutuo solum, sed et aliis pactis, accedere potest, et efficit pactum cui adiicitur fieri onerosum pactum* (§. 645.).

§. 742.

Pactum de redimenda est pactum, quo venditor emtori promittit, quod rem venditam ab emtore emere velit; *pactum de retrouendendo* est pactum, quo emtor venditori promittit, quod rem emptam venditori vendere velit; *pactum protimiseos* est pactum, quo emtor venditori promittit, quod, si aliquando rem emtam iterum vendat, venditori prae aliis eam vendere velit. *Haec pacta* itaque *tantum emtioni venditioni adiici possunt, sunt que, ratione futurae emtionis venditionis, simul pacta praeparantia, sicque mixta ex adiectis et praeparatoriis pactis.*

§. 743.

Ius protimiseos quod oritur ex pacto protimiseos, differt a iure retractus (§. 615.) *in eo, quod sit ius personale, cum ius retractus sit ius in re, sicque*

que inde non oriatur ius revocandi rem venditam a nuovo domino. Per §. 241.

§. 744.

Pactum antichreticum supra §. 607. *definitum, non nisi pacto pignoris adiici potest, et per illud creditor acquirit ius re oppignorati utendi.* Per §. 607.

§. 745.

Pactum de praestanda cuictione dicitur, quo quis alteri cuictionis praestationem promittit, de cuius indole ex iis, quae de praestatione cuictionis supra §. 672. seqq. dicta sunt, facile constat.

TIT. V.

DE

IVRIBVS EX PACTIS SIMPLICIBVS LIBERATORIIS ET MIXTIS.

§. 746.

Absolutis pactis simplicibus quae obligatoria sunt, sequuntur *liberatoria* et *mixta* (§. 641.).

§. 747.

Pacta liberatoria cum et sine re inita pacta esse possunt, nec sunt semper principalia, sed dantur inter ea quae sunt minus principalia, prout etiam vel unilateralia, vel bilateralia esse possunt. Naturae horum pactorum enim non repugnant hae pactorum diuisiones.

§. 748.

Ex innumeris pactorum huius generis speciebus, pauca sunt quae speciale habent nomen, qualia

qualia sunt, quoad pacta liberatoria tantum, et quidem principalia, *pactum de non petendo* seu *pactum remissorium*; quoad minus principalia, *pactum resolutum*, cuius species sunt, *pactum arrhale; pactum commissorium; pactum additionis in diem; pactum displicentiae.*

§. 749.

Pactum de non petendo seu *pactum remissorium* dicitur, quo creditor promittit debitori iuris sui remissionem (§. 342.). *Differt* itaque *pactum remissorium a renunciatione in eo, quod renuncians declaret iuris futuri ablicationem, remittens vero iuris praesentis ablicationem, et ad pactum remissorium acceptatio debitoris necessaria sit. Differt porro a donatione inter vivos in eo, quod donans cui, quod suum est, in alterum translationem promittat, id quod non fit a remittente, licet negari nequeat magnamesse inter eam et pactum de non petendo similitudinem.* Per §. 342. et 713.

§. 750.

Pactum dicitur *resolutium*, si paciscentes conditionem quandam resolutiuam pacto principali adiiciunt, quae conditio vel haec est: si implementum non sequitur, quo casu *pactum commissorium* seu *lex commissoria*; vel haec, si meliorem conditionem offerens inueniatur, quo casu *pactum additionis in diem*; vel haec, si datam arrham liberatoriam perdere velit dans, quo casu *pactum arrhale*; vel haec, si non amplius placet vni alteri-

ve

ve pactum fubfiftere, quo cafu *pactum difplicentiae* dicitur.

§. 751.

Pactum refolutionem eft vel *refolutivum ex tunc*, fi pactum retro refolvitur, quafi ab initio ftatim fuiffet nullum, vel *refolutivum ex nunc*, fi pactum refolvitur eo, quo conditio exiftit, tempore, vt ab eo demum habeatur pro nullo.

§. 752.

Ad pacta ex obligatoriis et liberatoriis mixta pertinent *novatio*, de qua fupra (§. 215.), *transactio* et *compromiffum*. Conveniunt vero transactio et compromiffum in eo, quod fint fpecies amicabilis compofitionis, de qua infra in iurisprudentia practica agendum.

TIT. VI.

DE

IVRIBVS EX PACTIS COMPOSITIS.

§. 753.

Ordo tangit pacta compofita feu mixta (§. 643.), quae vel *ex pactis principalibus et minus principalibus mixta fiunt*, vel *ex variis pactis principalibus*. Praetereaque, vel *non nifi ex duobus pactis*, vel *ex pluribus* mixta effe poffunt (§. *cit.*).

§. 754.

Ad pacta compofita ex duobus pactis, quoad *pacta re inita*, pertinent *omnia pacta quae comprehenfa fub formulis generalibus fupra* §. 690. *recenfitis, quando eae mifcentur*, veluti, *pacta do vt des et facias; do et facio vt facias; facio vt des et facias; do et facio vt facias, facio vt des et facias; do et facio vt des.* Praeterea ex his pactis compo-

a) *mutuum vfurarium*, fi mutuo adiectum eft pactis quaedam fpecialia nomina habent, veluti; ftum vfurarium; b) *bodmeria*, fi pecunia ea lege in ipfam nauim creditur, vt fors pereat creditori, fi nauis interierit, vel in locum deftinatum non venerit, creditor autem lucrum contentum capiat, fi falua in portum venerit; c) *depofitum irregulare*, fi depofito adiectum pactum quo depofitario vfus rei depofitae permittitur, fiue illud pactum fit expreffum, fiue tacitum, veluti fi fola quantitas depofita; d) *pignus anticheticum*, fi contractui pignoratitio pactum anticheticum adiectum

§. 755.

Ad pacta compofita ex duobus pactis, quoad *pacta fine re inita*, pertinent a) *pactum ex emtione venditione et permutatione mixtum*, fi in emtione venditione pretium conventum, ex parte per pecuniam numeratam, ex parte per alias res, folvendum promittitur; b) *pactum foedus*, fi locationi conductioni pecudum pactum adiectum, vi cuius conductor cafum fufcipit; c) *colonia partiaria*, fi in rei frugiferae lotarione conductione conuentum, loco mercedis, certam frugum partem, in natura praeftari a conductore.

§. 756.

Pactorum compofitorum, ex pluribus quam duobus pactis, exemplum eft *cambium*, quod vo-

cant *traſſatum*, quod eſt pactum quo datur alicui pecunia in hoc loco, vt is eandem alio in loco, ſive dauti, ſive alii cuidam, ſolui curet, quippe quod *ab initio quidem ſimplex pactum do vt facias eſt inter ſoluentem in primo loco ſolutionis* (Remittentem), *et ibi accipientem* (Traſſantem); *ast compoſitum ſit, dum traſſans alii in loco ſecundae ſolutionis committit ſolutionem ſuo nomine faciendam, iſque hoc alienum negotium ſibi commiſſum ſuſcipit, tum enim accedit inter traſſantem, et eum cui ſolutio commiſſa* (Traſſatum), *mandatum, inter hunc et eum cui in loco ſecundae ſolutionis ſolutio facienda* (Praeſentantem) *vero, pactum quo ſolutio pecuniae a traſſante iam promiſſae iterum promittitur.* (§. 705. et 717.).

§. 757.

Si definiendum eſt quid iuſtum pacto compoſito inito, illud reſoluendum in ſimplicia pacta ex quibus compoſitum eſt, et, quatenus vnum pactorum ſimplicium per alterum non alteratur, iura et obligationes quae ex pactis ſimplicibus, compoſitum, pactum conſtituentibus, fluunt, locum habent. Vi definitionis pacti compoſiti (§. 643.).

TIT. VII.

DE IVRIBVS EX QVASI PACTIS.

§. 758

[illegible]

miſſionis acceptatio praeſtami poteſt, totiet quaſi pactum adſint et ex eo obligatio deduci poſſit. Per definitionem quaſi pactorum (§. 639.).

§. 759.

Quaſi pactum et pactum tacitum differunt inter ſe in eo, quod pactum tacitum per conſenſum tacitum ineatur, quaſi pactum vero praeſumto conſenſu nitatur. Per §. 639.

§. 760.

Quoties quis immediate ex lege eſt obligatus, totiet obligatio ad id praeſtandum ex quaſi pacto deduci poteſt. Vi §. 639. et regulae ſecundae de conſenſu praeſumto (§. 55.). *E contra, quoties quis immediate ex lege non eſt obligatus, ex praeſumto eius conſenſu obligatio deduci nequit.* Tum enim regula ſecunda de conſenſu praeſumto non habet locum, immo prima obſtat quo minus hic praeſumtio locum habeat (*l. c.*). Hinc fluit: *licet quaſi pacta ſint iuris naturalis* (§. 640.), *neutiquam tamen opus eſſe vt in deducendis iuribus et obligationibus naturalibus ad ea confugiamus, ſicque diuiſionem pactorum in pacta vera et quaſi pacta eſſe otioſam.*

CHRIST. ERID. SCHOTT Diſſ. ſub titulo: *Conſenſus praeſumtus cum quaſi contractibus e iure naturae* [illegible]

(b)

DE ACQVISITIONE, AMISSIONE, PERSECVTIONE ET CONSERVATIONE IVRIVM EX PACTIS.

§. 761.

Ex dictis §. 688. constat nunc de *acquisitione*, *amissione*, *persecutione* et *conseruatione* iurium ex pactis agendum esse, quae themata hic figillatim explicanda sunt.

TIT. I.
DE
ACQVISITIONE IVRIVM EX PACTIS.

§. 762.

Acquisitio iuris ex pacto, vel talis est quae fit, *dum pactum initur, ab ipsis pacisc entibus seu vno eorum*, vel talis *quo ius, quod alter per pactum acquisiuit, in nos transit.*

§. 763.

Ad acquisitionem iuris ex pacto quae fit, dum pactum initur a pacisc entibus vel vno eorum, non sufficit promissionem factam esse, sed accessisse iam acceptationem necesse est, ita vt, antequam ea facta, quaelibet promissio reuocari possit, cumea facta haec reuocatio amplius fieri nequeat, nisi promittens sibi facultatem reuocandi reseruauerit. Quodsi vero promissionis acceptatio facta, nihil praeterea requiritur ad horum iurium acquisitionem, nisi, vel aliter conuentum, vel pactum sit pactum re initum, in quo vltimo casu actu factam praestationem praecessisse

cessisse necesse est. Pactum enim est promissio acceptata (§. 150.), et pactum re initum sine actuali quadam praestatione concipi nequit (§. 70.).

§. 764.

Hinc fluit: 1) *non requiri ad acquisitionem iurium ex pacto pactum in scripturam esse redactum et a pacisc entibus subscriptum, nisi ita conuentum*; 2) *licet, si pactum est onerosum pactum, implementum eius a nulla parte sequutum, nihilominus adesse ius ex pacto.*

§. 765.

Fluit porro ex dictis §. 763. *promissione facta et acceptatione secuta, non requiri promittenti iam innotuisse acceptationem factam esse, nisi expresse declarauerit promissor quod, antequam acceptatio sibi innotuerit, obligatus esse nolit.*

§. 766.

Promissio eiusque acceptatio fieri possunt, vel ab *ipsis pacisc entibus*, vel a *tertio cui hoc ab iis commissum, qui* nomine contrahendae obligationis *dicitur, et in priori casu perinde est, siue inter praesentes viua voce, siue inter absentes per epistolam, promissio eiusque acceptatio fiat.* Nulla enim allegari potest ratio, cur hic actus praecise in propria persona explicandus, et voluntatis declaratio tam viua voce, quam per epistolam fieri possit.

§. 767.

Si, vel per ministrum contrahendae obligationis, vel per epistolam, promissio sit, et promissario promissio facta aliunde innotuerit, eius acceptatio pre-

mittentem non obligat. Tum enim per alium, qui non eſt miniſter contrahendae obligationis a nobis electus, promiſſionem fieri neceſſe eſt, aſt talis nos obligare nequit.

§. 768.

Quod attinet acquiſitionem iuris ex pacto, quae fit ita, vt ius quod alter ex pacto habet in nos tranſeat, per *occupationem*, *acceptationem delati iuris* et *praeſcriptionem mere tranſlatiuam* (§. 329 ſeqq.) haec acquiſitio fieri poteſt, nec hiſpecialia in applicatione ad haec iura obueniunt.

TIT. II.

DE AMISSIONE IVRIVM EX PACTIS.

§. 769.

Quoad amiſſionem iurium ex pactis notandum, eam fieri partim modis *generalibus* (§. 339. ſeqq.), partim modis huius generis iuribus *propriis*, de quibus hic tantum agendum.

§. 770.

Pertinet vero ad modos proprios I) *mutuus diſſenſus* ſeu *poenitentia bilateralis*, ſi nimirum pacto oneroſo inito, aſt implemento nondum ſecuto, ambo paciſcentes in eo conſentiunt, quod ſibi amplius ex pacto obligati eſſe nolint. *Si itaque implemento pacti oneroſi iam ſecuto, paciſcentes conſentiunt in reddibitionem eius quod vnus ab altero accepit, nouum potius pactum ineunt, nec mutuo diſſenſu diſſolut prius pactum dici poteſt.*

§. 771.

§. 771.

Hinc porro referri debet II) *perfidia ab altero paciſcentium commiſſa*, dum nimirum alter paciſcentium obligationem ſuam ex pacto, per actionem commiſſuam ei contrariam, violat. Hinc a perfidia differt *implementum non ſecutum*, ſi nimirum alter paciſcentium omittit praeſtationem ex pacto debitam.

§. 772.

Si in pacto oneroſo alter paciſcentium committit perfidiam, ius, quod ei ex pacto per perfidiam violato comperit, ceſſat, et alter a ſua parte ab obligatione liberatur. Aſt, ſi tantum implementum non ſequitur, altera pars paciſcentium potius poſtulare debet implementum, quam ſtatim a pacto recedere. Quodſi vero implementum ſequi nequit, licet a pacto recedere, ſicque tum, et propter implementum non ſecutum, ceſſat ius alterius ex pacto. Omne pactum oneroſum enim continet tacitam conditionem reſolutiuam, alterum pacto non contrauenire (§. 645). Quod ſi nunc perfidia committitur, contrauentio facta, ſicque nunc reſolutiua conditio exiſtit. Ergo §. 660. Si vero tantum implementum non ſequitur, quamdiu ſequi adhuc poteſt, deeſt contrauentio, ſicque conditionem reſolutiuam, quae tacite ineſt, exiſtere, tum demum dici poteſt, ſi ſequi non poteſt. Ergo tum demum a pacto recedere licet per §. 660.

§ 773.

Quod vero III) attinet *poenitentiam vnilateralem in pactis*, ea, tum fieri dicitur, ſi vnus paciſcen-

tium, altero inuito, ad suum beneplacitum a pacto recedit, et de ea notandum hoc principium: *poenitentia vnilaterali ius ex pacto tolli nequit, nisi* 1) *ita conuentum per pactum resolutiuum adiectum*; 2) *pactum est pactum re initum sub formula: do vt des, vel do vt facias, comprehensum, et alter a sua parte nondum dedit vel fecit, ita vt, danti tum competat electio, an implementum postulare, an vero statim poenitentiam exercere, et quod datum, tanquam datum ob causam causa non secuta, repetere velit vi iuris immediati.* Regula inde patet, quod nemo ad suum beneplacitum ius alteri concessum tollere possit (§. 193.). Exceptio prima vero per se patet, et secunda inde fluit, quod dans in tali pacto se per pactum non obligauerit alteri, bene (cf. Wasquez (§. Cit. 705.)).

DE CONSERVATIONE ET PERFECTIONE IVRIVM EX PACTIS.

§. 775.

Conseruatio iuris ex pacto, (inter modos generales (§. 390 Log.) speciatim hoc potest per *pacti renouationem*, si de pacti, ad certum tempus iniri, vteriori durationi pactscentes inter se conuenerint, eaque vel *expresse*, vel *tacite*, seri p-

§. 776.

Quo-

spectum infringens, negotium antiquare possit

cuius

catio horum iurium fieri potest, tempus expletionis obligationis existere debere, sed et, si pactum est onerosum, eum, qui ius ex eo persequi vult, a sua parte pactum iam impleuisse, necesse esse. Prout prius per se patet, ita posterius inde fluit, quod omni pacto onerofo insit tacita conditio resolutiua, alterum pacto a sua parte non contrauenire (§. 645.). Ergo §. 660.

SECTIO II.

DE IVRE PERSONARVM.

§. 776.

Absoluto iure rerum, sequitur ius personarum, (§. 539.) quod complectitur veritates iuris naturalis, quae certum hominem in tam praeclaro ponunt (§. cit.). Itaque in hac sectione exponendum venit, quae sint *dotes* et *obligationes*, quae personae, quatenus *personae* sunt, sed quae *vel ex statu* personae, quatenus *certus* quis cum alia, secundum hoc aut illum, vel ad hoc aut illum respectum consideratur, oriantur, determinatum, certum personarum peculiarium, quae quatenus eo sciunt, quod *sint* relationes, vel *non fictales* status (§. 537). Nec opus erit hic iura *ipso facto spectata*, et eorum *acquisitionem*, *amissionem*, *conseruationem* atque *perfectionem*, figillatim expendere, cum per se patet haec iura cum statu acquiri, amitti et conseruari. Quoad perfectionem vero non nisi hoc singulare habent, quod duplex controuersia hic a se inuicem distinguenda, dum vel *ipse status*

in dubium vocatur, vel *ius et obligatio ex eo*, ſtatu ipſo agnito.

MEMBRVM I.

DE STATIBVS NON SOCIALIBVS.

§. 777.

Non ſociales ſtatus, vel per qualitates hominum phyſicas determinantur, vel non. In priori caſu *naturales*, in poſteriori vero *ciuiles* dicuntur. De naturalibus primo, dein et de ciuilibus agendum.

TIT. I.

DE STATIBVS NON SOCIALIBVS NATVRALIBVS.

§. 778.

Ad ſtatus non ſociales naturales hominum referri poteſt I) *ſtatus embryonum.* Sunt vero *embryones* nondum nati, qui, a matre iam concepti, adhuc in vtero eius ſunt.

§. 779.

Licet vulgo dici ſoleat: *nondum natorum nulla eſſe iura*, haec theſis tamen reſtringenda *ad nondum natos, qui nondum embryones ſunt, quippe, qui iura habere nequeunt; licet, quoad iura ex pacto et prouidentia maiorum, omnis actus viuentium eatenus ſit inualidus, quatenus impedit nondum natum, ſiue ſint embryones, ſiue non, dum naſcuntur deferri illa, ita, prout primus conſtituens ea deferri iis*

iis voluit. Nondum natis, qui ſunt embryones, vere omnia officia abſoluta debentur, quae in genere homo homini debet. Licet enim non entis nullae ſint affectiones, embryonem tamen non ens eſſe, dici nequit, quippe qui potius homo eſt, nec dici poteſt officia abſoluta, quae homo homini debet, ad homines extra vterum maternum viuentes reſtringendo eſſe. Caeterum, quae de iure ex pacto et prouidentia maiorum dicta ſunt, inde ſtatur, quoniam eſt ius vſufructuarium (§. 245.) de quo diſponere nequit is cui competit (§. *cit.*).

§. 780.

Ad ſtatus hominum naturales pertinet II) *ſtatus ſexus*, licet *pro ſexus diuerſitate homines, non niſi ratione educationis liberorum ab iis procreatorum, de qua infra, diuerſis iuribus et obligationibus vtantur, et ne quidem defendi poſſit maiorem a foeminis, quam maribus, requiri caſtitatem.* Praeter ea quae de educatione liberorum infra dicenda enim, ex eo, in quo diuerſi ſexus homines inter ſe differunt, differentia iurium et obligationum deduci nequit.

§. 781.

Ad ſtatus hominum naturales referri etiam debet III) *ſtatus aetatis.* Licet enim ſecundum ius naturae certi aetatis gradus, ſecundum quos homines diuerſis iuribus et obligationibus vtuntur, definiri nequeant, *homines tamen qui in ea aetate adhuc ſunt, in qua ſanae rationis vſus ſe nondum exſerit, quoad actus voluntatis diuerſis iuribus et obligationi-*

gationibus ab aliis hominibus, in hoc ſtatu non conſtituti, eatenus vtuntur, quod ad eas incapaces ſint, veluti ad pacta iniunda. Voluntas enim ab intellectu dependet.

§. 782.

Sequitur IV) *ſtatus dementiae*, in quo eſt homo qui, licet adultus ſit, vſu ſanae rationis tamen eſt deſtitutus, *de quo valet quod de ſtatu aetatis §. prace. dictum.* Siue enim ob aetatem, ſiue ob aliam cauſam, ſanae rationis vſus deſit, perinde eſt.

§. 783.

Et huc referri poteſt V) *ſtatus corpore vitiatorum*, quales ſunt omnes, quorum corpus tale non eſt, quale ordinarie eſſe ſolet. Pertinent itaque ad corpore vitiatos a) *defectu ſenſuum laborantes*, veluti muti, caeci, ſurdi etc. b) *ii quorum corpus quoad partes genitales vitioſum eſt*, veluti caſtrati, frigidi etc; c) *reliqui corpore vitiati, vel quoad corpus in genere, vel quoad alias partes, praeter organa ſenſoria et partes genitales*, veluti, nani, homines bicorporei, bicipites etc. *Monſtra* vera, quae ſunt partus humani, qui habent tale corpus cum quo anima humana in harmonia eſſe nequit, *huc non pertinent, cum homines non ſint.*

§. 784.

Homines corpore vitiati, ſi corporis vitium, nec ſanae rationis vſum impedit, nec impedit quominus animi ſui ſenſa declarare poſſint, nec obligationis expletionem impoſſibilem reddit, *diuerſis*

ſi iuribus et obligationibus ab aliis hominibus non vtuntur. Quatenus vero defectus corporis 1) vſum ſanae rationis impedit, *valet quod de demontibus dictum §. prace.*; 2) impedit quo minus animi ſui ſenſa declarare poſſit talis homo, *nullum actum, qui voluntatis declarationem inuoluit, valide peragere poteſt*; 3) obligationis cuiusdam expletionem impoſſibilem reddit, *non ſolum talis homo non eſt obligatus, ſed et, ſi promiſit praeſtationem ei propter vitium corporis impoſſibilem per pactum bilaterale, alter a ſua parte non eſt obligatus vt praeſtet quod repromiſit.* Quae de caſibus, in quibus vitium corporis impedit, vel ſanae rationis vſum, vel ſenſorum animi declarationem, dicta ſunt per ſe patent. Quoad eum caſum, quo impedit obligationis expletionem, vero, dicta fluunt ex §. 171 et 772.

§. 785.

Caeterum, licet variae adhuc dentur phyſicae qualitates, ſecundum quas homines inter ſe differunt, praeter eas, ex quibus oriuntur recenſiti ſtatus naturales, *reliquae tamen ſtatus non ſunt, ita vt ne quidem ea qualitas, quod quis ex coitu illicito natus ſit, huc referri poſſit.* Ad ſtatum enim non ſufficit qualitas ſecundum quam vnus homo ab alio differt, ſed talis eſſe debet, ſecundum quam diuerſis iuribus et obligationibus vtuntur homines (§. 43.), quod ne quidem de qualitate ea, quod homo ex coitu illicito natus ſit, dici poteſt.

TIT. II.

DE

STATIBVS NON SOCIALIBVS CIVILIBVS.

§. 786.

Pauci dantur ſtatus non ſociales ciuiles, qui, quoad homines extra rempublicam viuentes, locum habent; quum aliae qualitatum non phyſicarum, quae quoad homines in republica viuentes concipi poſſunt, hic plane locum non habeant, aliae vero, quae locum habent, non ſint tales quae ſecundum ius naturae ad ſtatus referri poſſunt (§. 43.). Interim tamen ea qualitas, *quod quis infamia laboret*, et qualitas *cognationis*, tanquam ſtatus huius generis conſiderari poſſunt.

§ 787.

Dicitur vero in ſtatu naturali *infamis*, ſeu *infamia laborans*, qui de officiorum expletione non ſollicitus, prauis affectibus tantum indulget, ſicque *infamia contrahitur, tam per officiorum erga nos, quam officiorum erga alios, neglectum talem, qualis ad infamiam requiritur.* Differunt vero infamia laborantes gradu, et infamia eorum, qui propter officiorum erga ſe ipſos, et imperfectorum erga alios, neglectum infamia laborant, *infamia minor*, eorum vero, qui propter officiorum perfectorum erga alios neglectum infamia laborant, *infamia maior*, dici poſſet.

§. 788.

Diuerſa iura, et obligationes diuerſae, quibus infamia laborantes et non laborantes vtuntur, *eo redeunt, quod infamia laborantes a iuribus, quae dependent ab exiſtimatione bona, merito excludendi*, quoniam bonam exiſtimationem non merentur (§. 510.).

CHRIST. THOMASIVS *de exiſtimatione, fama et infamia extra rempublicam.* Halae 1709

§. 789.

Huc etiam referri poteſt *ſtatus cognationis*, licet hic ſtatus, certo modo, ad ſtatus naturales pertineat. Oritur vero ſtatus cognationis ex *cognatione*, quae eſt relatio hominum ad ſe inuicem ex ſobolis procreatione, ſeu generatione, orta, eſtque vel *conſanguinitas*, ſi haec relatio oritur ex generatione per ſe oritur, vel *affinitas*, ſi haec relatio oritur ex generatione per accedentem coitum. Dicuntur itaque *cognati*, homines inter quos eſt cognatio, qui, vel *conſanguinei*, vel *affines* ſunt, prout cognatio vel conſanguinitas, vel affinitas eſt.

§. 790.

Conſanguinei dicuntur *recti*, ſi per generationem a ſe inuicem dependent: *a latere* vero, ſi ab eodem tertio per generationem dependent, non vero ſimul a ſe inuicem. Conſanguinei recti vel *adſcendentes* ſunt, ſi generatus refertur ad generantem, vel *deſcendentes*, ſi generans refertur ad generatum.

§. 791.

Iura et obligationes hominum quae a ſtatu cognationis dependent, ſunt duplicis generis, dum partim ſe exerunt quoad *cognatos inter ſe*, partim quoad *tertium*. Prioris generis iura et obligationes ſunt, quod 1) *magis obligati ſimus ad perfectionem cognatorum promouendam, quam aliorum*; 2) *ſingularia dentur officia cognatorum inter ſe, praeſertim inter aſcendentes et deſcendentes, infra in doctrina de ſocietate paterna euoluenda; ſicque omnia ea illicita ſint, quae his officiis contraria ſunt, quotiescognatos inter ſe concernunt, licet extra hunc reſpectum licita ſerent.* Poſterioris generis iura et obligationes vero ſunt, quae inde fluunt; *quod cognati in cauſis cognatorum cum aliis ſint ſuſpecti.* Haec omnia ex amore cognatorum ſingulari, qui a natura eſt, deducenda ſunt.

MEMBRVM II.

DE STATIBVS SOCIALIBVS.

§. 792.

Status ſociales qui ad hanc, in qua verſamur, partem iurisprudentiae naturalis referri poſſunt, ex ſocietate *paterna*, *coniugali*, *herili*, nec non *domo* ſeu *familia* oriuntur. Vnde de his ſocietatibus, et qui ex iis oriuntur ſtatibus ſocialibus, nunc agendum.

TIT.

TIT. I.

DE SOCIETATE PATERNA.

§. 793.

Ex facta ſoboli procreatione, ſiue ex coitu illicito, ſiue ex licito, ea facta ſit, oritur obligatio ad ſoboli procreatae educationem, quae eſt cura ſoboleni, quae propter aetatem nimis teneram non poteſt, ipſam, ſtatumque eius externum, perfectiorem reddendi. Haec *obligatio* itaque *tam patri, quam matri, aequaliter incumbit, et, ſi parentes huic obligationi ſatisfacere nequeunt, ad proximos cognatos deuoluitur.* Haec theſis ex eo principio deducenda, quod ſoboles procreata, quamdiu propter aetatem nimis teneram obligationi, ſe ſtatumque ſuum externum reddendi perfectiorem, ſatisfacere nequit (§. 186.), ius habeat ab aliis hominibus poſtulandi vt hoc ab iis fiat (§. 191. 231.). Quum vero parentes facto ſuo procreationis effecerunt talem hominem exiſtere, ii prae aliis hominibus ſunt obligati, ſique hi non poſſunt, cognati, quippe qui tum prae aliis obligati ſunt ad cognati perfectionem promouendum.

§. 794.

Societas, cuius finis eſt educatio, dicitur *paterna* ſeu *parentalis*, *quae* itaque *concipi nequit niſi adſit homo qui propter nimis teneram aetatem ab aliis educandus.* Per definitionem educationis (§. *praec.*).

§. 795.

Vt doctrina de societate paterna distincte evolvatur, ante omnia notandum, *varias huius societatis species a se invicem distinguendas esse*, licet hoc vulgo fieri non soleat. Societas cuius finis est educatio enim, differt pro diuersitate *personarum ad hunc finem obtinendum consociatarum*, quales sunt, vel *parentes* seu *educantes inter se*, vel *parentes eiusue vices implentes*, seu in genere, *educans ab vna parte et educandus ab altera parte*. Liceat itaque, societatem patris et matris inter se, cuius finis est educatio soboli ab iis procreatae, *societatem paternam in respectu ad parentes appellare*, eique *societatem, quae inter educantem et educandum est*, opponere. Posterior, vel est societas inter patrem seu matrem, vel, si ambo adsunt, parentes, et sobolem a se procreatam, cuius finis est educatio eius, quam *societatem paternam in respectu ad liberos*, seu *stricte societatem paternam*, appello, vel est societas inter alium quam hos, et sobolem ab aliis procreatam, cuius finis est educatio eius, quam *societatem tutelarem* appello. Societas paterna in respectu ad liberos talis vero, in eo iterum diuersa esse potest, quod pater seu mater, vel parentes, sint vel natura tales, vel per *adoptionem*, hoc est, per assumtionem sobolis ab aliis procreatae, tanquam talis quae ab assumente procreata, tumque dicitur haec societas, si prius, *naturalis*, si posterius, *adoptiua*.

§. 796.

§. 796.

Societas paterna in respectu ad parentes, *est societas naturalis simplex duorum membrorum et aequalis* (§. 436. 437.), *quae constituitur per solam procreationem sobolis, et dissoluitur, dum, vel proles procreata educatione non amplius indiget, vel parentum vnus alterue defecit, per exclusionem vero et renunciationem dissolui nequit* (§. 429. 490.). Caeterum intra et obligationes, quae constitutae hac societate oriuntur, ex fine eius, educatione eiusque conceptu (§. 793.), et per applicationem principiorum generalium de societatibus (§. 410 seqq.), facile deduci possunt. Vnde hic tantum specialim monendum in hac societate, dicet aequali, dari obligationem vni sociorum, matri nimirum, propriam, scilicet *obligationem proprio lacte alendi liberos* (§. 81).

IO. FRID. COLLANG *de obligatione matrum proprio lacte alendi liberos*. Lipf. 1709.

§. 797.

Societas paterna in respectu ad liberos talis quae naturalis est, itidem societas naturalis et simplex est, quae constituitur per solam generationem, ita vt, quot generantur liberi, tot oriantur numero diuersae societates paternae stricte sic dictae naturales. Per §. 793.

§. 798.

In societate paterna in respectu ad liberos tali quae naturalis est, iura socialia sunt penes patrem seu matrem, vel, si ambo viuant, parentes. Per §. 790. Vnde est *inaequalis societas in qua pater seu mater, vel parentes, sunt imperans, liberi vero subiecti* (§. 482.).

§. 799.

Poteſtas patria eſt ius parentibus, in ſocietate paterna in reſpectu ad liberos tali quae naturalis eſt, competens in liberos, *quae* inque *complexus iurium huius ſocietatis eſt, et vel patri, vel matri, vel parentibus competit, prout vel ambo parentes adſunt, vel unus alterue* (§. *praec.*).

§. 800.

Patria poteſtas ſecundum ius naturae continet 1) *quoad liberorum actiones, imperium, et ſpeciatim, quoad operas, ius eas exigendi catenus, quatenus per eas ſumtus educationis, quos parentes ex ſuis bonis impendunt, compenſantur*; 2) *quoad liberorum patrimonium, quod venit ſub* peculii filialis *nomine*, ius illud a) *adminiſtrandi* et b) *ſumtus educationis ex eo lucrandi, reliqua vtilitate, quae ex eo venit, liberis manente.* Quae omnia ex natura educationis, ad quam peragendam tendit patria poteſtas, et ex eo fundamento, quod parentum obligatio ad educandum per §. 793 inde oriatur, quod liberi ſibi ipſis proſpicere nequeant, deduci poſſunt.

§. 801.

Patria poteſtas in ſocietate paterna in reſpectu ad liberos tali quae naturalis eſt, ſimul acquiſita eſt, dum ipſa haec ſocietas per natiuitatem prolis conſtituitur. Poſita ſocietate enim, ipſa iura ſocialia originaria ponuntur, haecque continet poteſtas patria (§. 415. 799.)

§. 802.

Societas paterna in reſpectu ad liberos talis quae naturalis eſt, diſſoluitur educatione abſoluta, vt et per mortem,

mortem, vel parentum, vel liberorum, tumque. ſi vnd patria poteſtas amittitur. Aliis modis vero diſſolui nequit, ita, vt nullus ſociorum diſcedere poſſit, nec exclusio locum habeat. Eſt enim haec ſocietas natura conſtituta (§. 797.). Ergo (§. 479.).

CHRIST. FRID. SCHOTT *de poteſtate patria veterum Rom. ſecundum ſcita iur. nat. conſiderata.* Tub. 1756.

IO. BALTHASAR WERNHER *de iure parentum et liberorum ſecundum ius naturae.* Lipſiae 1698. et in Eius Diſſ. iuris naturae quae Wittebergae 1721. 8 prodierunt.

CAR. ANDR. CHRISTIANI *Gedancken von dem Vnterſchiede des natürlichen und Römiſchen Bürgerl. Rechts in Anſehung der väterlichen Gewalt.* Königsb. 1740. 4.

§. 803.

Quae de ſocietate paterna in reſpectu ad liberos tali quae naturalis eſt, dicta ſunt (§. 479 ſeqq.), *valent etiam de adoptiua, niſi quod hic, loco natiuitatis prolis, factum adſumtionis prolis ab aliis generatae, ſubſtituendum.* Si enim quis declarat, quod prolem ſe non generatam tanquam talem adſumere velit, hoc merito eundem, quem ipſa generatio, habet effectum.

§. 804.

Vltima ſpecies ſocietatis paternae, eſt *ſocietas tutelaris*, cuius membra ſunt *tutor* et *pupillus*, de qua, quoad conſtitutionem huius ſocietatis, notandum *eam itidem per naturam conſtitutam eſſe, quatenus cognatus cognatorum tutor eſt, ſi ita diſſo-*

luta est societatis paterna stricte sic dicta, vt educatio nondum absoluta sit. Interim iuri naturali non repugnat eum, qui in societate paterna stricte sic dicta patriam potestatem habet, denominare alium, qui finita forsan per mortem societate paterna stricte sic dicta, est educatione nondum absoluta, in eius locum succedit. Quo facto, si is consentit, societas tutelaris oritur, quae non est societas naturalis a natura constituta, sed potius non naturalis. Prius fluit ex § 793 Posterius vero sine dubio ideo locum habet, quoniam nec liberorum, nec aliorum ius quaestum inde laeditur.

§. 805.

Potestas tutelaris est ius tutori competens in pupillum, et, *prout patria potestas, complectitur societatis tutelaris iura.*

§. 806.

Quae de societate paterna in respectu ad liberos tali quae naturalis est, §. 797 sqq. dicta sunt, valent etiam de tutelari, si discesseris ab iis quae § 800 ratione usufructus et operarum librorum monuimus. Est enim societas tutelaris continuata societas paterna huius generis. Differentiae dictae ratio vero inde repetenda, quod tutor pupillum non genuerit, sicque alimenta ei non debeat.

IAC. CARPOVII Pr. *de iuris ciuilis prae iure naturali in tutelis adornandis praestantia.* Vinariae 1750.

T. I T. II.

DE SOCIETATE CONIVGALI.

§. 807.

Societas, cuius finis est sobolis procreatio, dicitur *societas coniugalis. Est* itaque *educatio sobolis procreatae, non tam finis coniugii, quam potius, si fine coniugii obtento, procreatio sobolis facta, inde oritur nova societas inter coniuges, quam societatem paternam vt respectu ad parentes appello* (§. 795).

§. 808.

Licet homines per naturam sint obligati ad sobolis procreationem, si 1) *facultate physica ad eam necessaria sunt instructi;* 2) *obligationi sobolem procreatam educandi satisfacere possint: ipsa societas coniugalis tamen non est naturalis societas, sed per coniungendorum voluntatem constituenda.* Ad constituendam eam autem nihil aliud requiritur, quam *consensus praesens in societatem sobolis procreandae gratia; ita vt, hoc consensu declarato, iam adsit haec societas coniugalis et consentienter iam sint coniuges, ex quibus mas dicitur* maritus, *foemina vero* vxor; *licet ipsa copula carnalis nondum sit secuta. Haec vero si secuta est, efficit societatem coniugalem fieri consummatam.* Quoad obligationem ad sobolis procreationem in genere vid. §. 81. 186. Ad constituendam societatem coniugalem vero praeter dictum consensum nihil aliud requiri patet per §. 477. Copulam carnalem accessisse necesse esse, vt societas coniugalis pro consummata haberi possit,

fit, inde patet, quod ea fit medium ad finem obtinendum neceſſarium, eatum demum pro conſummata habenda ſocietas, ſi ſocii facere incipiunt quod, vt fiat, finis requirit.

IO. WILH. LANGE *de obligatione verinsque ſexus ad matrimonium.* Halae 1736.

§. 809.

Iuri naturali non repugnat introducitius nuptiales, per quos coniuges, ab aliis libidinis cauſa coeuntibus, diſtingui poſſunt. Aſt non dantur tales ritus per legem naturalem determinati. Ex natura huius ſocietatis enim nullus ritus talis fluit tanquam neceſſarius. Ergo §. 19.

§. 810.

Porro nec ſponſalia, nec pacta dotalia ad conſtituendam ſocietatis coniugalem requiruntur. Sunt vero *ſponſalia* pactum, per quod pacifcentes ſibi inuicem promittunt, quod ſocietatem coniugalem inter ſe conſtituere velint, ſeu pactum de ineunda ſocietate coniugali, indeque *conſenſus qui in ſponſalibus declaratur, a conſenſu qui in conſtituenda ſocietate coniugali declaratur*, in eo differt, *quod hic dirigatur in ipſam praeſentem, ille vero in futuram, ſocietatem coniugalem.* Aſt *pacta dotalia* ſeu *nuptialia* dicuntur, per quae iura et obligationes inter coniuges determinantur.

§. 811.

Societas coniugalis non niſi vnum marem, et vnam foeminam, admittit, ſicque monogamia, non polygamia, ſiue ſit polyandria, ſiue polygynia, eſſe debet.

debet. Praetereaque requiritur eos, qui in hanc ſocietatem coire volunt, 1) *nec abſoluta, nec reſpectiua impotentia coniugali laborare;* 2) *ſobolem procreatam educare poſſe;* 3) *conſenſum parentum, in quorum poteſtate patria ſunt, adeſſe;* 4) *in tali nexu non eſſe, ex quo oriuntur officia naturalia quae inter coniuges locum habere nequeunt.* Ex hoc vltimo fundamento oriuntur *gradus prohibiti, vltra cognatos, qui ſunt conſanguinei in linea recta conſtituti, tamen non extendendi.* Monogamiam defendo ex eo fundamento, quoniam ea ſunt omittenda quae non poſſunt non diſcordiam inter coniuges gignere, vt taceam plura alia argumenta quibus polygamia oppugnari poteſt et ſolet. Caeterum quoad num. 1. vid. §. 807.; quoad num. 2. §. *cit.*, cum pro illicita habendam eſſe ſocietatem dubio caret, ex qua oriri poſſunt officia naturalia, quae explere nequeunt coniuges; quoad num. 3. §. 794., cum hoc ſit praecipua pars educationis; quoad num. 4. ſocietas non poteſt non illicita eſſe, quae repugnat officiis naturalibus quae iam adſunt ante initam ſocietatem coniugalem. Aſt, cum officia naturalia, quae ſubſiſtere nequeunt inter coniuges, exigiri nequeant praeter reuerentiam quam generatae perſonae debent generantibus, quae non niſi inter cognatos conſanguineos in linea recta locum habet, gradus prohibitos ad hunc caſum reſtringendos eſſe patet.

SIGM. IAC. BAVMGARTEN *de polygamia ſimultanea illegitima, imprimis etiam ex numero hominum vtriusque ſexus in tellure fere aequali.* Hal. 1739.

GEORG. BALTH. MASCOV *de polygamia legi naturae repugnante.* Gryph. 1692.

ERN. IO. FRID. MANTZEL Diff. *qua duo argumenta quod polygamia (e iure naturali contraria, examinantur.* Roft. 1724.

IOH. WOLFG. TRIER Pr. *de pudore naturali in contrahendis matrimoniis inſpiciendo.* Francof. ad Viadr. 1737.

IO. ERNST. SCHVBERTH *de gradibus prohibitis ſecundum ius naturae.* Ien. 1743.

IO. CONR. SPANGENBERG *de eo quod iuris naturalis eſt circa gradus prohibitos et eorundem diſpenſationem.* Marb. 1748.

§. 812.

Iura et obligationes, quae conſtituta coniugali ſocietate inter coniuges locum habent, differunt, prout *ſoboles procreatio nondum facta*, vel *iam facta* eſt. In priori caſu vnice reſpiciunt *praeſtationem debiti coniugalis, ad quam ſibi inuicem obligati ſunt coniuges*, ita tamen, vt denegatio eius in tribus caſibus ſit licita, nimirum ſi 1) *ſobolis procreatio per eam fieri nequit*; 2) *officiis coniugum erga ſe ipſos repugnat*; 3) *officiis coniugum erga ſobolem, quae forſan procreari poſſet, ea contrariatur.* In poſteriori caſu diſtinguendum *an adſint liberi educandi*, vel *non.* Si prius, *propter accedentem ſocietatem paternam reſpectu parentum talem vt huius ſocietatis locum habent quae ſupra* (§. 796.) *dicta ſunt*, et tum accedit nouus caſus quo denegatio debiti coniugalis licita, *ſi nimirum ea officiis coniugum erga ſobolem iam procreatam contraria.* Si poſterius, *idem eſt ac ſi ſobolis procreatio non facta, ſicque, quae de caſu primo dicta ſunt, tum obtinent.*

tinent. Quoad ſecundam huius propoſitionis partem omnia per ſe patent. Quod vero attinet primam eius partem, ex vnico fine ſocietatis coniugalis (§. 807.) fluit, iura et obligationes coniugum, quae ex huius ſocietatis natura et indole fluunt, vnice debiti coniugalis praeſtationem concernere. (§. 485.) Aſt, quae de ipſo hoc debito dicta ſunt quoad regulam fluunt ex § 485.): quoad exceptiones vero, prima fluit ex §. 807. ſecunda ex §. 206. tertia, et quae in caſu ſecundo accedit ex §. 796.

IO. BALTH. WERNHER *de obligatione matrimoniali ſecundum legem naturae.* Lipſ. 1698. et inter EIVS Diſſ. iuris naturalis Diſſ. X.

§. 813.

Poteſtas coniugalis eſt complexus iurium ſocietatis coniugalis.

§. 814.

Poteſtas coniugalis ſecundum ius naturae alteri coniugum propria non eſt, ſed potius penes coniuges communem eſt. Per §. 26.

§. 815.

Vi poteſtatis coniugalis coniuges quidem imperium, quod reſpicit directionem actionum quoad debitā coniugalis debitam et licitam praeſtationem, in ſe invicem habent; aſt praeterea, nec quoad coniugum bona, nec quoad operas eorum dantur iura in poteſtate coniugali contenta. Per §. 807. 15.

§. 816.

Hinc fluit: 1) *non dari poteſtatem maritalem*; 2) *vxoris operas marito praeſtandas concipi non poſſe*;

ser 3) *bona uxorium manere ita propria, nec marito quodlam ius in ea competere*; 4) *uxori a marito alimenta praestari, non esse iuris naturalis.*

§. 817.

Caeterum, licet iuris validis sponsalibus, personae desponsatae ius suum ad consummandam societatem coniugalem contra se mutuo persequi possint, cessat tamen illud, *si adest iusta causa repudii*, quod est validorum sponsalium dissolutio, de eoque valent quae de pactorum dissolutione in genere §. 769. seqq. dicta sunt.

§. 10. BALT. WERNHER *de repudiorum causis praesertim dubiis secundum ius naturae*, Lipf. 1693.

§. 818.

Similiter, constituta societate coniugali, coniuges eam continuare debent, quamdiu haec societas legitimo modo non est dissoluta, quae dissolutio validae societatis coniugalis, si fit alio modo quam per mortem coniugis, sub *divortii* nomine venit. Quod itaque nomen *instar divortii causae*, de iis valent quae §. 479. de dissolutione societatum, alio modo, quam per mortem, dicta sunt, inde que facile euinci potest 1) *praeter adulterium*, ob quod alter coniux a societate recedere potest (§. 489. num. 2.) et *alias dari iustas divortii causas*, hucque e. g. pertinere impotentiam coniugalem supervenientem; 2) quoad dissolutionem huius societatis ob *finem obtentum*, *vel mutuum dissensum*, his modis quidem dissolui posse societatem coniugalem, aft tamen supervenientem societatem paternam nondum finitam, nihilominus adhuc subsistere.

CHRIST. AVG. HANCKEL *de divortiis iure naturali neutiquam prohibitis*. Gottingae 1748.

TIT. III.

DE SOCIETATE HERILI.

§. 819.

Societas herilis dicitur ea, cuius finis per operarum praestationem ita obtinetur, vt vnus operas ipsas, alter pro iis alimenta, vel in natura, vel alio modo, praestet. Is cui pro alimentis operae praestantur, dicitur *herus*, is qui operas praestat, *seruus in sensu latiori.*

§. 820.

Quum legibus naturalibus non repugnet, hominem in hominis alterius dominio quoad corpus suum esse; dum nihilominus is, qui in dominio alterius est, officia erga se ipsum explere possit, et is, in cuius dominio alter est, ei praestare possit et debeat officia quae homo homini debet; 1) talis *societas herilis concipi potest in qua hero competit dominium in corpus serui*, qualis herus proprie *dominus*, et serous proprie *seruus* seu *seruus obnoxius*, dicitur; vt et 2) *talis, in qua seruus non est quoad corpus in dominio heri sui*, qualis herus *in specie herus*, et seruus, *mercenarius seruus* seu *famulus* dicitur, *ita vt masculinum hic semper foeminium sub se comprehendat.*

IO. MICH. TEVTSCHER *de statu seruorum iure naturae laeso*. Lipf. 1742.

§. 821.

§. 821.

Potestas herilis est complexus iurium societatis herilis, quae, quoad eam speciem societatis herilis, in qua servus est quoad corpus in dominio heri, seu, quae est inter dominum et servum obnoxium, dicitur *dominica potestas*, quoad alteram huius societatis speciem vero, *stricte sic dicta potestas herilis*.

§. 822.

Societatem herilem non esse a natura, sed facto humano interueniente introductam esse, facile patet per §. 819., hinc que patet *eam esse societatem non naturalem* (§. 435.). Quod vero sit *inaequalis*, *et potestas herilis penes herum, exclusa in totum ab ea seruo, sit*, heri et serui definitiones (§. 820.) docent.

§. 823.

Societas herilis *inter dominum et seruum obnoxium*, constituitur per 1) *voluntariam hominis in seruitutem addictionem*; 2) *captiuitatem*, et 3) *natiuitatem ex matre ancilla*. De secundo et tertio modo infra suis locis agendum. Primus vero per §. 820. patet. Societas herilis *inter herum in specie sic dictum et seruum mercenarium* vero, constituitur per *consensum praesentem de societate hac actu ineunda*, quem plerumque antecedit locatio conductio operarum (§. 726.).

§. 824.

Iura et obligationes quae inter dominum et seruum obnoxium locum habent, ex *doctrina de dominio* (§. 263. *seqq*.); quae vero inter herum in specie

specie sic dictum et seruum mercenarium *abtinent*, *ex consensus*, *per quem societas constituta*, *qualitate aestimari debent*. Vi definitionum harum societatum (§. 820.). *Modo*, *quod attinet dominum et seruum obnoxium*, *dominus meminerit quod seruus sit homo sibi natura aequalis*, *cui debet officia quae homo homini debet*.

§. 825.

Hinc fluit: 1) *dominium domini in seruum*, *et in rem suam*, *in eo differre*, *quod prius per officia*, *quae dominus seruo debet*, *sit diminutum iis iuribus in dominio contentis*, *quae saltis his officiis locum habere nequeunt*; 2) *dominum seruum vendere*, *donare*, *permutare posse*, *et per eum acquirere*, *immo sobolem ancillae neutiquam esse liberam*, *sed in dominio eius*, *qui est ancillae dominus*, *et sic per natiuitatem seruitutem constitui*.

GOTTL. CHRIST. BEHACK *de fœdere seruorum libera*. Lipſ. 1754.

§. 826.

Societas herilis dissoluitur, quoad eam *quae inter dominum et seruum obnoxium est*, per 1) *manumissionem*, quae est dimissio e dominica potestate, 2) *mortem serui*: quoad eam *quae inter herum in specie sic dictum et seruum mercenarium* est vero per 1) *mortem tam serui mercenarii*, *quam domini*, cum haec societas nec actiue, nec passiue, in heredes transeat (§.); 2) *temporis lapsum*, *si ad certum tempus inita*; 3) *perfidiam et implementum non seruatum*, *quatenus ex his causis pacta in genere dissoluuntur* (§. 772.).

CHRIST.

CHRIST. FRID. SCHOTT *de ſtatu ſocietatum apud Romanos non iuri naturae ſatis conformis.* Tub. 1755.

TIT. IV.

DE DOMO SEV FAMILIA.

§. 827.

Domus ſeu *familia*, eſt ſocietas ex paterna, herili et coniugali, vel ſaltem duabus harum, compoſita, et huius ſocietatis finis non eſt plane novus finis, ſed fines ſingularum harum ſocietatum ſimul ſumti ſunt eius finis.

§. 828.

Familia ſeu domus oritur, ſi ad vnam vel duas ſocietates, quae eam conſtituunt, altera accedit, et diſſoluitur, ſi harum ſocietatum diſſolutio ſit ita, vt non niſi vna ſuperſit. Per §. *praec.*

§. 829.

Domus ſeu familiae iura ſocialia conſiſtunt in imperio, vi cuius membrorum familiae actiones ita dirigendae, ne vna ſocietatum eam conſtituentium alteri impedimento ſit, aut confundatur cum altera. Per §. 827. Complexus iurium familiae ſeu domus vero dicitur *poteſtas domeſtica.*

§. 830.

In domo ſeu familia is, penes quem eſt poteſtas domeſtica, dicitur *paterfamilias* ſeu *materfamilias*, et qui ei ſubiecti ſunt, *domeſtici* appellantur.

§. 831.

Liberi, ſerui, famuli ſunt domeſtici, coniuges vero, vel, ſi ſocietatis coniugalis deeſt, herus et pater,

ter, vel hera et mater, ſunt imperantes in familia ſeu domo. Per §. 482. Vnde per ſe patet hanc ſocietatem eſſe inaequalem ſocietatem (§. 436.).

LIBER II.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS SVCCESSIONEM CONCERNENTIBVS.

§. 832.

Sic iuribus et obligationibus, ſucceſſionem non concernentibus, abſolutis, ſequuntur iura et obligationes circa ſucceſſionem (§. 538.), videlicet eam quae huius loci eſt, nimirum in *dominium allodiale*, cui opponitur *feudalis* ſucceſſio et *ſucceſſio in poteſtatem ciuilem*, de quibus ſpeciebus ſucceſſionis infra ſuis locis agendum.

§. 833.

Licet vero ſucceſſio omnis, ſiquc et ſucceſſio in dominum allodialis, differat ex duplici fundamento, dum 1) pro diuerſitate eius quod acquiritur vel *hereditaria*, vel *non hereditaria* ſeu *ſingularis eſt*, et prior vel *vniuerſalis*, vel *particularis* (§. 316. 317.); 2) pro diuerſitate eius per quod acquiritur mediante ſucceſſione vero, ea, ſi hereditaria eſt, in *legitimam* et *non legitimam*, et haec in ſucceſſionem ex *vltima voluntate*, *pactitiam* et ex *donatione mortis cauſa*, ſi autem non hereditaria eſt, in *electitiam*, *ex pacto et prouidentia maiorum* et *legitimam* (§. 324) abit: duplex datur

mortuus descendens defuncti si vixisset. 2) *Si vero defunctus descendentes non relinquit, lex defert successionem reliquis consanguineis, adscendentibus nimirum et collateralibus proximioribus, cum exclusione remotiorum.* Per §. 791.

§. 839.

Si defunctus cognatos consanguineos, qui cognationem probare possint, non relinquit, cessat delatio successionis hereditariae vniuersalis per legem immediate facta, hincque *in respectu ad hanc delationem defuncti, hereditas in hoc casu est res simpliciter nullius, quae cedit cuilibet occupanti.* Tum enim si desunt cognati consanguinei, cessat fundamentum ex quo probari posset delationem per legem naturae, potius huic homini, quam alii, fieri.

HELM. HERMANN WILCKENS *Diss. iur. nat. de successione ab intestato.* Ienae 1754.

TIT. II.

DE DELATIONE SVCCESSIONIS HEREDITARIAE VNIVERSALIS PER HEREDIS INSTITVTIONEM.

§. 840.

Heredis §. 118. definiti *institutio*, est declaratio defuncto adhuc viuente facta, quem velit esse sinum heredem, hincque *per heredis institutionem fit delatio successionis hereditariae vniuersalis, diuersa ab ea quae per legem immediate fit.*

§. 841.

§. 841.

Heredis institutio est vel *directa*, si sit ita, vt instituens institutum heredem immediate ad successionem vocet, vel *obliqua* seu *fideicommissaria*, si instituens institutum heredem, per intermediam personam quae heres est, cui restitutionem hereditatis, vel partis quotae eius, iniungit ad successionem vocat.

§. 842.

Est porro heredis institutio II) vel *prima institutio*, vel *substitutio*, prout vel nullo herede anteriore instituto, vel anteriore herede instituto, in locum eius, fit.

§. 843.

Diuiditur III) heredis institutio in *necessariam*, si instituitur qui ex legum praescripto instituti debet, et *voluntariam*, si instituitur qui ex legum praescripto praecise instituti non debet.

§. 844.

Est tandem IV) heredis institutio vel talis quae *a electionem quandam habet*, veluti conditionem, diem, modum, causam, demonstrationem, vel *non.*

§. 845.

Heredis institutio nonsolum in vltima voluntate, sed et per pactum successorium et donationem mortis causa fieri potest Per §. 840. et 151. Quodsi vero in vltima voluntate facta, et directa est, inde oritur *testamentum*, cui opponitur *codicillus.* Est itaque vltima voluntas tum, si continet heredis institutionem directam, *testamentum*, si non, *codicillus.*

§. 846.

Quilibet homo, qui poſt mortem ſuam relinquit bona iure patrimoniali ab eo poſſeſſa, poteſt, ſi in genere, et praecise eo tempore quo diſponit, ſanae rationis vſu non deſtitutus eſt, praetereaque animi ſui ſenſa declarare poteſt, vel per teſtamentum, vel per pactum ſucceſſorium, vel per donationem mortis cauſa heredem ſibi inſtituendo deferre ſucceſſionem hereditariam vniverſalem. Sicque teſtamentifactio eſt iuris naturalis. Licet enim morte ius ſuum exſtinguatur, inde tamen non ſequitur quod viuens deferre nequeat ſucceſſionem quoad bona iure patrimoniali poſſeſſa, ſi, quoniam per eam voluntatis declaratio fit, talis eſt qui voluntatem habet et declarare poteſt.

IO. CHRIST. CLAPROTT *Abhandlung ob die Teſtamente nach dem Rechte der Natur Statt haben.* Habetur in AVCT. *iuriſt. pbiloſ. und crit. Abhandlungen St. 4. Abh. 11.*

IO CHRIST. RVDOLPH Diſſ. *de vltimis voluntatibus iure naturae validis.* Eql. 1753.

L. V. LANGEMACKS *Lehre von Teſtamenten aus philoſophiſchen Gründen hergeleitet.* Berl. 1745. 8vo.

§. 847.

Si is qui ſibi heredem inſtituere vult habet liberos nondum educatos, eos non quidem neceſſario heredes inſtituere debet, aſt tamen, ſi bonis deſtituti ſunt, ex bonis ſuis its tantum relinquere debet, quantum ad educationem eorum adhuc requiritur. Per §. 793.

DIET. GOTTF. ECKHARD Diſſ. *an et quatenus iure naturae parentes obligentur ad hereditatem liberis poſt obitum relinquendam.* Lipſ. 1720.

§. 848.

§. 848.

Si itaque hereditatis partem, quam parentes liberis nondum educatis relinquere debent fecundum §. praec. *legitimam* appellare vis, et exclusionem a legitima *exheredationem:* facile patet 1) *legitimam eſſe iuris naturalis, aſt non dari legitimam aliam quam liberorum nondum educatorum eiusque quantitatem in genere determinari non poſſe;* 2) *ſecundum ius naturae exheredationem nunquam locum habere.*

§. 849.

Licet quilibet, qui heredem inſtituendo ſucceſſionem deferre poteſt, tam per directam quam per fideicommiſſariam heredes inſtitutionem; tam per primam heredis inſtitutionem, quam per ſubſtitutionem; tam per ſimplicem, quam per adiectionem quandam habentem inſtitutionem, heredem ſibi nominare poſſit, alii tamen heredem nominare nemo poteſt, ita vt nec parentes vi patriae poteſtatis liberis heredem nominare poſſint. Ex rerum natura et eſſentia enim demonſtrari nequit, hanc vel illam inſtitutionis ſpeciem locum non habere. Ergo §. 19. Aſt quemlibet ſibi heredem nominare debere patet per §. 146. in genere, nec hoc in ſpecie parentes poſſe vi patriae poteſtatis. per §. 800.

§. 850.

Si heredis inſtitutio adiectionem quandam habet, de effectu eius idem valet, quod de effectu harum adiectionum in pactis §. 657. ſeqq. dictum. Id quod quoad heredis inſtitutionem quae per pactum

dum successorium, vel mortis causa donationem sit, per se patet. Sed et de ea quae per vltimam voluntatem fit, idem valere debere, inde patet, quoniam vltima voluntas, licet promissio acceptata non sit, dispositio tamen est (§. 151).

§. 851.

Quilibet homo qui in genere acquirere potest, heres instituí potest, et ab arbitrio heredem instituentis dependet, an vni, siue is sit persona physica, siue moralis, an vero pluribus deferre velit successionem. Quoad prius enim ex rerum natura et essentia non nisi hoc fluit, quoad posterius vero ex ea nec vnum nec alterum fluit. Ergo §. 19.

CAPVT. II.
DE SVCCESSIONE HEREDITARIA VNIVERSALI IPSA EIVSQVE EFFECTV.

§. 852.

Cum tam quoad successionem hereditariam vniversalem *ipsam*, quam quoad eius *effectum*, varia notanda sint, vtrumque thema sigillatim expendi meretur.

TIT. I.
DE SVCCESSIONE HEREDITARIA VNIVERSALI IPSA.

§. 853.

Licet, si mortuus est is de cuius successione quaeritur, ratione successionis hereditariae vniuersalis ipsius

ipsius perinde sit, siue delatio sit immediate per legem, siue per heredis institutionem facta: quoad vltimum casum tamen speciatim notandum, heredis institutionem simul factam, tam ab initio valide factam esse necesse esse, quam ex post nihil interuenisse quod efficit eam correre, quorsum pertinet potissimum *reuocatio heredis institutionis* per vltimam voluntatem, vel donationem mortis causa, factae, quippe quae vsque ad vltimum vitae halitum fieri potest.

§. 854.

Vt, facta delatione, successio hereditaria vniversalis actu fiat, nihil aliud requiritur quam designati heredis declaratio, vel expressa, vel tacita, quod velit successionem delatam acceptare, eaque fieri debet, licet delatio per pactum successorium seu donationem mortis causa facta. Per §. 326. Vt itaque 1) *nec traditio, nec apprehensio hereditatis requiratur, vt successio actu facta sit*; 2) *quilibet possit sibi delatam successionem repudiare*; 3) *non dentur heredes necessarii, et qui ipso iure seu immediate per legem tales sunt.*

§. 855.

Si alteri successio immediate per legem, alteri vero per factam heredis institutionem defertur, posterior excludit priorem, si succedere vult et potest. Si vero prior vel non vult, vel non potest succedere, posterior admittendus. Per §. 486.

§. 856.

Si pluribus simul delata successio hereditaria vniversalis vel per legem, vel per heredis institutionem, et

vnus alterue vel non poteſt, vel non vult ſuccedere, portio eius vacans per accretionem accedit alteri, niſi is, cuius portio vacans eſt, habeat, ſi delatio per heredis inſtitutionem facta, ſubſtitutum, quippe quo caſu ſubſtitutus excludit coniunctum. Aſt, qui nec ſubſtitutus eſt deficienti heredi, nec coniunctus cum eo, ad ſucceſſionem admittendus non eſt, licet ſit heredis deficientis heres, ſicque *non datur tranſmiſſio hereditatis nondum acquiſitae.* Vi principiorum de praeſumta voluntate defuncti quae eatenus, quatenus vera deeſt, hic locum habere debent, et principii §. 332. obuii.

TIT. II.

DE EFFECTV FACTAE SVCCESSIONIS HEREDITARIAE VNIVERSALIS.

§. 857.

Effectus factae ſucceſſionis hereditariae vniuerſalis ſunt, vel *communes* omni ſucceſſioni huius generis, vel huic ſeu illi ſpeciei *proprii* effectus.

§. 858.

Ad effectus ſucceſſionis hereditariae vniuerſalis communes pertinet I) *heredem repraeſentare defunctum quoad eius iura, quae non ſunt perſonaliſſima iura, indeque oritur dominium heredis vniuerſale, quod differt a iure hereditario* §. 325. vt et quoad eius *obligationes, quae perſonaliſſimae obligationes non ſunt* (§. 180.), *et quatenus vires hereditatis ſufficiunt ad expletionem obligationum, quae in obligationa*

gatione dandi quoad dationem in ſpecie ſic dictam, ſeu in ſolutione aeris alieni defuncti, conſiſtunt, vt sic *heres quidem facta defuncti praeſtare debeat, aſt vltra vires hereditatis non teneatur.* Per definitionem heredis (§. 118.).

§. 859.

Porro II) effectus ſucceſſionis hereditariae vniuerſalis communis eſt, in caſu quo plures adſunt heredes vnius hereditatis, *diuiſio hereditatis communis et rationum redditio, ſi vnus eam hactenus adminiſtrauit,* ita vt coheres ad diuiſionem prouocet vi condominii vniuerſalis hereditatis communis (§. praec.), rationum redditionem vero poſtulet vi iuris perſonalis immediati (§. 634.).

§. 860.

Ad effectus ſucceſſionis hereditariae communis III) referri etiam poteſt *perſecutio iuris vi factae ſucceſſionis huius competentis, quorſum pertinet, ſi cum coherede qui hereditatem indi viſam poſſidet nobis res eſt,* prouocatio eius ad diuiſionem et rationum redditionem. Si vero *cum alio, qui coheres non eſt, nobis res eſt,* vel in *poſſeſſorio* perſequimur ius ad hereditatis poſſeſſionem, vel in *petitorio,* ipſum ius hereditarium ab aduerſario negatum. In omni hac iuris perſecutione vero via facti, vel per *retentionem retorſionemue,* vel per *bellum variis generis* (§. 394.) perſecutio fit.

§. 861.

Vt, quod attinet in ſpecie ipſius iuris hereditarii perſecutionem, ea licita ſit, requiritur *illud competere*

§. 866.

Speciatim autem, ſi quis per vltimam voluntatem alicui aliquid relinquit quod non eſt hereditas tota, ſeu eius pars quota, ita, vt tertio eius praeſtationem iniungat, is *legare* dicitur. Id quod ita relinquitur vero *legatum*, is cui relinquitur, *legatarius*, et is qui legatario praeſtare debet legatum ſeu cui praeſtatio legati iniuncta, *legato oneratus*, dicitur.

§. 867.

Legata differunt I) pro *diuerſitate eius quod legatur*, et ex hoc fundamento dantur eorum infinitae ſpecies quae generatim eo redeunt, quod vel *res*, vel *factum* legetur.

§. 868.

Porro legata differunt II) in eo, quod vel *pura* ſint, vel *adiectionem quandam habeant*, veluti *conditionem, diem, modum, demonſtrationem, cauſam*, quae vero de effectu harum adiectionum in pactis dicta ſunt §. 657. ſeqq. et hic valent.

§. 869.

Legare poteſt quilibet qui ſanae rationis vſu non deſtitutus et animi ſui ſenſa declarare poteſt, ſi ei quem legato onerat poſt mortem ſuam aliquid relinquit, quod ſaltem ei admiore potuiſſet; per §. 866. *neque tam heres inſtitutus, quam heres ab inteſtato, immo legatarius, legatis onerari poſſunt.*

§. 870.

Cuilibet qui acquirere poteſt, ab eo qui legare poteſt, aliquid legari poteſt. Per §. 866.

§. 871.

§ 871.

Omne id quod legato oneratum praeſtare poſſe poſſibile eſt, legari poteſt, per §. 866. Sicque *res leganti propriae et alienae, genus et ſpecies, res corporales et incorporales, legari poſſunt.*

§. 872.

Quae dicta ſunt §. 869. ſeqq. de legatis, valent etiam tum, *ſi quis alteri per pactum ſucceſſorium* vel *mortis cauſa donationem aliquid relinquit, quod hereditas, ſeu eius pars quota, non eſt.* Siue enim praecise per vltimam voluntatem, ſeu per aliam mentis declarationem quis vocatur ad ſucceſſionem particularem, hic perinde eſt.

TIT. II.

DE SVCCESSIONE HEREDITARIA PARTICVLARI IPSA EIVSQVE EFFECTV.

§. 873.

Ad ſucceſſionem hereditariam particularem perficiendam, nihil aliud requiritur, quam, *mortuo eo, de cuius ſucceſſione quaeritur, eum, qui ad hanc ſucceſſionem vocatus, declarare quod ſuccedere velit, modo delatio ab initio valide facta, nec ex poſt valida eſſe deſierit; quod vltimum praeſertim ſit quoad legata, et ſi per mortis cauſa factam donationem ſucceſſio haec delata, per mutationem voluntatis a legante factam.* Per §. 326.

§. 874.

§. 874.

Si is qui ad successionem hereditariam particularem vocatus, vel non vult, vel non potest succedere, aut *adest aliquis cui eadem res relicta, qualis est, si eadem res pluribus legata, collegatarius, aut non.* Si prius *locum habet accretio, per quam alter portionem vacantem acquirit.* Si posterius *penes legato oneratum manet, quod ad successionem hereditariam singularem vocato relictum.* Prius ex tacita mortui voluntate deducendum, posterius vero inde fluit, quoniam ad impossibilia non datur obligatio.

§. 875.

Effectus factae per successionem hereditariam particularem acquisitionis est, *heredem, vel alium legato oneratum, praestare debere quod relictum, ad quam obligationem contrahendam vero non opus est promissione et eius qui succedit acceptatione.* Per §. 863. Quodsi itaque is sponte praestare non vult, quod praestandum, *via facti*, vel *retentione retorsioneue*, vel *per bellum, persequi potest ius suum successor hereditarius particularis.*

§. 876.

Caeterùm *successio hereditaria particularis non efficit successorem hereditarium particularem defuncti repraesentare*, hincque *nec in genere eius facta praestat, nec in specie eius aes alienum soluit.* Quae enim de herede §. 858. dicta sunt huc trahi nequeunt.

SECTIO.

SECTIO II.

DE

SVCCESSIONE SINGVLARI.

§. 877.

Successio singularis, de qua nunc agendum (§. 833.), iidem tam quoad *delationem* consideranda, quam etiam de hac *successione ipsa eiusque effectibus* agendum.

TIT. I.

DE

DELATIONE SVCCESSIONIS SINGVLARIS.

§. 878.

Delatio successionis singularis, quae quoad successionem in dominium allodialem nunquam immediate per legem fit, differt, prout vel *electitia successio singularis* est, vel *successio singularis ex pacto et prouidentia maiorum*, seu, quae *ex beneficio primi acquirentis* originem ducit (§. 324.). Videlicet, *si electitia successio est, tum demum, delatio successionis et iuris succedendi, simul fit, quando post mortem proxime defuncti tertius successorem designat, eumque ad successionem vocat.* Si vero est *successio ex pacto et prouidentia maiorum, delatio iuris succedendi quidem fit, dum primus acquirens seu praedefunctus successionem determinat, ast ipsa successio demum defertur, si moritur is qui bona iure usufructuario possidet, in quae ex primi acquirentis*

beneficio succeditur, ei quem nunc, vel iis quos nunc, successionis ordo tangit. Per §. 324. 325.

§. 879.

Quod speciatim attinet *successionem singularem* quae est *successio ex pacto et prouidentia maiorum seu ex beneficio praedefuncti*, non solum per *pactum*, sed et per *vltimam voluntatem* et *mortis causa donationem*, haec *successio* introduci potest, et, si *posteri praedefuncti sint quibus ius succedendi defertur*, tam quis ex posteris suis ad successionem admittendus, vel non, quam etiam quis ordo succedendi obseruandus, ab eius voluntate dependet, estque, si deest vera voluntas, praesumtae locus dandus. Per §. 324.

§. 880.

Quod speciatim attinet *succedendi ordinem*, praesertim in hac successione, varii generis successionis ordines possibiles a se inuicem distinguendi, veluti primogenitura, maioratus etc. Ast, licet ex natura horum ordinum succedendi deduci possit, quid hic vbique iustum sit, ad has specialissimas doctrinas tamen hic descendere non licet.

TIT. II.

DE SVCCESSIONE SINGVLARI IPSA EIVSQVE EFFECTV.

§. 881.

Successio singularis ipsa sit, si est *electitia, dum electus ad successionem, facta delationis acceptatione, translationem eius in quo succedit, ab iis qui eum*

eum in successorem elegerunt, postulat. Si vero est *successio ex pacto et prouidentia maiorum, ad ipsam successionem nihil aliud requiritur, quam, mortuo eo qui hactenus possedit iure vsufructuario id in quo succeditur, eum quem ordo successionis tangit sibi sumere id in quo succedit.* Per §. 326.

§. 882.

Si successori singulari simul defertur ius succedendi in vltimi defuncti hereditatem, potest quidem vtroque modo succedere: ast tamen ei licet, repudiata hereditate, in bona ab vltimo defuncto iure vsufructuario possessa tantum succedere. Quoniam hereditas vltimi defuncti, et bona quae iure vsufructuario possedit ad quorum successionem a praedefuncto vocati adsunt, bona a se inuicem diuersa sunt. Ergo.

§. 883.

Successor singularis ad praestanda facta praedefuncti, qui eum ad successionem vocauit, seu primi acquirentis ex cuius beneficio succedit, obligatus est. Ast ad vltimi defuncti, et omnium eorum qui bona post mortem praedefuncti, vsque ad vltimum defunctum, possiderunt, facta praestanda non est obligatus, nisi 1) *versio facta in id in quo succedit*; 2) *consensus eius accesserit*; 3) *praedefunctus, a quo ad successionem vocatus, permisit possessoribus eius in quo succeditur, factum de quo praestando quaestio est. Ast inde, quod successor ex pacto et pacto et prouidentia maiorum simul heres factus sit eius, cuius factum praestandum est, non se-*

ſuccur eum ad id praeſtandum obligatum eſſe. Quod enim prius attinet, reſpectu praedefuncti heres eius eſt hic ſucceſſor (§. 318.) Ergo (§. 858.). Aſſ, quoad poſterius, regula inde fluit, quoniam eorum, de quorum factis hic quaeſtio eſt, heres non eſt, et quae de herede dicta ſunt §. 858. huc non quadrant. De exceptione prima vero vid. §. 632., de ſecunda §. 208. et tertia fluit ex parte prima propoſitionis. Caeterum quoad rectam exceptionem, deeſt omne fundamentum obligationis.

Diſſ. ſub meo praeſidio defenſa: *de ſucceſſore ex pacto et prouidentia maiorum ad facta vltimi defuncti, licet eius heres ſit, praeſtanda non obligato.* Haine 1764.

CRIMINALIS.

REGNER ENGELHARD *Verſuch eines allgemeinen peinlichen Rechts aus den Grundſätzen der Weltweisheit und beſonders dem Recht der Natur hergeleitet.* Franckf. und Leipz. 1756. 8.

§. 884.

Quae ſequitur altera, iurisprudentiae naturalis ſtricte ſic dictae theoreticae ſecularis allodialis, pars, ciuili nunc abſolutae iurisprudentiae opponitur, et dicitur *criminalis* iurisprudentia (§. 492). Redit ea ad doctrinam de *generalibus de laeſionibus principiis*, et de *ſingulis laeſionum ſpeciebus*.

PARS I.

GENERALIA DE LAESIONIBVS PRINCIPIA.

§. 885.

Generalia de laeſionibus principia, commode reduci poſſunt ad has, quae ſequuntur, doctrinas, de 1) *laeſionis definitione et diuiſionibus*; 2) *ſubie-*

2) *subiecto et obiecto laesionum*; 3) *iuribus et obligationibus laesionem concernentibus in genere*; 4) *gradu moralitatis laesionum*; 5) *indiciis et corpore laesionis.*

TIT. I.

DE LAESIONIS DEFINITIONE ET VARIIS EIVS DIVISIONIBVS.

§. 886.

Laesio, vt constat ex introductione §. 194. est violatio officii erga alios, vi cuius ius cuilibet tribuendum, sicque est actio officiis erga alios perfectis contraria (§. 195.).

§. 887.

Cum laesio sit actio officiis erga alios perfectis contraria, a laesionibus differunt 1) *violatio officiorum erga nos et erga Deum*; 2) *violatio officiorum erga alios imperfectorum*; 3) *solae cogitationes* (§. 101) *quae in actus externos non erumpunt.*

§. 888.

Licet vero violatio officiorum erga nos ad laesiones referri nequeat, de ea tamen, cum ad cognitionem laesionum omnino referri debeat, hic notandum 1) *quot modis officia erga nos violari possint, ex iis quae de his officiis supra §. 495 seqq. dicta sunt, facile deduci posse*; 2) *ex violatione horum officiorum erga nos nullum ius, nullamque obligationem inter homines in statu naturali viuentes oriri, si discesseris*

cesseris a malo exemplo quod aliis per tales violationes praebetur, de quo infra. Alios nobiscum in statu naturali viuentes enim talis actio nullo modo concernit, si discesseris a malo exemplo.

§. 889.

Laesionis diuisiones quod attinet, ad eas pertinet I) diuisio eius in laesionem *imputabilem* et *non imputabilem*, prout actio per quam alter laesus est imputari potest, vel non. Laesiones imputabiles vel *dolosae*, vel *culposae* sunt, prout vel per dolum, vel per culpam, commissae sunt. Non imputabilium laesionum itidem duae dantur species, laesiones *casuales*, quae casu, et *necessariae*, quae vi iuris necessitatis in sensu §. 302. factae. Ast, cum laesiones non imputabiles, proprie ne quidem laesiones appellandae, hic semper loquor de laesionibus imputabilibus.

§. 890.

Sequitur II) laesionum diuisio in *veras laesiones*, quae secundum suam naturam et essentiam tales non sunt quae tantum culpa committi possunt, et *quasi laesiones*, quae secundum suam naturam et essentiam non nisi culpa committi possunt.

§. 891.

Sunt etiam III) laesiones vel *communes*, quae a quolibet, qui in genere laedere potest, committi possunt, et *certis personis propriae*, quae certum hominum statum praesupponunt.

§. 892.

Laesiones diuidi possunt IV) in laesiones quas appellare liceat *generales*, quae per solum modum,

tis vero, vel laesiones quoad *animam*, vel quoad *corpus*, vel quoad *statum externum* sunt (§. .).

TIT. III.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS LAESIONES CONCERNENTIBVS IN GENERE.

§. 900.

Obligatio laesi, quae occasione laesionis factae immediate per legem contrahitur, duplex est, obligatio ad *poenam*, et ad *indemnitatis praestationem*, hisque obligationibus laedentis, respondent iura in laesо.

§. 901.

De poena laedentis generatim notandum 1) *in statu naturali non dari aliam praeter eam, quam laesus ipse vt iuris puniendi conati* (§. 286. *seqq.*) *immittit laedenti*, hincque a *non dari poenas certas in singulas laesionum species statutas* (§. 292.) b) *dari laesionem sine poena, si scilicet futura laesio non metuenda* (§ 286.; 2) *poenam locum iam habere, licet laesio nondum consummata, sed tantum attentata sit* (§. 292.); 3) *si vna laesio a pluribus laedentibus facta, non solum personas principales, sed et animos principales poena affici posse* (§. 293.); 4) *non solum immediate laesum, sed et mediate laesum, punire posse laedentem* (§. 286.).

10. IVST. *Harmonia iuris naturalis et criminalis in doctrina de imputatione criminis attentati.* Lipf. 1734.

§. 902.

§. 902.

Finis poenae, quam laesus laedenti immittit in statu naturali, est securitas laesionis ab ipso laedente atque aliis, laeso atque aliis, metuendae; hicque partim *emendatrix*, partim *exemplaris*, *et licet laedens mortuus non simpliciter cessat poena* (§. 286).

§. 903.

Indemnitatis praestatio, quae laesione facta locum habet, ex principiis § 294 seqq obuiis aestimanda, hincque facile patet *differre obligationem ad poenam et obligationem ad indemnitatis praestationem quae mediante laesione contrahitur, ita vt, cessante licet vna, altera ideo non statim cesset.*

§. 904

Praeter iura et obligationes quae locum habent, siue laesio consummata sit, sine solus adsit conatus praeterea ratione conatus, et locum habere *ius defensionis*, de quo §. 287. seqq. actum, per se patet.

§. 905.

Vt adsint iura et obligationes quae interueniente laesione immediate ex legibus oriuntur, nihil aliud requiri quam adesse, siue propositum adhuc executioni dandum, siue factum quo laesio vel attentata, vel inchoata, vel consummata est, ex dictis §. 201. et 328 per se patet. *Exspirat vero obligatio ad poenam, tanquam personalissima obligatio, mortuo laedente, ita vt in laedentis heredem non transeat, quod secus quoad obligationem ad indemnitatis praestationem*

flationem (§. 858.), *praetereaque facta remissione iuris a parte laesi, cessat vtraque obligatio, licet mors laesi non impediat quo minus laedens ad indemnitatis praestationem, non vero ad poenam, obligatus maneat.* Per §. 858.

§. 906.

Laesus ad iuris sui persecutionem *via facti*, vel per *retorsionem retentionemue*, vel per *bellum* quod, quoad poenam, punitiuum bellum est (§. 394) vtitur.

TIT. IV.
DE GRADV MORALITATIS LAESIONVM

§. 907.

Est et hic de *gradu moralitatis laesionum* agendum, hoc est, quae pro maiori, quae pro minori habenda, determinandum est.

§. 908.

In laesionibus dolosis, *gradus moralitatis ex gradu libertatis laedentis in agendo, seu, quod idem est, ex quantitate imputationis* (§. 96.) *et ex damni ex ea vel actu orti, vel quod ex ea aeque facile oriri potuisset, ac ortum non est, magnitudine aestimandus, ita vt, si duarum laesionum altera* maiori libertate *commissa quidem, ast* damnum levius, *altera vero, ex qua grauius damnum oritur, libertate minori commissa, ea ex qua grauius damnum ortum pro maiori habenda. Si vero duae laesionum species, quoad* libertatem aequales, *quoad* damnum inaequales, *ea ex qua maius damnum oritur, vel aeque facile oriri potuisset, ac non ortum est, quam ex altera, pro maiori habenda. Tandem si duae laesionum species quoad* damnum aequales, *quoad* libertatem vero inaequales, *maiori libertate commissa laesio pro maiori altera habenda.* Cum enim dolose laedens vult laesionem (§ 102.), quo magis vult eam, eoque quo maior libertas est, eo maior ipsa laesio est. Ast, cum damnum ex laesione ortum sit id quod laesionem malam actionem esse efficit, etiam ad damni magnitudinem respiciendum, et quidem ad eam magis quam ad libertatem.

§. 909.

In laesionibus culposis, *vnice ex gradu commissae culpae* (§. 103.), *et non simul ex damni magnitudine, gradus moralitatis laesionis aestimari debet.* Culpose laedens nec scit quod laedat, nec vult laedere (§. 102.), hinc damni, quod sequi nec scit, nec vult, nulla ratio habenda.

§. 910.

Gradus moralitatis laesionis, vel in abstracto, vel in concreto considerari potest. Vnde oriuntur in posteriori casu *mitigantia et exasperantia laesionum.* Licet enim nulla certa poena in laesiones statuta per leges naturales, nihilominus mitigantia et exasperantia sic concipi possunt, quod *mitigantia laesionum* sint, circumstantiae extraordinariae, quae efficiunt laesionem in casu dato, seu in concreto, consideratam, poenam gradu minorem ea, quae iis absentibus locum haberet, infligendam esse

esse. *Exasperantia laesionum* vero sunt circumstantiae extraordinariae, quae efficiunt ob laesionem in casu dato, seu in concreto consideratam, poenam gradu maiorem ea, quae iis absentibus locum haberet, infligendam esse. Tam mitigantia quam exasperantia vero, vel *generalia*, vel *specialia* sunt, prout vel quoad omnes laesiones, vel quoad hanc seu illam speciem tantum, talia sunt. Hic tantum de prioribus agendum.

§. 911.

Ad exsperantia generalia referri debent omnes circumstantiae extraordinariae quae libertatem seu damnum augent. Ad mitigantia generalia vero pertinent omnes circumstantiae extraordinariae quae libertatem seu damnum minuunt. Per §. 908.

TIT. V.

DE INDICIIS ET CORPORE LAESIONIS.

§. 912.

Indicia sunt id ex quo probabiliter colligi potest, vel laesionis existentia, vel quis sit laedens. *Indicia* inque *partim eo tendunt vt inuestigetur an ullus sit laesio, partim quis laeserit, siue vt laedens principalis, siue vt minus principalis*, suntque indicia vel *communia*, vel *particularia*, prout vel quoad omnes laesiones talia sunt, vel non: nec non vel *remota*, vel *proxima*, prout vel minorem, vel maiorem probabilitatem operantur.

§. 913.

§. 913.

Quod attinet *corpus laesionis* notandum, nunc corpus laesionis dici ipsum laedentem; nunc id quod per laesionem, vel violatum, vel productum, veluti res furto ablata, corpus occisum, partus ex illicito coitu natus; nunc existentiam actionis, per quam laesio commissa, qui vltimus significatus est optimus. Vt itaque, *inquirere in corpus laesionis*, sit inquirere in veritatem actionis per quam laesio commissa, tumque *constet de corpore laesionis*, si constat actionem laesionem inuoluentem commissam esse, nec non *ad corpus laesionis in qualibet laesionis specie requiratur, adesse omnes determinationes, quae eam laesionis speciem in esse suo determinant, singulaeque hae determinationes ad corpus laesionis pertineant.*

PARS II.

DE SINGVLIS LAESIONVM SPECIEBVS ET IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONIBVS QVAE OCCASIONE EARVM EX LEGIBVS ORIVNTVR

§. 914.

Absolutis generalibus de laesionibus principiis, nunc sequuntur singulae laesionum species, cum iuribus et obligationibus, quae occasione earum ex legibus oriuntur, vnde nunc ipsae hae species sigillatim recensendae sunt. Quum vero omnes laesiones ad veras et quasi laesiones (§. 890.) redu-

ci poſſint, pro hac aliaque laeſionum diuerſitate *de ſingulis ſpeciebus laeſionum* agendum.

TIT. I.
DE LAESIONIBVS VERIS GENERALIBVS.

§. 915.

Laeſiones huius generis ſunt *vis et falſum*, quarum quaelibet itaque ſigillatim explicanda.

§. 916.

Vis, ſi ſumitur pro laeſione, eſt laeſio quae alterius libertatem in agendo, vel reſtringendo, vel tollendo, committitur, in laeſionem quandam ſpecialem non incidens.

§. 917.

Hinc fluit 1) *vim defenſuam ad ſpecies vis pro laeſione ſumtae referri non poſſe*; 2) *non ſemper, quando laeſio vi adhibita commiſſa, eam vim appellandam eſſe.*

§. 918.

Si quis alterum per metum iniuſtum ad agendum compellit, nec tamen haec laeſio in laeſionem quandam ſpecialem incidit, ea ad hanc laeſionem generalem, tanquam ſpecies eius, referri debet. Licet enim per metum libertas non tollatur, reſtringitur tamen per eum (§. 158.).

§. 919.

De vi notandum, quoad 1) *corpus huius laeſionis*, ex §. 916. dictis per ſe conſtare quid ad eam requiratur; 2) *defenſionem*, eam hic ſine dubio

bio locum habere, nec dari ſpecialia quoad defenſionem contra hanc laeſionem notanda; 3) *indicia*, non niſi generalia indicia hic locum habere; 4) *poenam ipſam*, circa eam, quae ſpeciatim notanda, deeſſe; 5) *exaſperantia et mitigantia*, dari omnino ſpecialia exaſperantia et mitigantia, e. g. vim armis, ſeu conſuetudini hominibus, exercitam eſſe, ad exaſperantia huius laeſionis pertinere; 6) *indemnitatis praeſtationem*, eam tum demum locum habere, ſi ex vi illata laeſus damnum ſenſit, quod ſaepius deeſt, tumque ceſſare ſatisfactionem.

§. 920.

Altera ſpecies laeſionis generalis eſt *falſum* quod eſt laeſio, quae fit immutando veritatem, in laeſionem quandam ſpecialem non incidens.

§. 921.

Hinc patet 1) *per omnem veritatis immutationem falſum non committi*; 2) *licet facta ſit veritatis immutatio alteri damnoſa, ſicque ea laeſionem involuat, laeſionem talem tamen ſemper ad falſi ſpeciem referri non poſſe*; 3) *falſum tam committendo, quam omittendo, committi poſſe.*

§. 922.

De falſo notandum, quoad 1) *corpus huius laeſionis*, ex §. praec. dictis per ſe patere quid ad eam requiratur; 2) *defenſionem*, eam quoad hanc laeſionum ſpeciem concipi non poſſe; 3) *indicia*, 4) *poenam ipſam*; 5) *exaſperantia et mitigantia*, non dari quoad ea, quae huic laeſionis ſpeciei pro-

pria fiunt; 6) *indemnitatis praestationem*, eam hic semper locum habere, cum ad corpus huius laesionis requiratur damnum esse datum.

TIT. II.

DE
LAESIONIBVS VERIS SPECIALIBVS OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS RATIONE ANIMAE CONTRARIIS.

§. 923.

Laesio quoad animam toties fit, quoties quis animae perfectione, qua instructus est, privatur, diciturque generali nomine *corruptio animae*, quae vel *cognoscitiuam*, vel *appetitiuam* facultatem concernit.

§. 924.

Quoad facultatem animae cognoscitiuam itaque *corruptio animae fit, dum alterum perfectione quadam, qua quoad facultatem cognoscitiuam instructus est, priuamus, vel in totum, vel ad certum tempus, id quod variis modis fieri potest.*

§. 925.

Nec minus ex corruptionis animae definitione patet, *eam, quoad facultatem animae appetitiuam, fieri toties, quoties actione quadam nostra, siue omissiua, siue commissiua, efficimus, vel directo, vel per indirectum, veluti per exemplum, alterum perfectione*

tione quadam quoad facultatem appetitiuam priuari. Hinc quilibet socius laesionis, et ipsum auctorem laesionis laedit, quoad facultatem appetitiuam.

§. 926.

Ad laesiones quoad animam referri nequit 1) *si alterum nouis perfectionibus quoad vtramque animae facultatem non instruimus, cum tamen in potestate nostra hoc sit*; 2) *si fallimus alterum, id est, inducimus eum vt verum pro falso habeat.* In priori casu enim officia perfecta non violantur (§. 195.). In posteriori casu vero, pro falso (§. 920.) potius, talis laesio habenda.

§. 927.

Quoad animae corruptionem notandum, ratione 1) *corporis laesionis*, quid ad illud requiratur ex dictis §. 381. *seqq.* facile constare; 2) *defensionis violentae*, eam et quoad has laesiones locum habere, si is qui laedere vult vim adhibet, cum vero saepissime ea non adhibeatur in laesionibus huius generis, et saepe hic defensio violenta cessat; 3) *iudiciorum*; 4) *poenae ipsius*; 5) *eorum quae ad exasperantia et mitigantia pertinent*, nihil, quod de iis hic in specie monendum, obuenire; 6) *praestationis indemnitatis*, eam fieri, dum laesus praestat id quod interest, tam immediate quam mediate laeso, qualis hic est e. g. is, cuius potestati quoad animam corruptus subiectus est.

petere ei qui id perſequitur, iſque debet, ſi probatione indigat, probare illud ſibi competere (§ 396.). Quodſi nunc, qui hactenus poſſedit hereditatem et heres non eſt, eam reſtituere debet heredi, ratione *deteriorationis, fructuum et impenſarum* idem iuſtum eſt, quod iuſtum eſſe, ſi dominus rem ſuam ſingularem vindicat §. 589, diximus.

§. 862.

Ad effectus ſucceſſioni hereditariae vniuerſali, quae fit ab inteſtato, proprios, pertinet *collatio*, quae non niſi tum locum habet, ſi diuidenda eſt hereditas per ſucceſſionem ab inteſtato acquiſita, et eſt imputatio a defuncto adhuc viuente acceptorum, in portionem hereditariam coheredis, ab inteſtato ei competentem. De collatione vero notandum 1) *eam in omni ſucceſſione ab inteſtato locum habere ſiue deſcendentes ſiue alii cognati ſuccedant*; 2) *ceſſare eam ſi de contraria defuncti voluntate conſtat, ſicque non niſi in dubio locum habere.* Ad 1) quoniam omnis ſucceſſio ab inteſtato innitur praeſumto amori defuncti, qui quoad omnes ſimul ſuccedentes aequalis. (§. 838.) Ergo. Ad 2) quoniam collatio ex praeſumto amore aequali defuncti venit. Ergo (§. 59).

§. 863.

Effectus ſucceſſionis hereditariae vniuerſalis, quae non mere legitima ſeu ſucceſſio ab inteſtato eſt, proprius, eſt *heredem, ſiue per factam heredis inſtitutionem talem, ſiue etiam immediate per legem talem, cui tamen defunctus obligationem alteri aliquid*

quid poſt mortem praeſtandi, impoſuit, veluti ſi fideicommiſſaria ſubſtitutio facta, obligatum eſſe cuilibet tertio praeſtandi id, quod ei praeſtari ab herede, defunctus voluit et praeſtari poſſe poſſibile eſt. Qui enim vult antecedens, vult conſequens. Ergo qui vult heres eſſe, et velle debet atque obligatus eſt praeſtare quatenus poſſibile eſt, quod praeſtari tertio defunctus voluit.

MEMBRVM II.

DE SVCCESSIONE HEREDITARIA PARTICVLARI.

§. 864.

Abſoluta ſucceſſione hereditaria vniuerſali, ſequitur particularis (§. 834.) de cuius *delatione*, et hac *ſucceſſione ipſa eiusque effectu*, ſigillatim agendum.

TIT. I.

DE DELATIONE SVCCESSIONIS HEREDITARIAE PARTICVLARIS.

§. 865.

Delatio ſucceſſionis hereditariae in dominium allodialis *immediate per legem* non fit, ſed a *defuncto*, vel per *vltimam voluntatem*, ſiue ſit teſtamentum, ſiue codicillus; vel per *pactum ſucceſſorium*; vel per *donationem mortis cauſa*.

§. 866.

TIT. III.

DE LAESIONIBVS VERIS SPECIALIBVS OFFICIIS ABSOLVTIS RATIONE CORPORIS CONTRARIIS.

§. 928.

Ad laesiones huius generis referri debent I) *homicidium*, quod est factum quo homo, alterum hominem, vita priuat.

§. 929

Licet variae concipi possint species homicidii, tum pro diuersitate *modi quo* committitur, quam *personae in quam* committitur; haec species tamen non negligi possunt, cum praesertim non nisi rarone gradus moralitatis differant. Hic itaque *de homicidio in genere* agendum, abstrahendo ab iis quae singulis speciebus propria sunt.

§. 930.

De homicidio in genere notandum, quoad *corpus laesionis*, ad illud requiri ex facto laesionis, non ex causis accidentalibus, mortem esse secutam; 2) *defensionem*, eam sine dubio, caeteris paribus, aggressorem occidendo fieri posse; 3) *indicia specialia*, talia quidem non plane deesse, sed difficilimum ex circumstantiis in casu dato obuiis peti; 4) *poenam ipsam*; 5) *exasperantia et mitigantia*; 6) *indemnitatis praestationem*, haec tria communia hic plane cessare, nisi quoad satisfactionem, adsit mediate laesus, cui praestandum id quod interest alterum esse occisum.

§. 931.

§. 931.

Sequitur II) *corruptio corporis*, quae est factum quo alterius corpori, salua vita, damnum infertur. *Fit* itaque *corruptio corporis luxando, frangendo, vulnerando* etc.

§. 932.

De corruptione corporis notandum quoad 1) *corpus delicti*, constare de eo, si certum est per factum laedentis, non laesi, nec casu, corruptionem esse factam; 2) *defensionem*, et eam, caeteris paribus, vsque ad necem aggressoris extendi posse; 3) *indicia specialia*, de iis valere quae de indiciis specialibus homicidii dicta sunt; 4) *poenam ipsam*; 5) *exasperantia et mitigantia*, specialia hic notanda non obuenire; 6) *indemnitatis praestationem*, eam sub se comprehendere a) *pecuniam doloris*; b) *membri corporis, per corruptionem inutilis redditi, vel amissi, aestimationem* et c) *eius quod interest praestationem.*

§. 933.

Quoad corpus laesio etiam fit per III) *stuprum violentum* et IV) *raptum*. Est vero *stuprum violentum* coitus, a parte altera coeuntium sponte non commissus, sicque, cum tam vis, quam metus spontaneitatem in agendo tollant, *stuprum violentum est ad quod coeuntium alter, vel per vim, vel per metum, adactus. Raptus* est abductio et detentio foeminae honestae cum ea coeundi causa, citra eius, vel eorum quibus parere debet, consensum facta.

§. 934.

Quoad ſtuprum violentum et raptum hic notandum, ratione 1) *corporis laeſionis*, ad illud requiri quidem, quoad ſtuprum violentum, coitum, non vero quoad raptum; 2) *defenſionum*, eam et hic locum habere, ita vt, in ſpecie contra ſtuprum violentum, cum nece aggreſſoris defenſio licita ſit; 3) *indiciorum*; 4) *poenae ipſius*; 5) *aggrauantium et mitigantium*, nihil ſingulare hic locum habere; 6) *praeſtationis indemnitatis*, eam fieri, vel ducendo ſtupratam per vim, ſeu raptam, ſi velit, in vxorem, vel per pecuniam.

IO. BALT. ELEND *de eo quod pro pudicitia per ius naturae licet.* Helmſt. 1702.

TOB. IAC. REINHARD *Prae mium defenſio pudicitiae eum innocentis nece licita ſit.* Erf. 1734.

TIT. IV.

DE LAESIONIBVS VERIS SPECIALIBVS OFFICIIS ABSOLVTIS RATIONE STATVS EXTERNI CONTRARIIS.

§. 935.

Laeſionum, per quae officia abſoluta erga alios ratione ſtatus externi violantur, praecipua ſpecies ſunt iniuria, quae exiſtimationem concernens laeſio eſt; licet et aliae laeſionum huius generis ſpecies, quae ea quae vſui noſtro inſeruiunt, vt| et amicos et inimicos concernunt, concipi poſſint.

§. 936.

§. 936.

Iniuria eſt quaelibet actio quae efficere poteſt, exiſtimationem aliorum fieri, falſam ſecundum opinionem hominum, malam.

§. 937.

Iniuria alter affici poteſt, tam per *contemtum*, ſi aliquid omittitur, quod non omitti, honor ei debitus requirit, quam per *contumeliam*, ſi aliquid committitur, quo alterius exiſtimatio laeditur. *Contemtus et contumelia* itaque *non ſolum in eo differunt, quod contemtus oriatur ex actionibus omiſſiuis, contumelia vero actiones commiſſiuas requirat, ſed et contemtus in ſpecie honorem, non autem contumelia, concernat.*

§. 938.

Iniuria quae eſt contumalia, vel verbis, vel factis infertur, indeque vel *verbalis*, vel *realis* eſt.

§. 939.

Animus iniuriandi eſt volitio, qua volumus alterius exiſtimationem per actionem quandam noſtram laedi, de quo notandum 1) *animum iniuriandi quidem adeſſe debere, vt iniuria pro laeſione dolo ſe haberi poſſit, aſt ad omnem iniuriam animum iniuriandi non requiri, cum etiam dentur culpoſae iniuriae;* 2) *in iniuriis verbalibus, nec veritatem dictorum, nec prouocationem ad alios, qui ante nos idem dixerunt, liberare ab animo iniuriandi, ſicque iuris naturalis eſſe, quod dicitur in trito:* Wehrmann haben hilft nicht, *vt et:* veritas conuitii non libetat ab animo iniuriandi.

§. 940.

Quoad iniurias notandum, ratione 1) *corporis laesionis*, ad id sufficere existimationem alterius esse laesam; 2) *defensionis*, eam quoad verbales iniurias aliter fieri non posse, quam efficiendo calumniatori fidem non haberi, sicque retorsionem, iniuriarum medium se defendendi contra iniurias non esse; 3) *iudiciorum*; 4) *poenae ipsius*; 5) *eorum quae ad exasperantia et mitigantia pertinent*, nihil, quod singulare est, hic obuenire; 6) *indemnitatis praestationis*, ad eam sufficere aliquid fieri, quod ex opinione hominum pro satisfactione habetur, licet reuera satisfactio non sit.

TIT. V.

DE

LAESIONIBVS VERIS SPECIALIBVS OFFICIIS HYPOTHETICIS CONTRARIIS.

§. 941.

Laesionum officiis hypotheticis contrariarum tot dantur species, quot sunt officia hypothetica perfecta (§. 531. *seqq.*). Ex iis itaque, quae de obligationibus singulis speciebus iuris in re respondentibus, et obligationibus personalibus, tam immediatis, quam ex pactis oriundis, hinc inde dicta sunt, singulae laesionum species, quae huc pertinent, facili negotio deduci possunt. Ast, quum omnes hic recensere nimis prolixum, immo superfluum,

fluum, foret, non nisi earum mentio facienda, quae speciale habent nomen.

§. 942.

Ad huius generis laesiones, quae speciale habent nomen, pertinet 1) *furtum*, quod est rei alienae mobilis, absque vi metuue personae illato, inuito domino, eal intentione vt auferentis fiat, facta ablatio.

§. 943.

De furto notandum quoad 1) *corpus laesionis*, ex ipsa definitione facile constare quid ad illud requiratur; 2) *defensionem*, eam, si fur in actu furandi deprehenditur, caeteris paribus, cum necc furis fieri posse; 3) *iudicia specialia*, ea hic non deesse, veluti si quis habet rem furto ablatam; 4) *poenam ipsam*, de ea in specie monenda deesse; 5) *exasperantia et mitigantia*, si e. g. vis illata in furandi actu, merito exasperandam esse poenam, si vero fur poenitentia ductus, antequam constat furem esse, rem furto ablatam restituit, eam mitigandam esse; 6) *indemnitatis praestationem*, eam per rei ablatae restitutionem, vel eius pretii solutionem fieri.

§. 944.

Progredior II) ad *rapinam*, quae est vis personae illata, per quam res aliena mobilis ea intentione, vt vim inferentis fiat, extorquetur. *Differunt*

runt itaque *furtum et rapina non in eo, quod furtum sine omni vi committatur, rapina vero per quamlibet vim, sed potius in eo, quod in rapina vis personae inferatur, non vero in furto.*

§. 945.

De rapina notandum, quoad 1) *corpus huius laesionis*, metum qui ex minis oritur non sufficere, licet metus ex praecuia vi ortus sufficiat, sicque non solum vim ablatiuam, sed et compulsiuam, rapinam constituere; 2) *defensionem*, eam cum nece fieri posse; 3) *indicia*; 4) *poenam ipsam*; 5) *exasperantia et mitigantia*; 6) *praestationem indemnitatis*, nihil, quod hic singulare et notatu dignum, obuenire.

§. 946.

Sequitur III) *concussio*, quae tum facta, si per metum, ex solis minis ortum, pecunia aliue res mobilis extorquetur.

§. 947.

Conueniunt itaque *furtum, rapina et concussio in eo, quod laedens per has laesiones quod alterius est sibi attribuat, ast differunt in modo quo hoc fit, dum in furto, siue vi metuue personae illato, in rapina et concussione vero, per vim metumue personae illatum fiat, et quidem in rapina per vim metumue ex praevia vi ortum, in concussione per metum ex solis minis ortum.*

§. 948.

Sunt etiam laesiones huius generis IV) *invasio* et V) *vsurpatio*. Fit vero *invasio*, si dominium rei alienae immobilis, et *vsurpatio*, si dominium rei alienae incorporalis, exercemus, verum dominum vi excludendo a dominii sui exercitio.

§. 949.

Licet itaque *hae laesiones cum furto, rapina et concussione in eo conueniant, quod rem alienam tra concernant, vt laedens illicito modo verum dominum dominio suo priuare intendat: differunt tamen tam inter se, quam a furto, rapina et concussione in eo, quod res, circa quas hae laesiones versantur, sint diuersae qualitatis.* Per comparationem definitionum.

§. 950.

Quoad invasionem et vsurpationem ratione communium plurium laesionum talia, quae hic speciatim annotari merentur, desunt.

§. 951.

Sequuntur VI) *damnum iniuria datum*; VII) *illicitus rei alienae vsus*; VIII) *spolium nudum*; IX) *turbatio possessionis*. Est vero *damnum iniuria datum*, omnis laesio rei substantiam; *illicitus rei vsus*, omnis laesio rei vsum; *spolium nudum*, omnis laesio ius possidendi; *turbatio possessionis*, omnis laesio ius possessionis, concernens.

§. 952.

§. 958.

Si actio, per quam alteri damnum datum est nostra culpa concurrente, est actio hominis qui laedere potest, eadem haec laesio, est, respectu agentis, vera laesio, respectu eius qui culpa sua concurrit vero, quasi laesio. Per §. 850. Hinc*que* 1) *eadem laesio pro diuerso respectu laesio vera et quasi laesio esse potest* 2) *si quid effusum vel deiectum ab alio, ita, vt tertius sit laesus per effusionem vel deiectionem, laesio haec respectu effundentis vel deicientis est laesio vera, respectu eius vero qui culpa quadam sua effecit hanc laesionem sibi imputari posse, est quasi laesio.*

§. 959.

Quoad communia laesionum, ratione quasi laesionum, notandum in eo casu, quo talis laesio simul respectu alterius est vera laesio, vtrumque laedentem quidem poenam mereri, ast ad satisfactionem quasi laedentem non nisi in subsidium teneri. In eo casu vero, quo talis laesio non simul vera laesio est, solus quasi laedens, et ad poenam et ad indemnitatis praestationem obligatus est. Per 901 et 903.

SECVLA-

SECVLARIS FEVDALIS.

GOTTL. SAM. TREVER *iuris feudalis vniuersalis paedia* in Petergis Goetting. T. 1. L. 3. n. 6. Separatim quoque excusa exstat haec paedia. Erf. et Lipſ. 1753. 8.

REGN. ENGELHARD *ſpecimen iuris feudorum naturalis, methodo ſcientifica conſcriptum.* Lipſ. 1742. 4.

I. LANGEMACK *allgemeines Lehnrecht, aus philoſophiſchen Gründen erwieſen.* Potsd. 1747. 8.

10. CHRIST. KNAVS *natürliches Lehnrecht als ein allgemeiner aus den Gründen des Rechts der Natur hergeleitet.* Stuttg. 8.

§. 960.

Iurisprudentiam naturalem ſtricte ſic dictam theoreticam ſecularem, in allodialem et feudalem abire, et allodialem, nunc abſolutam, feudalem excipere, ex dictis §. 492. conſtat. Veritates vero, quas haec iurisprudentiae pars ambitu ſuo complectitur, commode ad duas reduci poſſunt claſſes, quarum prima *generalia de*

feudis principia, fecunda vero *fpeciales de feudo doctrinas* fiftit.

PARS I.

GENERALIA DE FEVDIS PRINCIPIA.

§. 961.

Generalia de feudis principia concernunt doctrinas de feudi definitione et origine feudorum; fubftantialibus, naturalibus et accidentalibus feudi; inueftitura et praefcriptione feudali in genere; et variis perfonis feudalibus.

TIT. I.

DE FEVDI DEFINITIONE ET ORIGINE FEVDORVM.

§. 962.

Dantur res quarum dominium in vtile et directum diuifum, earumque fpecies eft *feudum pro re fumtum*, qui fignificatus eft optimus; licet illud faepius pro *iure*, et praefertim *dominio vtili*, fumi, negari nequeat.

§. 963.

Fidelitas in genere, eft curatior praeftatio officiorum erga alios, vt itaque *fidelitas per fe conſiderata non ſit officium, ſed potius modus ſit quo ſit officiorum expletio.* Poſſunt tamen ex ipſorum, vi fidelitatis praeſtandorum, officiorum determinatione, variae a fe inuicem maxime diuerſae concipi fideli-

fidelitatis fpecies. Quodfi itaque ponis, vnum hominem alteri fe in genere ad praeftationem officiorum, quae alias officia humanitatis funt, perfecte obligare, ita, vt tam in horum, quam aliorum, fpeciatim fuſceptorum, officiorum praeſtatione fidelis eſſe velit, inde oritur *fidelitas feudalis*, quae itaque eſt curatior praeſtatio officiorum, quae in genere imperfecta funt, tanquam perfectorum, et aliorum officiorum fpeciatim fuſceptorum.

§. 964.

Feudum ſeu *res infeudata* eſt res, cuius dominium vtile eſt penes vnum, directum vero penes alterum, ſub conditione mutuae fidelitatis feudalis, *quae conditio illud diſtinguit ab emphyteuſi, aliisque rebus, quarum dominium itidem in vtile et directum diuiſum* (§. 571.). Feudi oppoſitum vero eſt *allodium*, ſub quo nomine venit quaelibet res, quae feudum non eſt.

§. 965.

Dominium directum rei quae feudum eſt, dicitur *dominium directum feudale*, et dominium vtile rei quae feudum eſt, *dominium vtile feudale*. Is vero penes quem eſt dominium directum feudi, *dominus feudi directus*, et is penes quem eſt dominium vtile feudi, *vaſallus* appellatur.

§. 966.

Nexus feudalis eſt obligatio mutua inter dominum feudi et vaſallum intuitu feudi contracta. *Qualitas feudalis* vero dicitur ea rei qualitas, quod

quo violatio officiorum perfectorum erga alios facta, in esse suo determinantur, et *specialis*, quae per officii, quod per eas violatur, determinationem in esse suo determinantur.

§. 893.

Sunt porro V) laesiones, vel tales quae plene in actum deductae, vel non. In priori casu dicuntur laesiones *consummatae* seu *simpliciter laesiones*. In secundo vero *conatus laedendi*, qui dicitur *laesio attentata*, si laedens praeparatoria laesionis tantum exercuit; *inchoata* vero, si laedens in ipso actu laedendi iam fuit constitutus, at eum non absoluit, id quod variis modo contingere potest.

TIT. II.
DE SVBIECTO ET OBIECTO LAESIONVM.

§. 894.

Subiectum laesionum appello eos qui laedunt et laeduntur, sicque laedentes et laesos.

§. 895.

Laedere potest quilibet homo viuens, qui in genere, et in specie eo tempore quo laedit, sanae rationis vsum habet; nisi is, qui in specie tempore laesionis commissae vsu rationis sanae destitutus fuit, sponte talis factus. Loquor enim de laesionibus imputabilibus, ad imputationem vero requiritur agentem sanae rationis vsum habuisse dum egit. (§. 92.).

§. 896.

§. 896.

Laedere itaque *nequeunt* 1) *res inanimatae*; 2) *brutа*; 3) *homines sanae rationis vsu in genere, et in specie tempore laesionis commissae, destituti.*

§. 897.

Porro de subiecto laedente notandum, illud vel esse *vnicam personam*, siue physicam, siue moralem, vel *plures personas*, quae quoad vnicam laesionem pro laedentibus habendae. Hae plures personae vero, vel coauctores laesionis sunt (§. 60.) et dicuntur *complices*, vel non. In vltimo casu distinguendum, inter personas *laedentes principales*, quales sunt auctor seu coauctores laesionis, et *minus principales*, quales sunt socii laedentium et eorum fautores (§. 61. 62.).

§. 898.

Alterum subiectum laesionum est *subiectum laesum*, de quo notandum 1) *illud esse omnes homines, non viuentes solum, sed et mortuos* (§. 517.); 2) *laesion*, vel esse *immediate laesum*, qui malum ex laesione ortum sentit per se, vel *mediate laesum*, qui illud per consequentiam sentit.

§. 899.

Sufficiant haec de laesionum subiecto. Laesionum obiectum sunt ipsa officia erga alios perfecta quae violantur, sicque, pro diuersitate obiecti, vel laesiones, quas appello speciales (§ 892.), sunt, vel laesiones quoad *officia absoluta*, vel laesiones quoad *officia hypothetica*. Laesiones prioris generis.

§. 952.

Damnum iniuria datum itaque, *tam circa rem alienam, quam etiam circa rem noſtram, veluti ei periculoſum ignem ſubiiciendo, locum habet. Idem dicendum de illicito rei vſu, quae lacſio tum circa propriam rem locum habet, ſi vſus eius alteri conceſſus eſt*, et dicitur tum, ſi eſt rei alienae vſus, absque vi metuue perſonae illato exercitus, *furtum vſus. Nec minus idem dicendum de ſpolio nudo*, diciturque illud tum, ſi cum, cui ius poſſidendi rem noſtrum competit, absque vi metuue perſonae illato poſſeſſione eius priuamus, *furtum poſſeſſionis. Aſt turbatio poſſeſſionis quoad res nobis proprias concipi nequit.*

§. 953.

Quum ſpolium in genere ſit illicita priuatio poſſeſſionis quomodocunque facta (§. 381.), *omne ſpolium quidem laeſio eſt, aſt tamen, quoties priuatio poſſeſſionis coniuncta cum intentione alterum priuandi dominio rei ſuae, pro caſuum diuerſitate, vel in furtum, vel in rapinam, vel in concuſſionem, vel in inuaſionem, degenerat, et non niſi ſpolium nudum, laeſionis ſpecies, ab his recenſitis diuerſa, eſt.*

§. 954.

Damnum iniuria datum, illicitus rei alienae vſus, ſpolium nudum, et turbatio poſſeſſionis differunt a furto, rapina, concuſſione, inuaſione et vſurpatione in eo, quod priores laeſiones, non vt poſteriores

ea tendant, vt alterum dominio rei ſuae priuemus. Per comparationem definitionum.

§. 955.

Caeterum nec de quatuor laeſionum §. 591. recenſitarum ſpeciebus, ſingularia quaedam, ratione communium plurium laeſionum hic notanda, adſunt.

§. 956.

Tandem ad laeſiones huius generis, quae ſpeciale habent nomen, referri adhuc poteſt X) *perfidia in pactis*, de qua iam alia occaſione (§. 771.) actum, et hic tantum addendum, *praeter effectum eius ſupra l. c. notatum, eam tanquam laeſionem et hoc operari, quod per perfidiam laeſus, non ſolum punire perfidum poſſit, ſed et praeterea indemnitatis praeſtationem ab eo poſtulare.*

TIT. VI.

DE

QVASI LAESIONIBVS.

§. 957.

Abſolutis laeſionibus veris, ſequuntur quaſi laeſiones, ſeu laeſiones impropriae, *adquas pertinent omnes laeſiones, tam officiis erga alios abſolutis, quam hypotheticis, contrariae, ex agentis a nobis diverſi, ſiue hominis, ſiue animalis, ſiue rei inanimatae actione, quae nobis ob culpam admiſſam imputari poteſt, ortae.* Per §. 890.

§. 958.

via, secundum quam theoria de successione tradi potest. Mihi placet prior, sicque agendum de successione 1) *hereditaria*, 2) *non hereditaria* seu *singulari*.

SECTIO I.
DE SVCCESSIONE HEREDITARIA.

§. 834.

Hereditaria successio pro ea diuersitate, quod vel *vniuersalis* sit, vel *particularis* (§. 317), hic explicanda.

MEMBRVM I.
DE SVCCESSIONE HEREDITARIA VNIVERSALI.

§. 835.

Vniuersalis successio hereditaria praesupponit, prout successio omnis, factam eius delationem, indeque tam de *delatione huius successionis*, quam de *ipsa hac successione*, eiusque *effectu*, agendum.

CAPVT I.
DE DELATIONE SVCCESSIONIS HEREDITARIAE VNIVERSALIS.

§. 836.

Delatio successionis hereditariae vniuersalis fit duplici modo partim per delationem *immediate per legem* factam, partim per delationem per *heredis*

heredis institutionem a defuncto factam. Prior *successionis ab intestato* seu *legitimae vel immediatae*, posterior vero *successionis mediatae*, nimirum interueniente, vel vltima voluntate, vel pacto successorio, vel donatione mortis causa, factae, fundamentum est.

TIT. I.
DE DELATIONE SVCCESSIONIS HAEREDITARIAE VNIVERSALIS PER LEGEM.

§. 837.

Si moritur homo qui iura patrimonialia, siue consistant in dominio rerum corporalium, siue in aliis iuribus, quorum complexus, qui post mortem superest, constituit eius hereditatem (§. 346.), *et sic non intelligitur nisi deducto aere alieno, habuit, haec hereditas quidem res nullius esse incipit*, per §. 346: *est non semper est res absolute nullius, sed nonnunquam talis, nonnunquam vero non nisi res secundum quid nullius est*, prout ex nunc dicendis patebit.

§. 838.

Si quis moritur *relictis cognatis* qui sunt *consanguinei*, *his lex naturae defert successionem hereditariam vniuersalem, et quidem* 1) *descendentibus sine sexus, aetatis et gradus discrimine, ita tamen vt descendens viuens excludat suos descendentes, et praemortui descendentis superstiti descendentes non nisi eam portionem accipiant, quam accepisset praemortuus*

vasallus eam habeat a domino feudi sub conditione fidelitatis feudalis.

§. 967.

Rem esse feudum absolute non praesumitur. Si vero constat eam feudum esse, qualitatem feudalem habent, res ipsa cuius dominium in vtile et directum diuisum, et vtile vasalli dominium. Est 1) *fructus eius rei;* 2) *possessio eius;* 3) *dominium directum eius;* 4) *pecunia ad feudum emendum destinata aut ex feudo vendito redacta, qualitatem feudalem non habent.* Feudum absolute non praesumi inde est, quoniam facti est rei dominium in vtile et directum sub conditione fidelitatis feudalis esse diuisum (§. 114.). Reliqua fluunt ex definitione qualitatis feudalis (§. *praec.*).

§. 968.

Feuda non sunt a natura, sed potius facto humano intercedente introducta, id quod factum esse legibus naturalibus non repugnat. Quando vero, qua occasione, quo fine, a quibus feuda primum introducta sint, in iure feudali naturali non nisi eatenus determinari potest, quod demum, postquam per introductionem dominii communio primaeua sublata, introduci potuerint. Id quod inde patet, quod non dominium, sed communio primaeua, a natura sit (§. 257.), feudum vero concipi nequeat sine dominio (§. 964) et dominus de re sua pro arbitrio disponere possit (§. 263).

TIT.

TIT. II.

DE

SVBSTANTIALIBVS, NATVRALIBVS ET ACCIDENTALIBVS FEVDI.

§. 969.

Feudi *substantialia* seu *essentialia* dicuntur feudi determinationes quae saluo feudo abesse nequeunt. Reliquae determinationes vero, quae adesse et abesse possunt saluo feudo, si ordinarie adsunt, dicuntur *naturalia feudi*, si ordinarie absunt, *accidentalia feuda.*

§. 970.

Sunt itaque *feudi essentialia* 1) *adesse rem;* 2) *eam esse in dominio;* 3) *hoc dominium esse diuisum in directum et vtile;* 4) *vtile dominium acquisitum esse ab alio retento ab eo directo;* 5) *directum penes vnum, et vtile penes alterum esse, sub conditione fidelitatis feudalis.*

§. 971.

Quum itaque ea, quae ad feudi substantialia non pertinent, adesse et abesse possint saluo feudo (§. 969.), patet: *feudi species oriri, si quoad ea, quae ad substantialia feudi non pertinent, aliquid determinatur.* Quodsi itaque determinatur feudum tale esse, vt praeter substantialia omnia naturalia adsint, omnia accidentalia vero desint, inde oritur species feudi quae dicitur *feudum proprium.* In casu opposito vero, oritur feudum

quod dicitur *improprium*, ſicque *improprium feudum oritur duplici modo, dum vel ideo improprium eſt quoniam vnum vel plura naturalia deſunt tantum, nullum accidentale vero adeſt, vel ideo quoniam praeter naturalia omnia quae adſunt, adeſt accidentale.*

§. 972.

Licet ſecundum leges naturales determinari poſſit quae ſint feudi ſubſtantialia, quae non, ſecundum eas tamen determinari nequit quae inter ea, quae ad ſubſtantialia non pertinent, ad naturalia, quae vero ad accidentalia referri debeant. Vi principii iuris naturae §. 19. et def. naturalium et accidentalium feudi §. 969.

TIT. III.
DE
INVESTITVRA FEVDALI IN GENERE.

§. 973.

Inueſtitura feudalis eſt actus quo dominus feudi, dominium vtile feudi in vaſallum fidelitatem promittentem, transfert.

§. 974.

Inveſtitura feudalis diuiditur I) in *puram*, ſi de praeſenti ipſa dominii vtilis translatio fit, et *euentualem*, ſi haec translatio a certo euentu ſuſpenditur.

§. 975.

Eſt porro II) inueſtitura feudalis vel *propria*, ſi feudum ſimul traditur, vel *abuſiua*, ſi non.

§. 976.

§. 976.

Sequitur III) diuiſio inueſtiturae feudalis in *ſimplicem*, ſi non niſi vnus inueſtitur, et *ſimultaneam*, ſi plures cum eodem feudo inueſtiuntur. In hoc ſenſu latiori vero ſimultaneae inveſtiturae variae ſpecies ſunt poſſibiles, dum plures, vel ita inueſtiuntur vt vnus immediate, reliqui vero non niſi mediate, per eum, et tanquam comprehenſi ſub eius inueſtitura, inueſtiuntur, vel non. In poſteriori caſu, ſimultanea inueſtitura proprie et ſtricte ita appellatur, et dici poteſt *completa*, ſi plures de eodem feudo, eodem tempore, et aequali iure inueſtiuntur, *incompleta* ſi non. Vt itaque tres ſpecies ſimultaneae inueſtiturae incompletae concipi poſſint, nimirum incompleta quoad *tempus tantum*, quoad *ius tantum*, quoad *ius et tempus ſimul*.

§. 977.

Tandem IV) inueſtitura vel *prima*, vel *repetita* eſt. Licet enim per inueſtituram ſemper dominium vtile in vaſallum transferatur, ſiue pure, ſiue euentualiter fiat, ſicque *in hoc ſenſu ſemper acquiſitiua ſit*: haec tamen concipi poteſt differentia, quod vel talis inueſtiatur, qui nondum inueſtitus eſt, quo caſu inueſtitura dicitur *prima*, vel inveſtiatur; qui iam inueſtitus eſt, quo caſu inueſtitura dicitur *repetita*. Prima inueſtitura vero vel fit cum re quae feudum non eſt, tumque *originaria* ſeu *conſtitutiua* dici poteſt, vel cum re quae feudum eſt, tumque *ſtricte acquiſitiua* appellatur.

§. 978.

Laudemium feudale eſt pecunia, a vaſallo domino feudi directo pro inueſtitura ſoluenda. *Iuramentum fidelitatis* ſeu *vaſallagium* eſt iuramentum promiſſorium, quo vaſallus promiſit fidelitatem feudalem.

§. 979.

Prout ius naturae ſolemnitates inueſtiturae ignorat, ita et ex feudi et inueſtiturae natura non fluit laudemium a vaſallo eſſe ſoluendum, et praecipe iuramentum fidelitatis ab eo eſſe praeſtandum. Vnde hic plura de inueſtitura in genere tradi nequeunt, et reliqua, quae ſingulas ſpecies concernunt, infra ſuis locis addenda.

TIT. IV.

DE

PRAESCRIPTIONE FEVDALI IN GENERE.

§. 980.

Praeſcriptio dicitur *feudalis*, ſi concernit dominium rei infeudatae ſeu infeudandae.

§. 981.

Praeſcriptio feudalis, vel talis eſt, per quam rei infeudandae ſeu infeudatae dominium directum vel vtile acquiritur, tumque dicitur *acquiſitiua*, vel talis per quam dominii directi et vtilis feudi conſolidatio fit, tumque dicitur *exſtinctiua*.

§. 982.

§. 982.

Praeſcriptio feudalis acquiſitiua, vel conſtitutiua, vel translatiua eſt. Dicitur vero *conſtitutiua*, ſi per praeſcriptionem dominium feudi directum vel vtile quod acquiritur, ſimul formatur, ſicque per eam infeudatio fit. *Translatiua* vero appellatur, ſi feudi conſtituti directum vel vtile dominium, ita, vt conſolidatio non fiat, acquiritur.

TIT. V.

DE

PERSONIS FEVDALIBVS.

§. 983.

Perſonas feudales appello, quae in nexu feudali, aut in ſpe, aut actu, ſunt.

§. 984.

Ad perſonas feudales itaque, *praeter dominum feudi, pertinent quae dominium vtile feudi actu habent, vel, licet actu nondum habeant, ſpem in illud ſuccedendi tamen habent.*

§. 985.

Ad eas perſonas feudales, praeter dominum feudi, quae actu dominium vtile habent, et generatim vaſalli dicuntur (§. 965.), pertinet 1) *vaſallus principalis* ſeu *vaſallus poſſeſſor*, qui vtilitatem et poſſeſſionem feudi ſolus habet; 2) *ſub primi acquirentis inueſtitura comprehenſi*, qui vaſalli poſſeſſores nondum ſunt, aſt tamen per primum

mum acquirentem, cum eodem feudo, cum quo is inueſtitus eſt, inueſtiti ſunt; 3) *ſimultanee inueſtiti proprie ſic dicti*, qui vaſalli poſſeſſores nondum ſunt, at tamen praeter primum acquirentem, et ſub eius inueſtitura comprehenſos, cúm eodem feudo pure inueſtiti ſunt.

§. 986.

At ad perſonas feudales praeter dominum feudi, quae actu quidem dominium vtile nondum habent, in illud tamen ſuccedendi ius habent, pertinent, 1) *exſpectativarii feudales*, qui a domino feudi, in caſum quo deficiunt qui actu dominium vtile habent, id eſt, in caſum aperturae, ad ſucceſſionem vocati; 2) *ſucceſſores a vaſallo ad ſucceſſionem in caſum aperturae vocati.*

§. 987.

Quod vero attinet *eventualiter inueſtitos*, quo nomine veniunt qui praeter primum acquirentem, et ſub eius inueſtitura comprehenſos, non pure, ſed in caſum aperturae, inueſtiti, *ii propriam claſſem perſonarum feudalium non conſtituunt, ſed vel exſpectativarii, vel ſucceſſores a vaſallo ad ſucceſſionem vocati, ſunt*, indeque tam exſpectativarii, quam ſucceſſores a vaſallo ad ſucceſſionem vocati, vel *nudi*, vel *eventualiter inueſtiti exſpectativarii* ſeu *ſucceſſores a vaſallo ad ſucceſſionem vocati*, ſunt.

PARS

PARS II.

SPECIALIS DE FEVDIS TRACTATIO.

§. 988.

Specialis de feudis tractatio redit ad duo ſumma capita, dum de *feudo conſtituendo* et de *feudo conſtituto* agendum.

LIBER I.

DE FEVDO CONSTITVENDO.

§. 989.

Feudi conſtitutio, ſine qua non datur feudum, cum nullum feudum ſit a natura (§. 968.), fit, ſi res in duorum dominio dimidiato ita eſſe incipit, vt penes vnum dominium directum, penes alterum vtile, ſit, ſub conditione mutuae fidelitatis feudalis. Actus ipſe vero, quo feudi conſtitutio fit, dicitur *infeudatio*.

§. 990.

Infeudatio, tam pro diuerſitate eius cuius res eſt quae infeudatur, quam pro diuerſitate qualitatis ipſius rei, in diuerſas abit ſpecies. Ex primo fundamento vel talis eſt, quae ſit *praeuia oblatione in feudum*, vel talis, quae *ea non praeuia* ſit, prout vel res vaſallo propria, quae ea lege domino conceſſa ab accipiente, vel res quae domino propria, infeudatur. Ex ſecundo fundamento vero

eſt

eſt vel *infeudatio prima*, vel *reinfeudatio*, prout res quae infeudatur, vel eſt allodium quod nunquam feudum fuit, vel eſt allodium quod feudum olim fuit, aſt tale eſſe deſiit, ſicque feudum finitum. Infeudatio prima eſt, vel *infeudatio in ſpecie dicta*, vel *ſubinfeudatio*, prout res quae infeudatur, vel non eſt, vel eſt, dominium vtile feudi, haecque vel *ſubinfeudatio in ſpecie ſic dicta* ſeu *datio in ſubfeudum*, vel *obfeudatio*, ſeu *oblatio in ſubfeudum*, eſt, prout vaſallus dominium vtile feudi, vel alii in feudum concedit, vel illud ei ab alio, cui ea lege dedit vt ſubinfeudario fiat, in feudum conceditur.

§. 991.

Pro diuerſitate infeudationis differunt feuda per eam orta. Ex prima diuiſione enim oriuntur feuda *oblata* et *data*, prout orta ſunt, vel per infeudationem praeuia oblatione factam, vel per infeudationem mediante datione factam. Ex ſecunda vero *feuda prima* et *ſubfeuda*, prout vel ex infeudatione prima, vel ex ſubinfeudatione orta ſunt.

§. 992.

Secundum ius naturae nil refert, ſiue feuda ſint data, ſiue oblata, ſiue prima, ſiue ſubfeuda, et tam prima feuda, quam ſubfeuda, data et oblata feuda eſſe poſſunt. Diuerſitas ſubiecti penes quod dominium plenum rei infeudatae ante infeudationem fuit, et rei ipſius quae infeudatur enim, per ſe nullam iurium et obligationum differentiam

tiam operari poteſt, et cum dominium vtile ſit res in dominio vaſalli exiſtens, et ſubfeuda vel data, vel oblata eſſe patet per §. 991.

§. 993.

Datio in feudum ſemper inuoluit alienationem, licet, ſi praeuia oblatione ſit, in effectu in feudum dans lucretur, et in reinfeudatione, alienatio iam per primam infeudationem facta, tantum reiteretur. Vi definitionis infeudationis (§. 989.) oblationis in feudum (§. 990.) alienationis (§. 340.) vt et primae infeudationis et reinfeudationis (§. 990.).

§. 994

Reliqua de infeudatione monenda redeunt ad tria ſumma capita, doctrinam ſcilicet de 1) *modis quibus ſit*; 2) *rebus quae poſſunt infeudari*; 3) *perſonis quae poſſunt feudum concedere*, de quibus nunc ſigillatim agendum.

TIT. I.

DE

MODIS QVIBVS INFEVDATIO FIT.

§. 995.

Infeudatio, ſiue ſit prima, ſiue reinfeudatio, illaque, ſiue in ſpecie ſic dicta, ſiue ſubinfeudatio: vt et, ſiue fiat praeuia oblatione in feudum, ſiue ea non praeuia, ſit duplici modo, vel per inueſtituram feudalem conſtitutiuam, vel per praeſcriptionem feudi conſtitutiuam. (§. 979. 982.). Voluntate domini rei

quae

quae infeudatur enim eam fieri neceſſe eſt, quam vel expreſſam, vel tacitam ſeu praeſumtam eſſe neceſſe eſt. Prior adeſt in inueſtitura, poſterior in praeſcriptione conſtitutiua.

§. 996.

Si infeudatio per inueſtituram feudi conſtitutiuam ſit, pactum inter futurum dominum et vaſallum de ſuſcipiendo nexu feudali initum, praecedere neceſſe eſt, quod dicitur pactum feudale, *per quod etiam determinari debent ſpecialia officia inter dominum et vaſallum quae ex natura feudi non ſluunt. Aſt ſolum hoc pactum ad infeudationem non ſufficit, nec ſufficit inueſtitura euentualis, licet perinde ſit ſiue ſit propria, ſiue abuſiua.* Quum enim inuito vaſallo obtrudi nequeat dominium vtile, feudale pactum praecedere debet. Et quum per infeudationem feudum conſtituatur (§. 339.), feudum vero non ſit conſtitutum, niſi dominium vtile ſit penes vaſallum, patent vi §. 333 et 973 *ſeqq.* reliqua propoſitionis membra.

§. 997.

Ad praeſcriptionem feudi conſtitutiuam requiritur, rem allodialem poſſideri vt feudum a diuerſis perſonis, quarum vna ſe gerit pro domino feudi directo, altera pro vaſallo, tumque accedere generalia praeſcriptionis acquiſitiuae requiſita (§. 336.) *et perinde eſt, ſiue allodium, quod ita poſſidetur, ſit eius qui ſe gerit pro domino, ſiue eius qui ſe gerit pro vaſallo, ſiue tertii.* Per §. 982.

TIT. II.

DE REBVS QVAE POSSVNT INFEVDARI.

§. 998.

Vt res in ſe ſpectata talis ſit, quae poteſt infeudari, nihil aliud requiritur quam eam non eſſe rem nullius. Omnia enim quae requiruntur ad feudum, locum habere poſſunt quoad reliquas res (§. 964.).

§. 999.

Poſſunt itaque *infeudari tam corporales quam incorporales res, tam mobiles quam immobiles res; immo, licet res talis ſit quae vſu conſumitur, infeudari poteſt, et, licet res nullius ipſa infeudari nequeat, ius occupandi res nullius proprium tamen infeudari poteſt.*

§. 1000.

Si res in ſe ſpectata ad infeudandum habilis eſt, vt praecise ab hoc vel illo in feudum concedi poſſit, requiritur eum eſſe 1) *dominum rei quae in feudum conceditur et* 2) *alienandi facultatem habere.* Inuoluit enim infeudatio reſpectu feudum concedentis alienationem (§. 993.).

§. 1001.

Infeudari itaque *nequeunt res alienae et alienari prohibitae, aſt condominus rataam ſuam rei communis inuito condomino infeudare poteſt.*

TIT. III.

DE

PERSONIS QVAE FEVDVM CONCEDERE POSSVNT.

§. 1002.

Si quis habet tales res quae in se spectatae, et in specie ab eo, qui eas infeudare vult, infeudari possunt, licet et tales res in feudum concedere; ita, vt secundum ius naturae non dentur personae ad feudum concedendum inhabiles, sed potius quilibet dominus feudi esse et vasallos habere possit, nisi supponatur fidelitatem continere officia quae huic vel illi praestari illicitum esset, qua casu iuris naturalis est eos, quibus talia officia praestari illicitum est, feuda concedere non posse. Si enim dicta limitatio non habet locum, et adsunt quae per hypothesin praesupponuntur, nullum adest fundamentum ex quo feudi concessionem illicitam esse probari doteſt.

§. 1003.

Feuda itaque *concedere possunt tam personae singulares quam morales; superior feuda concedere potest sibi subiecto et is superiori suo; qui concessit alicui hoc feudum, is ab eo accipere potest aliud feudum, vt sic dominus feudi possit esse vasallus sui vasalli.*

LIBER II.

DE

FEVDO CONSTITVTO.

§. 1004.

Secunda et praecipua doctrina in iure feudali explicanda concernit feudum constitutum (§. 988.) vbi de feudi *acquisitione*, *iuribus et obligationibus feudalibus*, *modis quibus nexus feudalis tollitur*, et de *persecutione iurium feudalium* agendum.

SECTIO I.

DE

FEVDI ACQVISITIONE.

§. 1005.

Feudi acquisitio est acquisitio dominii vtilis feudi. Licet enim et detur dominium feudi directum, illius acquisitio tamen, cum non habeat qualitatem feudalem (§. 967.), conuenit cum acquisitione dominii quae in iurisprudentia allodiali (§. 574. seqq.) explicata.

§. 1006.

Doctrina de feudi acquisitione ad duo summa capita redit, videlicet de *personis feudorum capacibus*, seu de iis qui feuda acquirere possunt, vel non, et de *modis quibus feudi acquisitio fit*.

TIT. I.

DE

PERSONIS FEVDORVM CAPACIBVS.

§. 1007.

Vt quis feudi capax sit nihil aliud requiritur, quam 1) *in genere dominii capacem esse*; 2) *fi-*

delitatem eam, quae in conditione eſt, praeſtare poſſe. Per § 964.

§. 1008.

Hinc patet: *perſonas morales et phyſicas; foeminini et maſculini ſexus, et cuiuscunque alius conditionis, quae nec obſtat quod in genere acquirere, nec obſtat quod in ſpecie eam fidelitatem, quae in conditione eſt, praeſtare poſſint, feuda acquirere poſſe.*

TIT. II.

DE FEVDA ACQVIRENDI MODIS.

§. 1009.

Feudorum acquiſitio eſt vel *conſtitutiua*, quae etiam *originaria* dici ſolet, ſi acquiſitio fit dum feudum conſtituitur, indeque hanc acquiſitionem duplicem eſſe, eamque, vel *per inueſtituram conſtitutiuam*, vel per *praeſcriptionem feudalem conſtitutiuam*, fieri, ex dictis §. 986. ſeqq. patet, vel *translatiua*, quae etiam *derinatiua* dici ſolet, quae fit feudo iam conſtituto, de qua ſpeciatim agendum.

§. 1010.

Feudi acquiſitio translatiua fit, vel per *ſucceſſionem*, quae eſt ſucceſſionis in dominium ſpecies, et in oppoſitione ad allodialem (§. 832.) *feudalis ſucceſſio* appellatur, vel *citra ſucceſſionem*.

§. 1011.

Quod attinet *ſucceſſionem feudalem, ea non habet locum, ſed potius, mortuo vaſallo poſſeſſore, dominium*

dominium vtile conſolidatur cum dominio directo, niſi de domini feudi voluntate conſtet, quod hunc vel illum ad feudi ſucceſſionem admittere velit. Licet pactum in genere (§. 684.), ſicque et pactum feudale, in dubio praeſumatur reale, hic tamen ob fidelitatem feudalem a vaſallo praeſtandam, haec praeſumtio ceſſat.

§. 1012.

Quum itaque voluntas domini feudi adſit, quod in feudum ſuccedere velit ſub primi acquirentis inueſtitura comprehenſos; ſimultanee inveſtitos ſtricte ſic dictos, ſi ſimultanea inueſtitura ſucceſſionis cauſa facta; nec non exſpectatiuarios et per vaſalli diſpoſitionem ſucceſſoriam, a domino approbatam, ad ſucceſſionem vocatos; *quadruplex datur ſucceſſio feudalis ſecundum leges feudales naturales*, nimirum ſucceſſio feudalis 1) *ex inueſtitura primi acquirentis*; 2) *ex ſimultanea inueſtitura* ſucceſſionis cauſa facta; 3) *ex exſpectatiua feudali* 4) *ex diſpoſitione ſucceſſoria vaſalli a domino approbata*, veluti ex eius vltima voluntate, pacto ſucceſſorio ſeu mortis cauſa donatione.

§. 1013.

Quod attinet *feudi acquiſitionem quae citra ſucceſſionem fit*, eo referri poſſunt *occupatio*, *praeſcriptio feudi translatiua*, et *acceptatio delati domnii vtilis*, quae fit vel interueniente *feudi alienatione*, vel *ſubinfeudatione*.

§. 1014.

Caeterum, quid circa acquisitionem feudi pro diuersitate modorum acquirendi vbique iustum sit, secundum leges naturales, partim per se, partim ex iis quae de successione, occupatione, praescriptione, acceptatione dein iuris generatim in introductione dicta sunt, patet. Hinc tantum quoad *successionem feudalem* hic addendum, eam, vel *hereditariam*, vel *non hereditariam* seu *singularem* esse posse, cum et feuda ad bona, quae defunctus vasallus iure patrimoniali possedit, pertinere possint. Prout itaque successio feudalis vel hereditaria, vel singularis est, ea quae de successione in dominium allodiale hereditaria §. 834. seqq. et singulari §. 877. seqq. dicta sunt, et hic locum habent.

SECTIO II.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS IPSIS.

§. 1015.

Iura et obligationes quae feuda concernunt, aut concernunt feudum *constituendum*, aut feudum *constitutum*. In posteriori casu sub *iurium et obligationum feudalium* nomine veniunt, de quibus nunc agendum, quatenus, nec circa feudi acquisitionem, nec circa nexus feudalis dissolutionem, nec circa persecutionem, versantur, hoc est,

§. 1016.

§. 1016.

Quum vero iura et obligationes feudales, vel ipsam personarum feudalium *personam*; vel *dominium feudi directum*; vel *dominium feudi vtile*; vel *ipsam rem infeudatam*, pro obiecto habeant, secundum hanc differentiam de iis agendum, definiendo quid hic iustum sit, si aliud non est conventum.

TIT. I.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS CIRCA PERSONAM.

§. 1017.

Iura et obligationes feudales, quae circa personam domini et vasalli versantur, concernunt 1) *renouationem inuestiturae*, quae est actus per quem inuestitura repetita, in casu mutationis domini directi, vel vasalli, fit.

§. 1018.

Si itaque successor feudalis vi inuestiturae primi acquirentis, dum sit vasallus possessor, immediate investitur; si simultanee inuestitur iterum inuestitur; si vasallus possessor mutato domino feudi directo iterum inuestitur, sit inuestiturae renouatio.

§. 1019.

Renouatio inuestiturae non est iuris naturalis. Semel enim per primam inuestituram acquisitum esse dominium vile sufficit.

§. 1020.

Huc pertinent II) *officia humanitatis ad quae praestanda ex nexu feudali oritur perfecta obligatio* (§. 963.). Quum vero ipsa officia humanitatis seu imperfecta hic sigillatim recensere nimis prolixum foret, sufficere possunt supra §. 195. de officiis humanitatis in genere dicta.

§. 1021.

Porro et huc referri debent III) *specialia officia quae circa personam versantur, vel a domino vasallo, vel a vasallo domino, praestanda*, veluti *protectio a domino vasallo praestanda, et seruitia feudalia a vasallo domino praestanda.* Quum vero haec aliaque officia specialia, ex natura et essentia feudi determinari nequeant, sed potius ex pacto feudali et moribus (§. 969.) definiendum, quid circa haec specialia officia iustum sit, quaeque locum habeant, vel non: ea vi principii iuris naturae (§. 19.) hic determinari nequeunt; licet, si per hypothesin assumatur, hoc vel illud officium susceptum esse, ex eius natura et indole quid iustum sit in iure feudali naturali definiri possit.

TIT. II.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS CIRCA FEVDI DOMINIVM DIRECTVM.

§. 1022.

Quod attinet feudi *dominium directum, illud tam in quasi dominio domini feudi directi est, vt nec*

nec vasallus possessor, nec alia persona feudalis de eo participet, sed potius dominus feudi directus de eo ita disponere possit, prout de qualibet alia re sua disponere potest, et quod in genere iustum est circa alias res, et circa hanc iustum est. Quodsi vero dominus directus violat fidelitatem feudalem, illud in vasallum possessorem devolvitur. Per definitionem domini directi (§. 965.) et quoniam dominium feudi directum allodium est (§. 967.). Quod vero de casu, quo violatio fidelitatis feudalis facta, dictum, est effectus conditionis resolutiuae nunc existentis.

§. 1023.

Quicquid itaque *in genere valet de alienatione et successione quoad alias res, etiam valet de alienatione et successione quoad dominium directum.*

§. 1024.

Appropriatio feudi est in genere actus, per quem dominium feudi directum a domino feudi adiicitur dominio vtili, ita, vt vasallus nunc plenum rei, quae feudum erat, dominium accipiat.

§. 1025.

Ad appropriationem feudi requiritur consensus domini directi ab vna, et vasalli possessoris, nec non simultanee inuestitorum, ab altera parte, ita vt, si vasallus possessor non est primus acquirens, vt successorum feudalium vi inuestiturae primi acquirentis, consensus accedere debeat. Id quod, quoad dominum feudi directum, quum per appropriationem dominium feudi directum amittat, per se patet.

tet. Quoad reliquos vero hoc inde deducendum, quod, licet ab vna parte acquirant, ab altera parte tamen amittant iura in personam domini (§. 1021.). Quoad casum quo vasallus possessor est primus acquirens vid. §. 833.

TIT. III.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS CIRCA DOMINIVM VTILE.

§. 1026.

Ratione *dominii vtilis feudi* dantur iura *domini feudi directi, vasalli possessoris et reliquarum personarum feudalium* (§. 983. seqq.). Quod iura *domini feudi directi* circa dominium feudi vtile attinet, *ipsum hoc dominium quidem non habet: att tamen ius futurum radicatum, ad consolidationem eius cum directo, duplici casu habet:* 1) *si nemo eorum superest quibus concessum, sicque feudum sit domino apertum;* 2) *si talis quidem adest, att is violauit fidelitatem feudalem, ita vt in primo casu consolidatio sit perpetua, in posteriori casu vero temporaria, si praeter eum, qui violauit fidelitatem feudalem, supersunt alii, quibus feudum a domino itidem concessum, iisque violatio fidelitatis feudalis imputari nequit.* Vi definitionis feudi (§. 964.), et effectus conditionis resolutiuae nunc existentis.

§. 1027.

Hinc fluit *dominum feudi directum posse* 1) *exspectatiuam feudalem valide concedere sine aliarum, perso-*

narum feudalium consensu (§. 986.): *att* 2) *simultanee inuestire eum non posse, sine consensu vasalli possessoris et successorum feudalium vi inuestiturae primi acquirentis talium* §. 985.

§. 1028.

Porro ad iura domini directi circa dominium feudi vtile pertinet, *illud sine eius consensu ad alium quam eum, cui illud vel de praesenti, vel in certum eventum, a domino feudi directo concessum, transferri non posse, seu, quod idem est, ei inuito vasallum, loco vasalli cui ab eo feudum concessum, obtrudi non posse.* Meum enim alteri concessum, in eum cui non concessum, transferri nequit sine meo consensu.

§. 1029.

Quod attinet iura vasalli possessoris circa dominium vtile, *is illud ipsum cum eius exercitio habet, et quidem solus, si nec successores feudales vinvestiturae primi acquirentis, nec simultanee inuestiti adsunt. Si vero tales adsunt, quando est primus acquirens, sicque feudum est* nouum feudum, *ipsum dominium vtile est in condominio eius et simultanee inuestitorum; quando autem primus acquirens non est, sicque feudum est* feudum antiquum, *etiam successores feudales sub primi acquirentis inuestitura comprehensi, praeter simultanee inuestitos, quoad ipsum dominium vtile cum possessore vasallo in condominio sunt.* Per §. 985.

§. 1030.

Alienatio feudi est actus inter viuos, quo vasallus possessor plenum quasi dominium dominii vtilis

vtilis feudi in alium, quam dominum feudi directum, transfert, eaque diuiditur in *impropriam* et *propriam*, prout is in quem transfertur, vel est persona feudalis, vel non. *Refutatio feudi* est actus inter viuos, per quem a vasallo possessore dominio directo adiicitur vtile, ita, vt dominus feudi directus nunc dominium plenum rei, quae feudum erat, accipiat, licet in hoc sensu praecise refutatio *domino facta* appellari soleat, eique refutatio successoribus et extraneis facta opponi, quae refutationes tamen magis alienationes feudi sunt. *Vnde patet a feudi alienatione at refutatione differre subinfeudationem* (§. 990.) *et dispositionem de dominio feudi vtili mortis causa factam.*

§. 1031.

Vasallus possessor feudum, nec proprio alienare, nec refutare, nec de eo mortis causa disponere potest, sine consensu domini feudi directi. Ast improprie alienare et subinfeudare illud potest sine eius consensu. Prius patet per §. 1028. Quoad posterius, deficiens domini feudi directi interesse efficit consensum eius non esse necessarium.

§. 1032.

Si adsunt simultanee inuestiti et successores feudales vi inuestiturae primi acquirentis tales, ad validitatem alienationis propriae, refutationis et mortis causa de feudo dispositionis, non sufficit domini feudi directi consensus: sed potius ad eum effectum, vt hae dispositiones irreuocabiliter subsistant, requiritur, si vasallus possessor est primus acquirens, simultanee inuestitorum, et, si non est primus acquirens, etiam successorum feudalium, vi inuestiturae primi acquirentis talium, consensus. Per §. 1029.

§. 1033.

Quod attinet *reliquarum personarum feudalium, praeter dominum feudi et vasallum possessorem*, iura et obligationes ratione dominii vtilis feudi, ex dictis (§ praec.) iam patet, quae sint *simultaneae inuestitorum* et *successorum feudalium vi inuestiturae primi acquirentis talium*, iura: vnde tantum quoad *exspectatiuarios* et *successores feudales vi dispositionis vasalli* notandum, *iis nullum aliud circa illud ius competere, quam quod existente successionis casu ad eam sint admittendi*, prout ex dictis §. . . . per se patet.

TIT. IV.
DE
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS CIRCA IPSAM REM INFEVDATAM.

§. 1034.

Ad huius generis iura et obligationes referri possunt quae versantur 1) *circa onera feudo imponenda*, veluti seruitutes feudo imponendas, oppignorationem eius etc.

§. 1035.

Si seruitutes feudo imponendae, pignus in feudo constituendum, et in genere iura in feudo constituenda, seu onera feudo imponenda, hoc ita, vt ius adsit

adſit perpetuum, et quemlibet, ad quem feudum venit, teneat obligatio et reſpondeat, fieri non poteſt a ſolo vaſallo poſſeſſore, ſed accedere debet, domini feudi directi, et ſimultanee inueſtitorum, conſenſus ſemper, vt et ſucceſſorum feudalium vi inueſtiturae primi acquirentis tum, ſi conſtituens non eſt primus acquirens. Exſpectatiuariorum et ſucceſſorum vi diſpoſitionis vaſalli conſenſus vero, nunquam neceſſarius eſt. Domini conſenſum adeſſe debere, inde eſt, quoniam vaſallus rem accepit a domino ſine his oneribus, ſicque tale onus in eius praeiudicium tendit. Simultanee inueſtitorum, et ſub primi acquirentis inueſtitura comprehenſorum conſenſus ideo requiritur, quoniam ſunt condomini (§. 1029.), quae ratio quoad exſpectatiuarios et ſucceſſores vi diſpoſitionis vaſalli ceſſat (§. 1033.). Cur vero ſucceſſorum ſub primi acquirentis inueſtitura comprehenſorum conſenſus, ad dictum caſum reſtringendus ſit, patet per §. 1029.

§. 1036.

Ad iura et obligationes feudales huius generis pertinent II) quae verſantur circa *debita feudalia*, quo nomine veniunt debita a vaſallo poſſeſſore ita contracta, vt ex feudo ſolui debeant, iisque opponuntur *debita allodialia*, quae talia non ſunt.

§. 1037.

Debitorum feudalium ſecundum ius naturae triplex datur fundamentum, nimirum 1) *debitum ex feudi acquiſitione eſſe ortum, velut* a) *aes alienum compa-*

rando feudo impenſum; b) *reſiduum pretii quo feudum fuit emtum*; 2) *debitum in feudum eſſe verſum*; 3) *feudum pro tali debito dicto* §. 1035. *modo eſſe oppignoratum, ita, vt, ad debita ſecundi et tertii generis ex feudo ſoluenda, quilibet feudi poſſeſſor obligatus ſit, aſt ad primi generis debiti ſolutionem non niſi vaſallus poſſeſſor, qui tanquam ſucceſſor vi inueſtiturae primi acquirentis illud acquiſiuit.* Ad 1) vid. §. 1014. Ad 2) §. 632. Ad 3) §. 597.

§. 1038.

Feudum ipſum etiam concernunt III) *iura et obligationes feudales ratione ſeparationis feudi ab allodio. Separatio feudi ab allodio* vero fieri dicitur, ſi tollitur allodiorum et feudorum, ex poſſeſſione ſimultanea vaſalli orta confuſio.

§. 1039.

Separatio feudi ab allodio itaque *toties locum habet, quoties vaſalli bona allodialia et feudalia ad diuerſas perſonas venire debent, et tum is, cuius ſunt feuda, omnia quae qualitatem feudalem non habent* (§. 966.), *ei, cuius ſunt allodia: vice verſa vero is, cuius ſunt allodia, ea, quae qualitatem feudalem habent, ei, cuius ſunt feuda, relinquere debet.*

§. 1040.

Tandem IV) huc pertinent iura et obligationes quoad ea quae, prout circa quamlibet rem (§. 123.), ita et circa feudum a ſe inuicem diſtingui poſſunt, nimirum iura et obligationes circa feudi *ſubſtantiam, vſum* et *poſſeſſionem.* Aſt, cum ex iis quae de iuribus et obligationibus feudalibus

ratione

ratione dominii directi et vtilis (§. 1022. seqq.), vt et de dominii directi et vtilis natura et indole in genere (§. 270.), dicta sunt, omnia hic dicenda sponte fluant, operae pretium non erit, conclusiones elicere, quae se sponte produnt; modo ratione possessionis notetur, aliam esse *possessionem rei feudalis*, aliam *quasi possessionem dominii feudi*, *vel vtilis*, *vel directi*.

SECTIO III.
DE
NEXVS FEVDALIS DISSOLVTIONE.

§. 1041.

Nexus feudalis dissolutio fieri dicitur, si personae in nexu feudali constitutae in eo esse desinunt. Vnde *dissolutio nexus feudalis fieri potest feudo ipso adhuc subsistente, prout etiam feudo finito eius dissolutio fit.*

§. 1042.

Nexum feudalem dissolui variis modis fieri potest, qui redeunt ad dissolutionem quae fit per *privationem iuris in poenam*, et quae *alio modo fit.*

TIT. I.
DE
DISSOLVTIONE NEXVS FEVDALIS PER PRIVATIONEM IVRIS IN POENAM.

§. 1043.

Felonia est violatio fidelitatis feudalis, quae cum mutua sit, datur felonia *domini* et felonia *vasalli*.

§. 1044.

§. 1044.

Felonia vasalli ab omnibus qui dominium vtile iam habent actu, committi potest, sicque *cadere potest tam in vasallum principalem seu possessorem, quam in eos qui sub inuestitura primi acquirentis comprehensi sunt et simultanee inuestitos.* Per §. 1043. et 985.

§. 1045.

Felonia a domino commissa deuoluitur feudum in vasallum. Felonia a vasallo commissa vero illud in dominum deuoluitur. Ast mortuo feloniae reo innocentes successores feudales feudum reuocare possunt. Per §. 1026. 1043. et feloniae definitionem.

§. 1046.

Quoties is qui in nexu feudali constitutus est, factum illicitum quidem committit, ast tale, quod non est felonia, priuatio dominii directi vel vtilis non habet locum. Tum enim non exiſtit conditio resolutiua quae nexui feudali inest.

TIT. II.
DE
NEXVS FEVDALIS DISSOLVTIONE QVAE FIT CITRA PRIVATIONEM IN POENAM.

§. 1047.

Nexus feudalis dissolutio citra priuationem in poenam vel *quoad omnes simul fit, qui in nexu feudali sunt*, vel quoad *hos seu illos in specie.*

§. 1048.

Nexum feudalem quoad omnes personas feudales simul dissolui, fit per 1) *totalem rei infeudatae*

nae interitum; 2) *occupationem feudi ita factam vt occupans illud tanquam suum allodium sibi attribuat*; 3) *praescriptionem feudalem extinctiuam* (§. 981.).

§. 1049.

Nexum feudalem non nisi quoad hanc vel illam personam feudalem dissolui, fit per *dominii directi domini feudi*; *dominii vtilis vasalli possessoris sub primi acquirentis inuestitura comprehensi* et *simultanee inuestiti*; et *iuris succedendi* ex exspectatiua feudali, vel vasalli dispositione, amissionem. Quomodo vero in omnibus his casibus amissio dictorum iurium fieri possit, ex iis, quae de iure amittendo §. 339. seqq. in genere dicta sunt, diiudicandum.

SECTIO. IV.

DE PERSECVTIONE IVRIVM FEVDALIVM.

§. 1050.

Persecutio iurium feudalium tam, quam etiam iurium quae feudi constitutionem concernunt, fit via facti, vel per retentionem retorsionemve, vel per bellum, et quae in genere de via facti dicta § 387. seqq. hic applicanda sunt.

ECCLESIASTICA.

GEORG. GOT. KREFFEL. *Elementa iurisprudentiae ecclesiasticae vniuersalis* Tom. I. Rost. 1728, Tom. II. ibid. 1729. 8.

§. 1051.

Iurisprudentiam naturalem theoreticam secularem, nunc quoad omnes suas partes absolutam, excipit iurisprudentia ecclesiastica (§. 491.) quae pro obiecto habet religionem §. 13. Vnde *generalia quaedam* de religione principia praemittenda, et ea occasione simul hominum officia religionem generatim concernentia recensenda, tumque ad *specialia* progrediendum.

PARS I.

GENERALIA DE RELIGIONE PRINCIPIA ET DE OFFICIIS HOMINVM RELIGIONEM CONCERNENTIBVS.

§. 1052.

Quae in hac parte generali praemittenda, redeunt ad doctrinam *de religione in genere*;

officiis erga Deum, et *officiis erga alios homines religionem concernentibus.*

TIT. I.

DE

RELIGIONE IN GENERE.

§. 1053.

Cultus diuinus, qui est complexus actionum per iudicium de Dei perfectionibus productarum, vel est *internus*, qui actionibus internis, vel *externus*, qui actionibus externis absoluitur.

§. 1054.

Religio est determinatus deum colendi modus, et omnia ea quae religionem quocunque modo concernunt *sacra* dicuntur, quibus opponuntur *secularia* seu *politica*. Haec sacra vero sunt vel *sacra interna*, vel *sacra externa*, prout vel mente tantum concipiuntur, vel per corporis motus sese exserunt.

§. 1055.

Quoad religionem a se inuicem distingui debent 1) ipsae propositiones de Deo eiusque voluntate, quas ii qui religionem quandam profitentur pro veris habent, quae dicuntur *dogmata religionis*; 2) actus ipsi qui cultum diuinum inuoluunt, qui dicuntur *actus sacri*, et vel *interni*, vel *externi* sunt; 3) assensus quem quis dogmatibus religionis praebet, qui dicitur *fides*; *quae singula ad sacra pertinent* (§. *praec.*).

§. 1056.

§. 1056.

Res conscientiae dicitur, quicquid concernit hominis fidem. Independentia hominis vero ab alterius arbitrio in rebus conscientiae, dicitur *libertas conscientiae.*

§. 1057.

Libertati conscientiae itaque *repugnat coactio vt quis dogmatibus religionis assensum praebeat, siue iis hactenus assensum praebuerit, siue non: vt et si quis cogitur ad agendum vel omittendum, quod agi vel omitti dogmatibus religionis suae repugnat. Est conscientiae libertati non repugnat, si quis obligatur ad hoc vel illud dogma religionis publice docendum.*

§. 1058.

Religionem seu sacra, coactionis, pactorum et imperii obiectum esse non posse, in genere dici nequit: sed potius hic distinguendum est inter sacra interna et externa, et ea quae res conscientiae sunt, vel non. Quoad sacra interna enim, et ea quae res conscientiae sunt, nec pacta, nec coactio, nec imperium locum habent, aut in reliquis omnino. De internis enim homines alii nesciunt quid alter agat vel minus agat, et res conscientiae pertinent ad actus intellectus, qui ab ipsius hominis cuius sunt arbitrio non dependent, sicque ad actiones liberas non pertinent (§. 71.). Ergo.

GERH. NOODT Or. *de religione ab imperio iure gentium libera.* Lugd. Bat 1076. 4. cuius etiam versiones, gallica, anglica et germanica exstant. Vid.

MEISTER *Bibliotheca iuris naturae et gentium* sub voce: religio p. 163.

§. 1059.

Quum ex religionis notione (§. 1054.) facile conſter, varias concipi poſſe religiones, prout modus Deum colendi vel hoc, vel alio modo determinatus, inde religio in genere vel *naturalis*, vel *reuelata* eſt, prout modus, vel ſecundum ſanae rationis principia, vel ſecundum diuinam reuelationem, determinatus. Aſt hic religionis diuerſitas non attendenda, ſed religio in genere ſupponitur, et quae ex huius entis natura et indole iura et obligationes hominum concipi poſſunt, euoluendae ſunt (§. 19.).

TIT. II.
DE
OFFICIIS ERGA DEVM.

§. 1060.

Officia hominum erga Deum (§. 170.) *exigunt vt homines eum colant per cultum, tam internum, quam externum.* Per principia theologiae naturalis et §.

NIC. KORTHOLT Diſſ. *de cultu dei externo, verum ſit iuris naturae et ex lumine naturae demonſtrari poſſit.* Gryph. 1700.

§. 1061.

Hominum erga deum officia exigunt ab iis vt, quod attinet cultum diuinum externum, non tantum quilibet homo ſolus externe Deum colat, ſed et vt plures homines coniunctim Deum externe colant. Quoniam hoc facit ad cultus diuini externi maiorem perfectionem. Ergo §. 189.

§. 1062.

Quum itaque ad cultum Dei internum faciant amor Dei, obedientia erga Deum, timor Dei filialis, et fiducia erga Deum (§. 1053): *officia erga Deum exigunt ab hominibus vt Deum ament, et obediant, timeant eum et fiduciam ſuam in eo collocent.*

§. 1063.

Nec minus, quum etiam ad cultum Dei externum faciant, reuerentia erga Deum, preces, hymni (§. 1053.): *ad reuerentiam Deo praeſtandam, orandum et canendum hymnos, homines ſunt obligati, vi officiorum quae debent Deo.*

§. 1064.

Idololatria eſt cultus diuinus exhibitus iis, qui Deus non ſunt, et *ſuperſtitio* ſunt actiones, per erroneas de Deo et prouidentia diuina, quoad ea quae hominibus bona, vel mala ſunt, opiniones determinatae. *Idololatria et ſuperſtitio* itaque *officiis hominum erga Deum contrariantur.*

TIT. III.
DE
OFFICIIS ERGA ALIOS HOMINES QVOAD RELIGIONEM.

BERNH. HENR. BORNBERG *Comm. philoſophica de officiis diuerſarum religionum erga ſe mutuis et naturalibus* Wism. 1748.

§. 1065.

Quum in genere officia hominum erga alios vel abſoluta, vel hypothetica ſint: et haec officia commode ad has claſſes reduci poſſint, de iisque hoc principium generale praemittendum. *Religio natura eſt rei merae facultatis, de qua alius homo arbitratu ſuo nihil nobis praeſcribere poteſt.* Vi libertatis naturalis quae a natura eſt, Per §.

§. 1066.

Secundum officia hominum erga alios abſoluta, non datur coactio 1) *ut homo qui nullam habet religionem amplectatur religionem;* 2) *in electa religione quis maneat;* 3) *et per omnia conſentiat;* 4) *principiis eius conuenienter viuat.* Per §. praec.

§. 1067.

Irreligioſus dicitur, qui nullam profitetur religionem. Qui vero religionem profitetur, dicitur, ſi dogmata eius ſunt falſa, *haereticus*, ſi vera, *orthodoxus*, in ſenſu nimirum theologico.

§. 1068.

Officia erga alios abſoluta (§. 516. *ſeqq.*) *explicata, etiam irreligioſis et haereticis praeſtanda ſunt, et inde, quod alius homo talis ſit, nulla oritur quoad haec officia differentia.* Irreligioſus et haereticus enim, licet talis ſit, homo tamen eſt, nec qua talis nos laedit.

§. 1069.

Hinc fluit; 1) *officia perfecta iis praeſtanda eſſe quae homo homini debet, quoad animam, corpus et ſtatum externum* (§. 521. ſeqq.), et per conſequens *irreligioſos et haereticos qua tales, nec ludibrio alioque opprobrii genere exponendos, nec infamiae nota commaculandos, immo nec contemnendos eſſe, vt reliquas laeſiones taceam.* 2) *Officia imperfecta non minus iis praeſtanda eſſe, quorſum quoad eos praeſertim pertinet, omnem dandam eſſe operam vt ad veram religionem manuducantur, aſt non armis* (§. 1057.), *ſed argumentis, religionem propagandam eſſe.*

§. 1070.

Qui religionem profitetur, ſiue ſit haereticus, ſiue orthodoxus, dicitur *pius*, ſi dogmatibus religionis conuenienter viuit, *impius*, ſi non. *Impietas* itaque *non eſt intellectus ſed voluntatis vitium.*

§. 1071.

Quae §. 1068. *et* 1069. *dicta ſunt valent etiam de impio, niſi quod eum contemnere liceat ſine iniuria.* Ex rationis indentitate. Quoad exceptionem vero vid. §. *prace. et* §.

§. 1072.

Bellum religionis dicitur quod religionis cauſa geritur. *Quod* itaque *ſi geritur propagandae religionis cauſa, eſt illicitum, ſi vero geritur defendae religionis cauſa, licitum eſt.* Quoad prius vid. §. 1057. Poſterius vero inde eſt, quoniam defenſio ſemper eſt licita.

§. 1073.

Quae de officiis abſolutis hominum erga alios, qui ſunt irreligioſi et haeretici dicta ſunt (§. 1065.), *valent*

valent etiam quoad officia hypothetica §. 531. *seqq. explicata.* Ex rationis indentitate.

§. 1074.

Hinc fluit e. g. *quae in haereticorum et irreligiosorum dominio sunt, iis ideo non esse eripienda quod tales sint; pacta cum iis inire non esse illicitum itaque fidem datam esse seruandam; si laeduntur omnia locum habere quae de laesionibus supra* §. 884. *seqq. dicta sunt.*

§. 1075.

Et hic de pactis et laesionibus religionem concernentibus notandum, *officia hominum erga alios hypothetica oriri posse ex pactis circa religionem initis, catenus, quatenus circa religionem, secundum* §. 1058. *pacisci possint homines:* nec non *dari laesiones aliorum religionem concernentes*, quales sunt e. g: facta libertati conscientiae aliorum hominum contraria; turbatio sacrorum externorum aliorum hominum; iniuriae varii generis quae alterius religionem concernunt.

§. 1076.

Caeterum quod attinet in specie officia parentum erga liberos quoad religionem, *religio liberorum, qui ad annos discretionis nondum peruenerunt, dependet a parentibus, qui obligati sunt ad educandum liberos in ea religione cui ipsi addicti sunt. Si vero parentes sunt diuersae religionis, nec patris, nec matris religio simpliciter praeferenda, sed potius tum per conclusum societatis paternae in respectu ad parentes definiendum, in qua religione liberi sint edu-*

educandi, nisi hoc per pacta nuptialia iam determinatum sit. Per §. 798. 793.

PARS II.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS HOMINVM IN ECCLESIA VIVENTIVM CIRCA RELIGIONEM IN SPECIE.

§. 1077.

Absoluta parte generali iurisprudentiae theoreticae ecclesiasticae, sequitur pars specialis, quae praesupponit religionis causa homines in ecclesia consociatos viuere. Hic vero iterum tractatio generalis et specialis a se inuicem distingui debent.

LIBER I.

TRACTATIO GENERALIS DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS HOMINVM IN ECCLESIA VIVENTIVM.

§. 1078.

Haec tractatio generalis reduci potest ad doctrinas de *ecclesia in se spectata in genere; variis ecclesiarum speciebus; earum ortu et interitu, membris et modis quibus haec talia fiunt et esse desinunt:*

SECTIO. I.

DE

ECCLESIA IN SE SPECTATA IN GENERE.

§. 1079.

In hac sectione quae de societatibus in se spectatis, in genere §. 404. seqq. dicta sunt, ad ecclesiam applicanda et figillatim expendenda sunt.

TIT. I.

DE

DEFINITIONE ECCLESIAE EIVSQVE CONSTITVTIVIS.

§. 1080.

Ecclesia est societas cuius finis est idem cultus divinus externus, suntque eius constitutiua 1) *plures homines qui eandem religionem profitentur*; 2) *finis communis qui est idem cultus diuinus externus*; 3) *consociatio ad hunc finem obtinendum*. Per §. 406. et definitionem ecclesiae.

§. 1081.

Quod speciatim attinet primum ecclesiae *constitutiuum*, *ii qui vnam ecclesiam constituunt sunt persona moralis*, et singula indiuidua eam constituentia *membra ecclesiae* dicuntur. Reliqui homines vero, in relatione ad illam ecclesiam, ad quam non pertinent, *extranei* quoad eam dicuntur; quales sunt irreligiosi et haeretici (§. 1067.).

§. 1082.

§. 1082.

Quae de officiis hominum erga alios quoad religionem in genere dicta sunt §. 1065. seqq. valent etiam de officiis personae huius moralis, nimirum ecclesiae, quoad eos. Per §. praec.

§. 1083.

Quoad secundum ecclesiae constituiuum notandum, non impeditum progressum ad finem ecclesiae dici *salutem ecclesiae*; et ipsum finem quatenus obtinetur *bonum commune ecclesiae*.

§. 1084.

Quum itaque finis ecclesiae sit idem cultus divinus externus (§. 1080.), *ad salutem et bonum commune ecclesiae requiritur, ecclesiam non turbari in singulorum actuum religiosorum exercitio, omniaque ordine et decenter fieri.*

§. 1085.

Tandem quoad tertium substantiale ecclesiae notandum, *quod, licet natura homines obliget ut plures coniunctim Deum externe colant* (§. 1061.), *ipsa ecclesia ideo non sit societas a natura constituta, sed societas voluntate constituta, et quidem talis quae sibi ipsi originem debet, quaeque ob religionis naturam* (§. 1058.) *a tertio constitui nequit.*

TIT. II.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS NEC NON POSSESSIONE ECCLESIAE.

§. 1086.

Quae de iuribus et obligationibus, nec non possessione societatum §. 410. seqq. in genere dicta

dicta sunt, valent etiam de ecclesia. Hinc et hic, quod praesertim attinet iura in relatione ad ecclesiam considerata, ea vel sunt *iura ecclesiae*, vel *iura singulorum*, et iura ecclesiae, vel iura *ecclesiae socialia*, seu *iura originaria*, vel iura ecclesiae *non socialia* seu *contracta*.

§. 1087.

Cum ad iura societarum socialia pertineat imperium societatis (§. 418.), datur etiam imperium huius societatis, quod speciatim *imperium ecclesiasticum* dicendum, *de eoque valent, quae de imperio societatis in genere dicta sunt* §. 418. seqq.

TIT. III.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA ET REGIMINE ECCLESIASTICO, NEC NON VERBI DIVINI MINISTERIO.

§. 1088.

Prout in genere potestas societatis est iurium societatis complexus, eiusque pars praecipua est imperium societatis, nec non potestatis exercitium regimen societatis dicitur (§. 423.): ita et in applicatione ad ecclesiam complexus iurium ecclesiae *potestas ecclesiastica* dicitur, cuius praecipua pars est imperium ecclesiasticum, et exercitium potestatis ecclesiasticae *regimen ecclesiasticum*, appellatur.

§. 1089.

A regimine ecclesiastico differt *ministerium verbi divini*, quod est exercitium actuum sacrorum

rum ecclesiae, in vtilitatem ecclesiae membrorum certis ecclesiae membris priuatim commissum, sicque et *singulae ministerii verbi diuini partes, a singulis potestatis ecclesiasticae partibus, quam maxime differunt*.

§. 1090.

Licet posita ecclesia ponatur potestas ecclesiastica, dici tamen nequit, posita ecclesia poni ministerium verbi diuini: sed potius illud liberae ecclesiae constitutioni originem debet, estque pars politiae ecclesiae adesse ministerium verbi diuini. Ad 1) quoniam potestas ecclesiastica est complexus iurium ecclesiae collegialium (§. 1088.) quae cum ecclesia statim adsunt (§. 1086. 415.). Ad 2) quoniam ex natura et essentia ecclesiae demonstrari nequit, ministerium verbi diuini necessario adesse debere (§. 1089.), et per definitionem politiae societatis in genere (§. 408.) ad ecclesiam applicatae.

§. 1091.

Vocatio ad ministerium verbi diuini, non inuolvit translationem potestatis ecclesiasticae, sicque *regimen ecclesiasticum non necessario penes eos est, qui ministerium verbi diuini peragunt, licet non inuolvat contradictionem penes eadem membra ecclesiae vtrumque esse.* Per §. 1088. 1089.

TIT. IV.

DE DIRECTORIO ET OFFICIIS ECCLESIAE IN GENERE.

§. 1092.

Ex iis quae de directorio societatum, earumque officiis in genere dicta sunt (§. 424. seqq.)

per se patet quid sit *directorium ecclesiasticum* et *officium ecclesiasticum*. Si vero ecclesia talis est *quae ministerio ecclesiastico instructa*, in ecclesia sub hac politia consideranda, praeter talia *officia ecclesiastica quae in qualibet societate concipi possunt*, et officia ecclesiastica *vulgaria* dici possunt, dantur adhuc *ministerium verbi divini concernentia officia ecclesiastica*.

§. 1093.

Officia ecclesiastica quae verbi divini ministerium concernunt, dicuntur *officia ecclesiastica proprie sic dicta*; suntque *sacra officia*, si consistunt in peragendo ipso ministerio verbi divini, vel *non sacra*, si consistunt in adsistendo iis, qui ipsum ministerium verbi divini peragunt, in functionibus ministerium verbi divini concernentibus.

SECTIO II.
DE VARIIS ECCLESIARVM SPECIEBVS.

§. 1094.

De ecclesiarum speciebus, quae ex earum natura et essentia concipi possunt, hic tam *in genere*, quam in specie de ecclesiis quae sunt societates *aequales*, et talibus quae *inaequales societates* sunt, agendum.

TIT. I.
DE VARIIS ECCLESIARVM SPECIEBVS IN GENERE.

§. 1095.

Ecclesiae differunt I) in eo quod sint vel *ministerio verbi divini instructae ecclesiae*, vel *non*, quae diffe-

differentia ex dictis de ministerio verbi divini (§. 1089.) per se clara.

§. 1096.

Ecclesias II) pro *religionis diversitate* differre, indeque tot earum dari species, quod sunt diversae religiones, itidem per se patet.

§. 1097.

Sequitur III) ecclesiae divisio in *simplicem*, cuius membra sunt singula individua, et *compositam*, cuius membra sunt ecclesiae simplices. Quodsi nunc ponis, ecclesiam compositam constituentes ecclesias simplices, propter curam animarum meliorem ortas esse, easque continere membra ecclesiae quae certum districtum inhabitant, inde oriuntur *parochiae* seu *paroeciae*, et singula membra harum ecclesiarum simplicium *parochiani* seu *paroeciani* dicuntur.

§. 1098.

Quod attinet IV) divisionem ecclesiarum in tales, quae sunt *societates aequales*, et tales, quae *inaequales societates* sunt, de ea nunc ex instituto agendum.

TIT. II.
DE ECCLESIIS QVAE SVNT SOCIETATES AEQVALES.

§. 1099.

Quae de societatibus aequalibus (§. 442. seqq.) et collegiis (§. 469. seqq.) dicta sunt, ad tales ecclesias quae sunt aequales societates applicanda,

da, indeque hic non nisi ea annotanda, quae in applicatione ad ecclesiam notatu digna.

§. 1100.

Huc pertinet ecclesias, quae sunt aequales societates, vel esse *ecclesias cum potestate ecclesiastica*, vel *sine potestate ecclesiastica* (§. 442.), et priores vel *presbyterio instructas esse*, vel *non*. Dicitur vero *presbyterium*, collegium membrorum ecclesiae ad iura eius collegialia exercendum constitutum, indeque *presbyterium collegium repraesentatitium est* (§. 470.).

§. 1101.

Quoad conuentus harum ecclesiarum porro notandum, eos, si sunt repraesentatii conuentus (§. 474.), dici *concilia* seu *synodos*, et praeterea de conuentibus harum ecclesiarum, nec non votis et conclusis earum, simpliciter valere quae §. 446. seqq. dicta sunt.

TIT. III.

DE

ECCLESIIS QVAE SVNT SOCIETATES INAEQVALES.

§. 1102.

Ecclesiam esse societatem inaequalem, et quidem, vel perfecte, vel imperfecte inaequalem, et priorem vel limitatam, vel illimitatam esse, naturae et essentiae ecclesiae non repugnat. Per eam enim non determinatur, potestatem ecclesiasticam penes omnia ecclesiae membra simul sumta manere debere, prout

prout apud eam ab origine est. Hinc potest vni vel pluribus membris competere, tumque ecclesia est inaequalis societas (§. 436.). Reliqua patent per §. 465.

§. 1103.

Si ecclesia est inaequalis ecclesia, de ea valent quae de societatibus inaequalibus in genere §. 465. seqq. dicta, nec hic in applicatione ad ecclesiam singularia notatu digna obueniunt.

SECTIO III.

DE ECCLESIARVM ORTV ET INTERITV, MEMBRIS EARVM, MODISQVE QVIBVS TALIA FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 1104.

Supereſt tertium caput huius tractationis generalis, (§. 1078.), quod quoad singula momenta, ad quae redit, explicandum.

TIT. I.

DE ECCLESIARVM ORTV ET INTERITV.

§. 1105.

Ecclesiarum ortum quod attinet, *non nisi per voluntatem eorum qui eandem religionem profitentur ecclesia oriri potest, sicque omnes ecclesiae sunt societates quae sibi ipsis originem debent.* Per §. 1085.

§. 1106.

Interitus ecclesiae quidem ex principiis **de interitu** societatum in genere (§. 479.) aestimandus; ast si, quae ibi dicta sunt, ad ecclesiam applicantur, facile patet *potissimum ecclesiae dissolutionem fieri per dissensum, dum nimirum, aut ob religionem mutatam ecclesia dissolvitur, aut, si etiam religionis mutatio non sit, consociatio tamen quae hactenus adfuit dissolvitur.*

TIT. II.

DE MEMBRIS ECCLESIARVM.

§. 1107.

Prout membra societatum in genere, vel *vulgaria*, vel *non vulgaria* membra sunt (§. 480.): ita et ecclesiarum membra in eodem significatu vel *vulgaria*, vel *non vulgaria* membra sunt.

§. 1108.

Non vulgaria ecclesiarum membra sunt, quoad ecclesias quae aequales societates sunt, in genere *directior*, vel *directores* et *officiales ecclesiae vulgares*, qui nimirum officia ecclesiastica vulgaria ecclesiae praestant. His accedunt, si talis ecclesia ministerio verbi diuini instructa, *ministri verbi diuini* et *auxiliatores eorum*, prout officium ecclesiasticum proprie sic dictum quod gerunt, vel sacrum officium est, vel non; et si presbyterio instructa est, *presbyteri*.

§. 1109.

Quoad ecclesias quae sunt inaequales societates, membra non vulgaria sunt *rector* seu *imperans ecclesiae*,

ecclesiae, nimirum id membrum seu ea membra, penes quod, vel quae, est potestas ecclesiastica; *officiales ecclesiae vulgares*, penes quae est officium ecclesiasticum vulgare, quibus et hic accedunt, si talis ecclesia ministerio verbi diuini instructa, *verbi diuini ministri* et *auxiliatores eorum*.

§. 1110.

Quod in specie attinet verbi diuini ministros qui et *clerici*, *doctores ecclesiae*, appellari solent, ii vel *parochi* sunt, vel *non*, prout vel in parochia (§. 1097.) ministerium verbi diuini peragunt, vel non.

TIT. III.

DE MODIS QVIBVS MEMBRA ECCLESIARVM TALIA FIVNT.

§. 1111.

Prout membra societatis talia fiunt in genere vel *originarie*, vel per *receptionem* (§. 483.): ita et membra ecclesiae his modis talia fiunt.

§. 1112.

Quae praeterea de iure recipiendi noua membra societatis (§. 484.), receptorum iuribus et obligationibus in genere (§. 485.), et qualitatibus recipiendorum (§. 486.) dicta sunt, valent etiam de membrorum ecclesiae receptione, nisi quod *quoad qualitates recipiendorum specialius determinari possit, recipiendum eam religionem libere profiteri debere cui ecclesia addicta, vel saltem a parentibus ei ecclesiae, in qua recipiendus est is, de cuius recep-*

tione quaeritur, addictis, natum esse debere. Per §. 1058. et 1076.

§. 1113.

Quoad *membra ecclesiarum non vulgaria* speciatim notandum, imperantium, directorum et officialium ecclesiae vulgarium constitutionem, prout in genere ad iura socialia (§. 487.) societatum pertinet, ita et ad ecclesiae iura collegialia pertinere, hincque ab iis fieri qui habent potestatem ecclesiasticam, dum pro talibus declarantur. Id quod etiam valet de iis qui *officia ecclesiastica in specie sic dicta in ecclesia subeunt*, ita vt, nec quoad *ipsos ministros verbi diuini* requiratur praecedere destinationem ad ministerium verbi diuini, quae *ordinatio* dicitur, sieque *ea iuris naturalis non est.* Nec ex horum numerum ecclesiasticorum natura et essentia enim demonstrari potest ordinationem accedere debere. Ergo §. 19.

TIT. IV.

DE MODIS QVIBVS MEMBRA ECCCLESIARVM TALIA ESSE DESINVNT.

§. 1114.

Membra ecclesiae in genere talia esse desinunt ita, prout in genere membra societatum talia esse desinunt (§. 488. 489. 490.), et speciatim 1) *recedendo ab ecclesia* hoc toties fit licite, quoties membrum ecclesiae religionem mutat (§. 489. num 2.); 2) exclusio membri ecclesiae dicitur

tur speciali nomine *excommunicatio maior*, cum *excommunicatio minor* sit tantum iurium membro ecclesiae competentium priuatio, saluo ipso statu ecclesiastico.

§. 1115.

Non vulgaria ecclesiae membra talia esse desinunt, si qualitatem eam, per quam a reliquis se distinguunt, amittunt, quod fit, vel per *abdicationem* seu *resignationem*, a parte eius qui amittit, vel per *dimissionem* seu *depositionem*, a parte ecclesiae.

LIBER II.

TRACTATIO SPECIALIS DE IVRIBVS ET ORLIGATIONIBVS HOMINVM IN ECCLESIA VIVENTIVM.

§. 1116.

In speciali tractatione de iuribus et obligationibus hominum in ecclesia viuentium, de diuersis obiectis iurium et obligationum huius generis, nimirum *cultu diuino; rebus ecclesiasticis; officiis et beneficiis ecclesiasticis* et *laesionibus ecclesiasticis* sigillatim agendum.

SECTIO I.

DE CVLTV DIVINO.

§. 1117.

Cultus diuinus supra §. 1053. definitus, differt quidem ab ipsis dogmatibus religionis seu doctrinis

finis ecclesiae, cum cultus diuinus agenda, dogmata religionis vero credenda, concernat: ast tamen secundum dogmata religionis cultus diuinus est determinandus, indeque hic simul definiendum quid circa religionis dogmata in ecclesia iustum sit.

§. 1118.

Quod vero attinet ipsum cultum diuinum et quidem externum (§. 1053.), determinatus modus eum in coetu celebrandi, dicitur *liturgia*, quae itaque tam *actus sacros ipsos*, quam *modum determinatum in eorum exercitio obseruandum*, sub se comprehendit.

§. 1119.

Circa liturgiam a se inuicem distingui possunt essentialia et accidentalia liturgiae. Accidentalia liturgiae vero dicuntur vno nomine *adiaphora*.

§. 1120.

Ius liturgicum est ius determinandi liturgiam, indeque *non omne ius quod liturgiam concernit est ius liturgicum, et magna est inter ius liturgicum et ius circa liturgiam, differentia.*

§. 1121.

Ius liturgicum est pars potestatis ecclesiasticae, sicque regiminis ecclesiastici, non ministerii verbi diuini, pars est. Per §. 1088. 1089.

§. 1122.

His generatim de cultu diuino praemissis, sigillatim de eo quod iustum est circa *dogmata religionis; ipsos sacros actus*, et *dies atque comentus religiosos* agendum.

TIT.

TIT. I.

DE DOGMATIBVS RELIGIONIS

§. 1123.

Formula fidei est complexus dogmatum religionis qua ecclesia vera esse profitetur, et ius determinandi quae dogmata ecclesia vera esse profiteatur, dicitur *ius concinnandi formulam fidei.*

§. 1124.

Ius concinnandi formulam fidei est pars potestatis ecclesiasticae, sicque pertinet eius exercitium ad regimen ecclesiasticum. Per §. 1088.

§. 1125.

Si ecclesia formulam fidei concinnauit, singula eius membra, et praesertim verbi diuini ministri, cogi quidem nequeunt vt pro veris habeant, in formula fidei contenta dogmata religionis: ast tamen 1) *nemo pro membro ecclesiae haberi potest, nisi is qui eam tanquam veram amplectitur*; 2) *ecclesia iure suo exigere potest a ministris verbi diuini, ne doceant quae ei contraria sint, ideoque ab iis qui adspirant ad officia sacra exigere, vt formulae fidei subscribant et vel iurata fide promittant, quod formulae fidei contrarium docere nolint.* Per §. 1057.

TIT. II.

DE IPSIS ACTIBVS SACRIS EXTERNIS.

§. 1126.

Quum hic certa religio non praesupponatur (§. 1059) et singuli actus sacri pro religionis diversi-

versisate non possint non differre (§. 1055.), actuum sacrorum recensio fieri, et quid pro earum diuersitate iustum sit definiri, nequit. Vnde in theoria generali de eo quod circa eos iustum subsistendum.

§. 1127.

Actuum sacrorum materia et forma dependent a determinatione ecclesiae, estque ius de ea disponendi pars potestatis ecclesiasticae et speciatim iuris liturgici. Per §. 1120.

§. 1128.

Hinc fluit *iis quae quoad actuum sacrorum materiam et formam per potestatem ecclesiasticam determinata sunt, nullum ecclesiae membrum aliquid addere vel detrahere posse.*

§. 1129.

Si ecclesia verbi diuini ministerio instructa est, ii actus sacri, qui ad ministerium verbi diuini relati, extra necessitatis casum ab aliis, quam verbi diuini ministris, in ea ecclesia, in qua actus peragendus, ad actus tales peragendos, constitutis, peragi nequeunt. Per §. 1089.

§. 1130.

Minister verbi diuini in actuum sacrorum expeditione stricte obseruare debet modum ab ecclesia praescriptum. In iis vero quae ab ecclesia determinata non sunt, actus naturam sequi debet. Est enim ecclesiae officialis (§. 1108.). Ergo.

TIT.

TIT. III.

DE

CONVENTIBVS ET DIEBVS SACRIS.

§. 1131.

Conuentus membrorum ecclesiae cultus diuini externi causa, dici possunt *sacri* seu *religiosi conventus*. Tempus his conuentibus destinatum vero sub *dierum sacrorum* seu *festorum* nomine venit.

§. 1132.

Conuentus sacri seu religiosi, tam stati, quam imperati, vi potestatis ecclesiasticae, speciatim iuris liturgici, definiri debent, a qua etiam dependet, quot, et quales actus sacri externi, in conuentibus religiosis peragendi sint. Idem valet de diebus sacris seu festis, ita vt nec sabbatum, quod est dies septima conuentui religioso stato destinata, *sit iuris naturalis.* Per §. 1120. Quod in specie sabbatum attinet, vi principii iuris naturae (§ 19.) patet sabbaticum cultum non esse iuris naturalis.

GOTTFR. BÖETTNERI Diss. I. et II. *an et quatenus sabbatum lege naturae praecipiatur.* Lips. 1711.

§. 1133.

Conuenticula sunt conuentus sacri nonnullorum ecclesiae membrorum, in loco conuentibus sacris ecclesiae non destinato, seu, quod idem est, conuentus religiosi priuati. *Priuata actuum sacrorum*

rum expeditio dicitur, quae fit extra locum conventibus religiosis publicis destinatum. *Licet* itaque *in conventiculis privata actuum religiosorum expeditio fiat, ideo tamen et citra conventicula fieri potest, veluti si patersamilias cum domesticis suis Deum externe colit.*

§. 1134

Quodlibet membrum ecclesiae obligatum est, vt in conventibus religiosis cum reliquis membris Deum colat. Quatenus itaque *conventicula, et actuum religiosorum privata expeditio, ita instituuntur, vt haec obligatio non negligatur, ecclesia permittere debet conventicula et privatam actum religiosorum expeditionem.* Ecclesiae quodlibet membrum obligatum esse ad Deum colendum in conventibus religiosis ecclesiae cum reliquis ecclesiae membris, ex §. 1112. et §. 485. deducendum est. Si itaque membra ecclesiae huic obligationi satisfaciunt, reliquus cultus diuinus externus ab eorum arbitrio dependet. Per §. 485.

SECTIO II.

DE REBVS ECCLESIASTICIS.

§. 1135.

Res ecclesiasticae seu *res ecclesiae* sunt tales res quarum dominium est penes ecclesiam, sicque facile per §. 532. et 585. patet, quae res sub *bonorum*

rum ecclesiae seu patrimonii ecclesiae et *aerarii ecclesiastici* nomine veniant. De his rebus itaque tam ipsis, quam earum acquisitione, amissione et administratione agendum.

TIT. I.

DE REBVS ECCLESIASTICIS IPSIS.

§. 1136.

Res ecclesiae nonsolum admittunt easdem diuisiones quas et aliae res admittunt: sed et speciatim haec earum notanda est differentia, quod sint vel tales quae immediate cultui diuino inserviunt, et ideo sub *rerum sacrarum* nomine veniunt, vel non, quae *res ecclesiae stricte sic dictae* sunt.

§. 1137.

Licet res sint ecclesiasticae, et in specie sacrae, in respectu ad dominium earum quod penes ecclesiam tanquam ius ecclesiae est, inter has res, et res cuiuscunque alius societatis, nulla est differentia. Exinde enim, quod res sit in dominio societatis quae est ecclesia, et quod in specie, si sacra est, cultui diuino immediato inseruiat, quoad dominium nulla concipi potest differentia. Ergo §. 19.

§. 1138.

Vt res sacra talis fiat, nihil aliud requiritur, quam eam ab ecclesia applicari ad vsum talem per quem cultui diuino immediate inseruit. Per §. 1036.

§. 1139.

§. 1139.

Quamdiu res sacra talis est, quae in cultu divino externo immediate adhibetur, ea vsui profano temere adhibenda non est. Talis vsus enim cultum diuinum externum facile turbare potest, sicque saltem melius est eum non admitti. Ergo §. 189.

§. 1140.

Quod attinet reliquas res ecclesiarum praeter sacras, de iis, si sunt beneficia ecclesiastica, infra agendum. Sunt praeterea hae res vel feuda vnde oriuntur *feuda ecclesiastica*, vel allodia, ad quae etiam pertinet *emphyteusis ecclesiastica*. Ast *nec quoad feuda ecclesiastica, nec quoad emphyteusin ecclesiasticam, singularia quaedam locum habent.*

TIT. II.

DE RERVM ECCLESIASTICARVM ACQVISITIONE, ADMINISTRATIONE AMISSIONE ET CONSERVATIONE.

§. 1141.

Quae in genere valent de iurium acquisitione, amissione et conseruatione, et tum locum habent, si de rerum ecclesiasticarum acquisitione, amissione et conseruatione sermo est, ita vt, nec quoad acquisitionem per successionem, si ecclesia heres instituta, seu ei aliquid legatum est, nec quoad alienationem rerum ecclesiasticarum, nec quoad praescriptionem acquisitiuam et acquisitiuo extinctiuam, singularia locum habeant.

habent. Ex natura bonorum ecclesiasticorum enim singularia, quae hic obtinent, deduci nequeunt. Ergo §. 19.

§. 1142.

Quoad administrationem rerum ecclesiasticarum, *tam ius administratores rerum ecclesiasticarum constituendi, quam rationum redditionem ab iis exigendi, ecclesiae ius est.* Per §. 1086. Ast caeterum nec hic dantur singularia, quae tantum de rerum ecclesiasticarum administratione valent.

SECTIO. III.

DE OFFICIIS ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

§. 1143.

Ab officiis ecclesiasticis supra (§. 1092. seqq.) definitis, et in suas species diuisis, differunt *beneficia ecclesiastica*, quae in sensu latiori sumta, sunt complexus emolumentorum, quae officiales ecclesiae stricte sic dicti (§. 1093.) pro officio suo percipiunt. Vnde in hoc sensu *tam ipsae substantiae ab ecclesia officialibus suis ad vtendum fruendumque concessae, quam reditus ecclesiae ex aliorum bonis iis assignati, et quicquid praeterea a singulis ecclesiae membris iis praestandum, ad beneficium pertinent.*

§. 1144.

Quae vero hic de officiis et beneficiis ecclesiasticis tradenda, ad doctrinas de eorum *fundatione, erectione, innouatione, prouisione, amissione et*

ne et iuribus atque obligationibus beneficiatorum, reduci possunt.

TIT. I.

DE

OFFICIORVM ET BENEFICIORVM ECCLESIASTICORVM ERECTIONE, FVNDATIONE ET INNOVATIONE.

§. 1145.

Officii vel *beneficii ecclesiastici erectio* sit, si quod non aderat, sine nunquam adfuit, sive suppressum hactenus fuit, existere incipit. *Fundatio* vero fit, si bona assignantur in illud erigendum, et *innouatio*, si aliquid fit, quo efficitur non manere tale, quale erat.

§. 1146.

Officii et beneficii fundatio a quolibet fieri potest: at erectio et innouatio dependent a potestate ecclesiastica. Per §. 1097.

§. 1147.

Fundatio beneficii tum, si ex ea oriuntur iura praecipua in ecclesia, operatur *ius patronatus*, quod est complexus iurium praecipuorum in ecclesia, quae ex fundatione oriuntur, *quod iuris naturalis non est*, cum ex natura et essentia fundationis non fluat talis effectus. Ergo §. 19.

TIT. II.

DE PROVISIONE OFFICIORVM ET BENEFICIORVM ECCLESIASTICORVM.

§. 1148.

Officii et beneficii *prouisio* fit, si locus officialis et beneficiati deficientis replentur. Vnde circa prouisionem officii et beneficii, tanquam actus diversi, concipi possunt 1) *personae promouendae designatio*; 2) *officii et beneficii concessio*; 3) *immissio in beneficii et officii possessionem.*

§. 1149.

Ius prouidendi est ius ecclesiae, sicque pars potestatis ecclesiasticae, et ad regimen ecclesiasticum pertinet prouisio beneficiorum et officiorum. Per §. 1092. *Qui itaque vel totam, vel partem prouisionis minimam, sibi competere asserit, probare debet acquisitionem.*

§. 1150.

In prouisione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum omnia eo redeunt, vt 1) *prouidendus qualitatibus, quas officii natura exigit, instructus sit*, et 2) *ipsi actus in prouisione obuenienter legitimo modo expediantur.*

TIT. III.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS OFFICIALIVM ET BENEFICIATORVM.

§. 1151.

Primaria omnium beneficiatorum et officialium ecclesiae obligatio est, quod *debeant in loco beneficii praesentes esse et singulas officii sui partes exacte implere.* Praetereaque ii officiales ecclesiae qui sunt *verbi divini ministri ad vitae honestatem sunt obligati*, quae in eo consistit, quod perfecte obligati sint ad omnia ea omittenda, quae in vivendi ratione ecclesiae membris scandalum praebere possunt. Per §. 1108.

§. 1152.

Quoad beneficium ipsum, quatenus consistit *in substantiis ecclesiae propriis, beneficiatus iis tanquam usufructuarius uti frui debet, salua ipsa harum rerum substantia.* Quatenus vero in ipsis substantiis non consistit, *sed in reditibus ecclesiae ex aliorum bonis beneficiato adsignatis, hos reditus percipit.* Per definitionem beneficii §. 1143.

§. 1153.

Honorarium officialium ecclesiae stricte sic dictorum dicitur, quod iis pro functionibus, in vicinitatem huius vel illius membri ecclesiae susceptis, soluitur

soluitur, et in sensu latiori pro beneficii parte habetur.

§. 1154.

Honoraria officialium ecclesiae stricte sic dictorum iis debentur iure perfecto. Inde enim, quod beneficium habeant ab ecclesia, nondum sequitur honorarium non deberi, et alia ratio illud denegandi allegari nequit.

§. 1155.

Quicquid beneficiatus per officium ecclesiasticum acquisiuit, dicitur *acquaestus ecclesiasticus, qui* itaque *est pars patrimonii sui, de quo inter vivos et mortis causa libere disponere potest.*

TIT. IV.

DE AMISSIONE OFFICIORVM ET BENEFICIORVM ECCLESIASTICORVM.

§. 1156.

Beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum amissio fit per mortem, ita, vt a mortis tempore cessent omnia emolumenta ex beneficio, et heredibus praeter deseruita nihil debeatur. Id quod ex officii et beneficii natura per se patet. (§. 1143.).

§. 1157.

Praeter mortem, beneficii et officii ecclesiastici amissio fit, per *dimissionem*, *translationem* et *remotionem*. *Dimissio* est renunciationis beneficii, a beneficiato factae, approbatio. *Translatio* fit, si

beneficiatus ad aliud beneficium, priori amisso, promouetur. *Remotio* seu *depositio* autem est privatio beneficii inuito beneficiato facta.

§. 1158.

Ius dimittendi, transferendi et remouendi officiales ecclesiae, est ius ecclesiae, sicque pars potestatis ecclesiasticae. Haec iura enim versantur circa officia ecclesiastica, ius de iis disponendi vero est ius ecclesiae. (§. 1092.).

SECTIO IV.

DE LAESIONIBVS ECCLESIASTICIS.

§. 1159.

Laesio dicitur *ecclesiastica*, si per eam laeditur ecclesia (§. 194).

§. 1160.

Laesiones ecclesiasticae vel extraneos, vel membra ecclesiae auctores habent. In priori casu ea, quae de laesionibus (§. 885. seqq.) dicta sunt, simpliciter locum habent. In posteriori casu vero distinguendum est inter *laesiones communes*, quae a quolibet ecclesiae membro inferri possunt, et *laesiones officialium ecclesiae proprias*, de quibus speciebus sigillatim agendum.

TIT.

TIT. I.

DE LAESIONIBVS ECCLESIASTICIS COMMVNIBVS.

§. 1161.

Ad laesiones ecclesiasticas membrorum ecclesiae communes, pertinent *impietas* et *haeresis, si haeretica dogmata publice proponuntur. Haeresis in mente retenta et apostasia vero non sunt laesiones ecclesiasticae.* Quoad facta prioris generis enim manifestum est per eas finem ecclesiae turbari, quod quoad posterioris generis facta ratione haereseos secus, et ratione apostasiae ea, propter conscientiae libertatem, cuilibet membro salua, pro laesione haberi nequit.

§. 1162.

Nec minus ad laesiones ecclesiasticas communes referri possunt, *rerum sacrarum profanatio* et *rerum ecclesiasticarum cuiuscunque generis furtum*, quae laesio sub *sacrilegii* nomine venit. Suum ecclesiae enim per sacrilegium violari, satis manifestum est. Ergo §. 1159.

§. 1163.

Laesiones ecclesiasticae communes, prout in genere laesiones, poenas operantur, et dicuntur poenae, quae vi potestatis ecclesiasticae statuuntur *poenae ecclesiasticae*. Si itaque *ecclesia laesa, ea, vi iuris puniendi quod omni potestati* (§ 422. 423.),

ſicque etiam eccleſiaſticae poteſtati, ineſt, punit laedentem mala quodam poteſtati eccleſiaſticae obnoxio, quorum extremum eſt excommunicatio maior. Per §. 1114.

IO. CHRIST. MEYER Comm. *qua ius excommunicandi eccleſiae vindicatur.* Goett. 1753.

TIT. II.
DE
LAESIONIBVS ECCLESIASTICIS OFFICIALIVM ECCLESIAE PROPRIIS.

§. 1164.

Ad huius generis laeſiones pertinent, partim laeſiones eccleſiae illatae per *illegitimam acquiſitionem* et *minus rectam adminiſtrationem officii eccleſiaſtici*, partim tales quae inde oriuntur, quod *clerici debitam vitae honeſtatem* (§. 1151.) non obſeruent.

IO. LVD. PAPEN *de ſimonia ne in foro eccleſiaſtico naturali quidem licita.* Helmſt. 1749.

§. 1165.

Et hae laeſiones inque operantur poenas eccleſiaſticas, quae, ſi tales ſunt, quod non niſi quoad huius generis membra eccleſiae locum habere poſſint, *poenae iis propriae* appellantur, quales ſunt *increpatio, ſuſpenſio,* et extrema eſt *remotio.*

PRACTI-

PRACTICA
NON LITIGIOSA.

§. 1166.

Absoluta iurisprudentia naturali stricte sic dicta theoretica vniuersa, nunc sequitur iurisprudentia practica, cuius prima pars est ea quam *non litigiosam* appello (§. 14), in qua omnia redeunt ad tractationem *generalem* et *specialem* de his negotiis.

PARS I.

TRACTATIO GENERALIS DE EXPEDITIONE NEGOTIORVM IVRIDICORVM NON LITIGIOSORVM.

§. 1167.

Generalia de expeditione negotiorum non litigiosorum hic praemittenda redeunt, ad 1) *personas per quas eorum expeditio fit*; 2) *modum proponendi quae proponenda sunt*; 3) *formam externam*

nam negotiorum non litigiosorum; 4) *congregationes negotii iuridici cuiusdam expediendi causa*.

TIT. I.

DE

PERSONIS PER QVAS NEGOTIORVM NON LITIGIOSORVM EXPEDITIO FIT.

§. 1168.

In expeditione negotiorum iudicorum non litigiosorum obuenientes personae, sunt vel *principales*, quorum est negotium quod expediendum, vel *minus principales*, quorum negotium non est quod expediendum. *Personae principales* pro ipsorum negotiorum diuersitate differunt, et diuersis distinguuntur nominibus, suntque tales e. g. *testator*, *paciscentes*. Ast *minus principales personae*, vel ideo adsunt vt nomine principalis absentis negotium expediant, quae dicuntur *Mandatarii*; vel ideo vt fidem faciant, quae *Testes* appellantur; vel ideo vt consiliis suis instruant principalem personam, quae sub *Adsistentium* nomine veniunt; vel ideo vt negotio cuidam conciliando inseruiant, sub *Proxenetarum* nomine venientes.

§. 1169.

Quod attinet primam personarum minus principalium speciem, nimirum *mandatarios*, de iis notandum 1) *a cuiuslibet arbitrio dependere an in propria persona negotium explicare velit, an vero per*

per mandatarium, nisi negotii natura et indoles postulet praecise illud in propria persona explicari; 2) *quemlibet mandatarium probare debere quod talis a principali sit constitutus, quod sit per declarationem a principali factam, quae vel ore nuncupatur, vel per scripturam fit.* Prius ex adiecta limitatione facile patet. Posterius inde fluit, quod aliter non constet de hac qualitate, de qua tamen, ne frustra agatur, constare debet.

§. 1170.

De secunda personarum accessoriarum specie, *testibus* nimirum, notandum, *eos non nisi tum necessario adhibendos esse, si negotium tale de quo aliter, quam per testium dicta, constare nequit, tumque tot et tales testes adhibendos esse, quot et quales fidem facere possunt.* Ratio enim cur testes adhibentur est vt faciant fidem. Ex hac ratione vero numerus et qualitas testium determinari nequeunt.

§. 1171.

Quoad tertiam et quartam personarum accessoriarum speciem, *adsistentes* nempe et *proxenetas*, *ab arbitrio personarum principalium dependet, an eorum opera vti velint, vel non, vt et quot eligere et quot eligere velint. Caeterum quid iustum sit inter principalem et adsistentem, ex iis quae de consilio* §. 207. *dicta sunt, et quid iustum sit inter personam principalem et proxenetam, ex dictis de commendatione* §. 207. et §. 767. *diiudicandum, quatenus proxeneta non simul mandatarius est* (§. 1168.).

TIT. II.

DE

MODO PROPONENDI IN NEGOTIIS NON LITIGIOSIS.

§. 1172.

Quae in negotiorum non litigiosorum expeditione proponenda sunt, vel *per verba ore prolata*, vel in *scriptis* proponuntur. *Secundum ius naturae vero a cuiuslibet arbitrio dependet, an, si in expeditione negotiorum non litigiosorum aliquid proponendum, hoc vel illo modo proponere velit quod proponendum est.* Siue enim hoc, siue illo modo aliquid proponatur, constat de eo quod proponitur. Ergo.

§. 1173.

Siue oretenus, siue per scripta proponantur proponenda in negotiorum non litigiosorum expeditione, ratione proponendi modi omnia redeunt ad 1) linguam qua vtendum, seu *idioma*; 2) certas et determinatas verborum conceptiones quibus proponenda proponi debent, seu *formulas*; 3) id ipsum quod proponendum, seu *materialia propositionis*. Speciatim vero, quod attinet proponendi modum in *scriptis*, circa eum praeterea respiciendum ad 4) *stylum*, seu verborum, materialia scripti exprimentium delectum, combinationem et dispositionem; 5) *datum*, seu tempus et locum quo scriptura est confecta; 6) *nominis subscriptionem* et *signandi appositionem*; 7) *complicationem et obsignationem.*

§. 1174.

Secundum ius naturae modus proponendi, siue oretenus, siue per scripturam, aliquid proponatur, non nisi eatenus determinatus est, quod omnia ita proponenda sint, vt 1) *materialia propositionis intelligant ii cum quibus nobis res est, et* 2) *ea non negligantur quae faciant ad fraudes praecauendum et ad probationem voluntatis proponentis.* Haec enim sunt, quae fluunt ex natura actus, quo aliquid proponitur. Vnde patet *ius naturae ignorare certum idioma et formulas, nec stylum secundum hoc ius esse attendendum, aut datum, subscriptionem et signaculi appositionem pro circumstantiarum diuersitate vel necessariam, vel minimum vtilem esse.*

TIT. III.

DE

FORMA NEGOTIORVM NON LITIGIOSORVM.

§. 1175.

Forma negotii dicitur complexus determinationum, quae ad eius existentiam vel validitatem requiruntur, et dicitur *externa*, si consistit in modo in expeditione negotiorum non litigiosorum obseruando.

§. 1176.

Ad formam externam negotiorum non litigiosorum itaque *pertinent; locus vbi; personae per quas; tempus quo; singulae actiones externae personarum per quas expeditio fit, omniaque alia quae in expeditione negotiorum non litigiosorum sunt determinata.*

§. 1177.

Pars formae externae negotiorum non litigioforum eſt *das Ceremoniel*, quod eſt ea pars formae externae actus non litigioſi, quae verſatur circa ea, quae perſonae expedientes negotia, ratione eorum quae influunt in honorem, obſeruare debent.

§. 1178.

Forma externa negotiorum non litigioſorum, vel talis eſt, quae ex actus natura fluit, vel talis, quae per voluntatem alicuius determinatur. Prior eſt forma *naturalis*, poſterior *poſitiua*.

§. 1179.

De forma externa naturali in genere notandum *quae ad eam pertinent abſque nullitate omitti non poſſe* (§. 1175.), *et eam nunquam ſub ſe comprehendere talia, quae pertinent ad vulgo ſic dictum ceremoniel.* Sunt enim homines natura aequales, nec talia ex natura et eſſentia rerum deduci poſſunt (§. 19.).

TIT. IV.

DE CONGREGATIONIBVS NEGOTIA IVRIDICA NON LITIGIOSA EXPEDIENDI CAVSA.

§. 1180.

Quum ſaepe negotia non litigioſa iuridica talia ſint, quae requirunt praeſentiam eorum a quibus expedienda ſunt, inde oriuntur *congregationes*

negotia non litigioſa expediendi cauſa, ſi eo fine in certo quodam loco conueniunt. Aſt quum, qui conueniunt, vel *membra ſocietatis cuiusdam eſſe poſſint*, vel *non*, hae congregationes, vel ſunt *conuentus ſocietatis* (§. 446.), vel *non*.

§. 1181.

Si congregatio eſt conuentus ſocietatis, membra ſocietatis, vel in propria perſona comparere, vel alium ex ſocietate mandatarium conſtituere debent, extraneus vero mandatarius eſſe nequit. Aſt, ſi congregatio conuentus ſocietatis non eſt, quilibet mandatarius eſſe poteſt, qui habilis eſt ad expediendum negotium cuius cauſa congregatio ſit. Prius ex definitione conuentus ſocietatis (§. 446.) patet. Cur vero, quod attinet poſterius, mandatarii non admittendi ſint, nulla allegari poteſt ratio.

§. 1182.

Si congregatio eſt conuentus ſocietatis, ea fieri debet in loco conſueto et praeuia indictione a directore facta, niſi conuentus ſint ſtati conuentus, tunque, facta a directore propoſitione, deliberandum et concluſum formandum ſecundum dicta §. ſeqq. Si vero congregatio non eſt conuentus ſocietatis, de loco et tempore conuenire debent, tunque praeuia mandatariorum legitimatione negotium ipſum, cuius expediendi cauſa congregatio inſtituta, peragendum, et per conſenſum eorum quorum intereſt ad finem perducendum. In priori caſu enim ſunt ſocii qui conueniunt, in poſteriori vero non.

PARS II.

DE TRACTATIO SPECIALIS DE SINGVLIS NEGOTIIS IVRIDICIS NON LITIGIOSIS.

§. 1183.

Absolutis iis, quae de expeditione negotiorum iuridicorum in genere praemittenda erant (§. .), ad doctrinam de singulis negotiis iuridicis non litigiosis me conuerto. Quum vero haec negotia eius indolis sint, vt certi generis iura et obligationes, vel non concernant, vel concernant, inde oritur eorum diuisio in *generalia* et *specialia*, secundum quam singula negotia nunc recensenda.

LIBER I.

DE NEGOTIIS IVRIDICIS NON LITIGIOSIS GENERALIBVS.

§. 1184.

Negotia iuridica non litigiosa generalia, commode ad has classes referri possunt, quod alia iurium et obligationum *acquisitionem*; alia *amissionem*; alia *probationem*; alia *conseruationem*; alia *modos corroborandi iura et obligationes* concernant. De singulis his negotiis itaque hic agendum, ita, vt quae referri possint ad singulas has classes negotia recensenda, de quorum expeditione hic generatim praemittendum: *omnia eo redire, vt, quatenus aliquid*

aliquid proponendum, singula, quae negotii indoles requirit, distincte proponantur, siue orerenus, siue interueniente scriptura, et *quoad reliquas negotii partes* fiat, quod fieri negotii natura et indoles requiris. Per §. 19.

TIT. I.

DE NEGOTIIS ACQVISITIONEM IVRIVM ET OBLIGATIONVM IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 1185.

Ad huius generis negotia referri possunt I) *apprehensio possessionis*; II) *immissio in possessionem* etc. et in eorum expeditione ea obseruanda sunt, quae §. praec. quoad omnia negotia non litigiosa obseruanda esse diximus.

TIT. II.

DE NEGOTIIS AMISSIONEM IVRIVM ET OBLIGATIONVM IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 1186.

Quae huc referri possunt negotia sunt I) *Renunciationes*; II) *Diuisiones*; III) *Nouationes*; IV) *Cessiones*; V) *Delegationes*; etc. Ast ex dictis §. 1184. rationibus nec hic ad specialia descendo.

TIT. III.
DE
NEGOTIIS PROBATIONEM IVRIVM ET OBLIGATIONVM IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 1187.

Negotia iuridica generalia quae probationem iurium et obligationem concernunt, sunt I) *Specificationum rerum certi generis confectio*; II) *Rationum reddito*; III) *Confessio factae expletionis obligationis*; IV) *Testimonii dictio* etc. quae exempli causa allegasse sufficit, cum et de singulis his negotiis repetenda quae §. 1184. dicta sunt.

TIT. IV.
DE
NEGOTIIS CONSERVATIONEM IVRIVM ET OBLIGATIONVM IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 1188.

Ad huius generis negotia pertinent *protestationis et reprotestationis interpositio*; *reservatio iuris competentis* etc. in eorumque expeditione applicanda quae §. 1184. generatim dicta sunt.

TIT. V.
DE NEGOTIIS QVAE MODOS CORROBORANDI IVRA ET OBLIGATIONES CONCERNVNT.

§. 1189.

Ad corroborandum iura et obligationes tendentia negotia sunt I) *pignorum constitutio*; II) *iuramenti promissorii praestatio*; III) *fide iussiones* etc. de quibus secundum dicta §. 1148. plura non addenda.

SECTIO II.
DE
NEGOTIIS NON LITIGIOSIS IVRIDICIS SPECIALIBVS.

§. 1190.

Specialia negotia iuridica non litigiosa in genere reduci possunt ad negotia *quae successionem, sive allodialem, sive feudalem, concernunt*, et quae *talia non sunt*.

MEMBRVM I.
DE
NEGOTIIS SVCCESSIONEM CONCERNENTIBVS

§. 1191.

Negotia successionem concernentia, vel talia sunt quae *futurae successionis determinationem concernunt*, vel talia sunt *quae, dum succeditur, obveniunt*.

TIT. I.
DE
NEGOTIIS SVCCESSIONIS FVTVRAE DETERMINATIONEM CONCERNENTIBVS.

§. 1192.

Negotia quae futurae successionis determinationem concernunt, sunt determinatio futurae

sionis, vel per *ultimam voluntatem*, siue sit *testamentum*, siue *codicillus*, vel per *pactum successorium* vel *per donationem mortis causa*. Quid vero hic vbique obseruandum ex rei natura vi principii generalis § 1184. facile determinari potest,

TIT. II.

DE

NEGOTIIS IN IPSA SVCCESSIONE OBVENIENTIBVS.

§. 1193.

Huius generis negotia sunt I) *apprehensio possessionis hereditatis*; II) *hereditatis aditio et diuisio* etc. de quibus vi principii generalis (§. 1184.) specialia addi operae pretium non est.

MEMBRVM II.

DE

NEGOTIIS NON LITIGIOSIS SVCCESSIONEM NON CONCERNENTIBVS.

§. 1194.

Negotia non litigiosa quae successionem non concernunt, reduci possunt ad duas classes, dum vel negotia talia sunt quae *ius rerum*, vel talia quae *ius personarum* concernunt.

TIT.

TIT. I.

DE

NEGOTIIS IVS RERVM CONCERNENTIBVS.

§. 1195.

Ius rerum concernentia negotia sunt I) *talia quae translationem dominii in alios, et iuris in re nostra constitutionem, concernunt*, veluti per donationem inter viuos; emtionem venditionem; permutationem; inuesituram feudalem.

§. 1196.

Porro huc pertinent II) *negotia administrationem patrimonii nostri concernentia*, veluti mutui datio; locatio conductio etc.

§. 1197.

Dantur et III) huius generis *negotia quae determinationem eius, quod nostrum est, concernunt*, veluti diuisio rerum communium, quae non sunt hereditas; separatio feudi ab allodio etc.

§. 1198.

Singula haec negotia quae huc referri possunt, ita expedienda, vt ea, quae generatim de expeditione negotiorum non litigiosorum dicta sunt (§. 1184.), obseruentur, et nec quoad huius generis negotia singulorum expeditionem figillatim recenseri necesse est.

TIT. II.

DE

NEGOTIIS IVS PERSONARVM CONCERNENTIBVS,

§. 1199.

Cum dentur varii hominum ſtatus, qui non praeſuppoſita republica concipi poſſunt, et varia dantur negotia iuridicaquae ius perſonarum, ſicque hos ſtatus, concernunt, veluti *manumiſſio*, *adoptio* etc. Aſt, quae in horum negotiorum expeditione ſecundum ius naturae obſeruanda, per applicationem principii generalis §. 1184. ſponte prodeunt, ſicque nec haec negotia ſpeciatim pertractari opus eſt.

LITIGIOSA.

§. 1200.

Iurisprudentia practica litigiosa, quae excipit non litigiosam (§. 1166), pro obiecto habet negotia iuridica litigiosa, quae vel ita finiuntur, *vt is qui affirmat se ius habere ad praestationem quandam, quam alter hoc neget, seu, quod idem est, qui aliquid praetendit ab altero, per vim ei illatam efficiat expletionem obligationis coacte fiert*, vel ita *vt lis componatur*, quod fit, si litigantes conueniunt inter se quo modo lis tollenda. Si prius, per *belligerationem*, si posterius, per *amicabilem compositionem*, lis finitur. Hinc de belligeratione et amicabili compositione hic agendum.

PARS

PARS I.

DE BELLIGERATIONE.

§. 1201.

Belligeratio est actus quo per bellum (§. .) eogimus alterum ad obligationis expletionem. Vbi omnia redeunt ad 1) *personas belligerantes;* 2) *singulos actus in belligeratione obuenientes* et 3) *ipsum belligerationis actum.*

TIT. I.

DE PERSONIS BELLIGERANTIBVS.

§. 1202.

Personae belligerantes dicuntur, quae in belligeratione certant inter se per vim, sumque vel *personae principales* seu *partes belligerantes*, vel *minus principales*. Partes belligerantes sunt *bellum inferent* et *per bellum cogendas*. Belligerantes minus principales sunt, qui vires suas coniungunt cum vno alteroue partium belligerantium, ad debellandum alterum.

§. 1203.

Personae belligerantes principales, seu partes belligerantes, sunt vel duae, vel plures personae. In posteriori casu, vel iden plures belligerantes adsunt, quoniam eadem belli causa pluribus communis est, tumque plures a qualibet parte dicuntur *belli consortes*, siue sint bellum inferentis

rentis consortes, siue per bellum cogendi consortes; vel ideo, quoniam belli exitus plurium quam duorum interesse concernit. In vltimo casu, aut hi plures simul belligerare incipiunt, aut demum, postquam duo bello iam impliciti, alii propter suum interesse se immiscent, qui tum dicuntur *intervenientes.*

§. 1204.

Respectu belligerantium reliqui homines, qui personae belligerantes non sunt, dicuntur *bello medii;* vt itaque *bello medii sint, qui neutri partium belligerantium adsistunt ad debellandum alteram partem.* Ipsa illa conditio hominis, quod sit bello medius, vero dicitur *neutralitas.*

§. 1205.

Neutralitas adest, licet non sit declarata, sed sufficit ad neutralitatem, quod cum neutro partium belligerantium vires nostras coniungamus ad opprimendum alterum partium belligerantium. Vi definitionis neutralitatis (§. *praec.*).

TIT. II.

DE SINGVLIS ACTIBVS IN BELLIGERATIONE OBVENIENTIBVS.

§. 1206.

Ad actus in belligeratione obuenientes pertinet 1) *belli indictio*, quae est actus quo is, qui postulat ab altero contradicente vt ei aliquid praestet,

ſtet, declarat, quod per bellum ius ſuum perſequi velit, eſtque vel *pura*, vel *conditionata*, prout vel nulla conditione adiecta, vel ſub conditione, ſi alter ſponte non praeſtat, quod praeſtari poſtulat bellum indicens, ſit.

§. 1207.

Conditionata belli indictio efficere poteſt, ſponte praeſtare alterum quod eum praeſtare poſtulamus. Inde enim metus oriri poteſt, ad hunc effectum producendum aptus.

§. 1208.

Quoties belligeratio ſit eo fine vt nos defendamus contra aggreſſorem, vel vt alter puniatur, belli indictio non habet locum. Tum enim ceſſat eius finis, qui, quis ſit, ex §. *prace.* per ſe patet.

§. 1209.

Actus in belligeratione obuenientes ſunt II) *hoſtilitates ipſae*, quae ſunt ipſa mala, quae belligerantium vnus infert alteri, et ſunt vel *licitae*, vel *illicitae* hoſtilitates (§. 169.).

§. 1210.

Licet variae hoſtilitatum ſpecies a ſe inuicem diuerſae, in belligeratione hominum extra rempublicam viuentium, praeſertim perſonarum moralium, veluti diuerſarum domuum, concipi poſſint, immo et hi armis et militibus adhibitis belligerare poſſint; operae pretium tamen non eſt, hic ſingulas hoſtilitatum ſpecies recenſeri, earumque moralitatem definiri. Vnde hac de re potius infra in iurisprudentia naturali ciuili ſpecialius agendum.

§. 1211.

Ad actus in belligeratione obuenientes referri poteſt III) *deditio*, quae eſt omiſſio reſiſtentiae hactenus a cogendo per bellum factae, fitque vel *expreſſe*, vel *tacite*, veluti per derelictionem obiecti litis.

§. 1212.

Huc IV) pertinet *victoria*, quae eſt virium ſuperioritas per hoſtilitates obtenta. Vnde per ſe fluit, *victoriam non dare nouum ius, ſed tantum efficere victorem, fractis hoſtis viribus, nunc conſequi poſſe quod debet ei victus.*

TIT. III.

DE IPSO BELLIGERATIONIS ACTV.

§. 1213.

Ipſe belligerationis actus diuerſo modo peragendus, prout bellum pro remedio perſequendi ius noſtrum ſumtum, vel *defenſiuum*, vel *offenſiuum*, hocque vel *punitiuum*, vel *non punitiuum* ſeu *offenſiuum in ſpecie ſic dictum, eſt* (§. 394.)

§. 1214.

Bellum defenſiuum *toties locum habet, quoties adſunt ea quae ſecundum* §. 287. *ad defenſionis iuſti-*

iustitiam in statu naturali requiruntur, nec potest bellum ab vna parte belligerantium defensiuum, ab altera offensiuum esse, sed potius omnia eo redeunt, quo sine is qui primus hostilitates exercet hoc faciat, indeque definiendum an bellum sit offensiuum, an vero defensiuum. Ipse belligerationis actus in bello defensiuo vero; I) *ab ipso hostilitatum exercitio, omissa belli declaratione* (§. 1208.), *initium sumit*; II) *quo facto hostilitates tamdiu continuandae sunt, donec per bellum cogendus in eum statum reductus, vt laesionem nunc intentatam in actum deducere nequeat, et quoad futurum sufficiens adest securitas.* Per ea quae de defensionis indole et natura dicta sunt (§. 287 seqq.) et belli defensiui definitionem (§. 394.).

§. 1215.

Bellum offensiuum punitiuum *toties locum habet, quoties adsunt ea quae iuxta §. 292. adesse debent, vt ius puniendi locum habere possit, et belligeratio, si bellum est huius generis,* I) *absque praeuia belli indictione* (§. 1208.) *ab hostilitatibus ipsis initium sumit*; II) *quo facto hostilitates tamdiu continuandae, donec tot mala passus est per bellum cogendus, quot ad laesionem futuram auertendum pro casuum diuersitate sufficiunt.* Vi theoriae de iure puniendi.

IO. GEORG. QVISTORP *de bello punitiuo secundum ius nat. haud illicito.* Rost. 1757.

§. 1216.

§. 1216.

Quod attinet bellum offensiuum non punitiuum seu in specie sic dictum, nihil quidem interest siue ius quod per bellum persequimur sit reale, siue personale: aſt multum interest an sit liquidum vel illiquidum, vt et, an sit perfectum, vel imperfectum. *Quoties enim ius nostrum* liquidum et perfectum *est, et adsunt reliqua requisita* § 395 *recensita, toties alter per hanc belligerationem offensiuam ad expletionem obligationis cogi potest. Si vero non nisi* ius imperfectum *adest, haec belligeratio non habet locum. Aſt, si ius est tale* quod, si liquidum esset, perfectum foret, dubium vero adhuc est, *tum, si alter media, quae dubiorum discussioni inseruiunt, adhibere detrectat, haec belligeratio locum habet.* Quoad primum et secundum vid. §. 395. Tertium vero inde patet, quoniam ius suum nemini auferendum, et, licet ius per hypothesin dubium sit, adesse tamen possit ius, hinc neque laedat nos, qui non promptus est ad adhibenda media discussioni dubiorum inseruientia.

§. 1217.

Quodsi itaque *per* bellum offensiuum *in specie sic dictum ius quod* certum *est persequimur*, in ipso belligerationis actu ita procedendum: 1) *ipsas hostilitates praecedere debet belli indictio conditiona-*

ta, nisi praepotentia alterius sit tanta, vt, bello praeuiso, ab eo ius nostrum vi obtineri impossibile sit. II) *Si tum per bellum cogendus, facta licet belli indictione, non praestare vult quod praestandum, ad ipsas hostilitates progrediendum. Quo facto, aut* resistit per bellum cogendus bellum inferenti, *aut* non. *Si non resistit* III) *bellum inferens, quando obligatio in* dando *consistit, rem debitam eripit per bellum cogendo, tumque belligeratio finita: quando vero in* faciendo *consistit, bellum inferens hostilitates tandiu continuat, donec per bellum cogendus facit, ad quod faciendum obligatus est. Si vero per bellum cogendus resistit* IV) *hostilitates continuantur, tumque aut per hostilitatum exercitium res eo redit,* vt deditio ex parte eius, qui per bellum cogendus, sequatur, siue ideo quoniam bellum inferens talem obtinuit victoriam, vt per bellum cogendus amplius resistere nequeat, siue ideo, quoniam non amplius vult resistere, licet non desint vires: *aut bellum inferens eo perducere nequit per bellum cogendum,* vt deditio ex parte eius sequatur. *In* priori *casu, idem iustum est post sequutam deditionem per bellum cogendi, quod iustum esse diximus in casu quo is ab initio non resistit. In* posteriori *casu, aut* vincit per bellum cogendus bellum inferentem, *aut* non. *Si* prius, *nec ius suum quod per bellum persequi voluit bellum inferens, amittit ideo quod victus sit, nec victori licet victum cogere ad praestationem quandam; sed potius tum, et si* posterius *obtinet, manent*

manent omnia in statu quo, donec pax sequatur. Quae de belli indictione dicta sunt, patent quoad regulam per §. 1207. et principium, vi cuius remedia leniora durioribus praeferenda; quoad exceptionem per §. 206. num. II. Ratione casus sequutae deditionis dicta inde fluunt; quod bellum vindicatiuum geratur ideo, vt bellum inferens obtineat quod suum est, vel sibi debetur. Quoad victoriam vid. §. 1212.

§. 1218.

Si per bellum offensiuum in specie sic dictum ius persequimur quod dubium est, *ad obtinendum ius quod dubium est hostilitates tendere non debent, sed potius eo, vt alter cogatur ad conferendum, quod conferre potest, ad dubiorum discussionem e. g.* ad documentorum editionem. *Quodsi itaque eo per hostilitates perductus, aut* patet a cuius parte stet veritas, *aut* non. *Si* prius, *omnia ea locum habent quae de belligeratione in casu §. praec. dicta sunt. Si* posterius, *hostilitates tandiu continuandae sunt, donec per bellum cogendus modum quendam litem amicabiliter componendi eligit.* Quamdiu enim ius dubium est nobis nihil debetur, et si constat a cuius parte stet veritas, idem est ac si ab initio certum fuisset ius. Si vero certum fieri nequit ius, nullum aliud superest medium emergendi quam amicabilis compositio, indeque ius ad hoc medium adest a parte bellum inferentis (§. 231.).

PARS II.

DE

AMICABILI COMPOSITIONE.

§. 1219.

Doctrina de belligeratione absoluta, sequuntur ea quae de *amicabili compositione*, tanquam altero modo finiendi lites in statu naturali (§. 1200.), monenda superfunt. Possunt vero amicabilis compositionis duo concipi casus, quorum alter is est, quo belligerantes, qui hactenus bello impliciti fuerunt, litem amicabiliter componunt, quo casu amicabilis compositio *pax* seu *pactio pacis* dicitur: alter vero is, quo nulla praevia belligeratione lis componitur, in quo *amicabilis compositio in specie sic dicta* appellatur. De vtraque specie amicabilis compositionis itaque quaedam addenda sunt, praemissis iis, quae de amicabili compositione in genere valent.

§. 1220.

Mediator dicitur, qui bona sua officia interponit, vt per amicabilem compositionem lis componatur. *Arbiter* vero dicitur, qui ab iis, inter quos est lis, electus est, vt litem decidat. *Litem* vero *decidere* dicitur, qui determinat cui competat ius quod hactenus controuersum fuit. Vnde *differunt inter se, litem componi* (§. 1200.) *et eam decidi*

decidi. Prius tentatur a mediatore, posterius sit ab arbitro.

§. 1221.

Mediator vel ab iis inter quos lis est eligitur, vel sponte mediationem suscipit, in vtroque casu tamen ab arbitrio eorum, inter quos lis est, dependet, an velint in eo quod ei videtur acquiescere, vel non. Vi def. mediatoris (§. praec.).

§. 1222.

Si arbiter electus arbitrium suscipit et pronunciat quid iustum sit, litigantes in sententia arbitri acquiescere tenentur, nisi manifestum sit arbitrum partialem esse. Vi pacti inter litigantes initi. Limitatio vero fluit ex §. 670.

§. 1223.

Si ii, inter quos est controuersia, sibi inuicem promittunt quod litis decisionem arbitro committere velint, hoc pactum dicitur *compromissum*. Si vero arbitro non electo, ipsi per conuentionem definiunt, quo iure imposterum vti velint, hoc pactum dicitur *transactio in genere*, quae tum in magis presso significatu transactio appellatur, si transigentes non gratis a lite discedunt, indeque *compromissum et transactio stricte sic dicta sunt pacta ex obligatoriis et liberatoriis mixta* (§. 641.).

§. 1224.

Amicabilis compositio nonsolum in eo differt, quod vel pactio pacis sit, vel amicabilis compositio in specie sic dicta (§. 1219.): sed et in eo, quod vel per *compromissum, subsequuta arbitri decisione litis, fiat*, vel per *transactionem lis componatur*. *Qui diuersi modi amicabiliter componendi litem* itaque *in eo quidem conueniunt, quod lis tollatur, ast in aliis differunt, praesertim in eo, quod, si lis tollitur praeuio compromisso per arbitrum, ex iuris principiis ad factum applicatis definiatur quid iustum sit, si vero per transactionem tollitur, non ex iuris principiis, sed simpliciter secundum transigentium arbitrium, definiatur, quo iure imposterum uti velint, indeque ibi decidatur, hic componatur, lis.* Per §. praec.

TIT. L
DE PACTIONE PACIS.

§. 1225.

Differunt inter se pax et pactio pacis, ita, vt *pax* sit ipse status in quo cum nemine belligeramus, *pactio pacis* vero amicabilis compositio litis belligerantium; licet pax etiam pro ipsa pacis pactione sumi solear.

§. 1226.

Pax pro statu sumta, vel adest absque praeuia pactione pacis, vel ex praeuia pacis pactione oritur. Nobis

Nobis enim cum nemine bellum est, tam in eo casu quo nunquam cum alio belligeraumus, aut bellum absque praeuia pactione pacis finitum, quam in eo casu quo bellum per pacem finitum.

§. 1227.

A pactione pacis differunt induciae, quae sunt pactum belligerantium inter se, quo hostilitatum omissio ad certum tempus promittitur. Inducils enim non inest amicabilis compositio litis ipsius. Ergo §. 1225.

§. 1228.

Pacem pangi duplici modo fieri potest, vel ita vt belligerantes arbitrum eligant cui litis decisionem committunt, vel ita vt ipsi per conuentionem definiant quo iure imposterum inter se vti velint. In priori casu pactio pacis sit intercueniente compromisso, in posteriori casu vero per transactionem. Vtrumque vel intercueniente mediatione fieri potest, vel ea non intercueniente. Per §. 1225.

§. 1229.

Si pactionis pacis causa congregatio sit, ea obtinent quae de congregatione negotii non litigiosi expediendi causa, quae non est conuentus societatis (§. 1181. 1182.), *dicta sunt. Sique pactio pacis in scripturam redigenda, valent quae de scriptis in expeditione negotiorum litigiosorum obuenientibus supra §. 1174. monuimus.* Inde enim quod negotium sit pactio pacis, quoad congregationem, quae in hoc casu semper est congregatio quae non est conuen-

tus societatis, et scripturam in quam redigenda, singularia hic obseruanda non fluunt.

TIT. II.

DE AMICABILI COMPOSITIONE IN SPECIE SIC DICTA.

§. 1230.

Amicabilis compositio in specie sic dicta, quae pacis pactioni contradistinguitur (§. 1219.), *non nisi in eo differt a pactione pacis, quod per pacis pactionem lis finiatur propter quam litigantes hactenus bellum gesserunt, per hanc amicabilem compositionem vero lis finiatur nulla praeuia belligeratione.* Vi definitionum pactionis pacis et amicabilis compositionis in specie sic dictae §. 1219. obuiarum.

§. 1231.

Quum itaque haec differentia in ea, quae §. 1228. *et* 1229. de pactione pacis dicta sunt, non influat, *quae ibi de pactione pacis dicta sunt, valent etiam de amicabili compositione in specie sic dicta.*

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS CIVILIS

THEORETICA

SECVLARIS ALLODIALIS

CIVILIS PVBLICA

PVBLICA IN SPECIE SIC DICTA.

VLRICVS HVBER *de iure ciuitatis*. 1692 et cum notis THOMASII Lipſ. 1708. 4. LYNCKERI Franc. et Lipſ. 1752. 4.

IVST. HENN. BOEHMERI *Ius publicum vniuerſale* Hal. 1709. et 1726. 8.

FRANC. SCHMIER *Iurispr. publica vniuerſalis*. Salig. 1722. Fol.

GOD. ERNST. FRITSCHII *Ius publicum vniuerſale* Ienae 1734. 8.

HERM. FRID. KAMMEL *Ius publicum vniuerſale*. Giſſae 1765. 8.

§. 1232.

Iurisprudentiam naturalem ſtricte ſic dictam nunc abſoluram, excipit iurisprudentia naturalis ciuilis (§. 492.), cuius pars *theoretica* practicae (§. 15.) praemittenda, et ex theoreticae iurisprudentiae naturalis ciuilis partibus, *ſecularis iurisprudentia* praemittenda eccleſiaſticae, *allodialis* feudali. et *ciuilis* criminali (§. 16.). Cum vero

ea pars, quae hic sub ciuilis iurisprudentiae nomine venit, abeat in iurisprudentiam publicam et priuatam (§. 16.), et publica, in publicam in specie sic dictam, et iuris gentium prudentiam seu ius gentium (§. 16.), nunc *iurisprudentia publica in specie sic dicta* explicanda.

§. 1233.

Iurisprudentia publica in specie sic dicta, quae inter partes iurisprudentiae naturalis ciuilis hic primum occupat locum, et vulgo sub *iuris publici vniuersalis* nomine venire solet, versatur circa iura et obligationes quae statum publicum internum, sicque iura et obligationes inter subditum et superiorem, concernunt (§. 16.). In hac parte iurisprudentiae naturalis ciuilis itaque *de iuribus et obligationibus circa statum publicum in genere*, et *singulis partibus potestatis ciuilis, iisque respondentibus obligationibus*, agendum.

PARS I.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS STATVM PVBLICVM CONCERNENTIBVS IN GENERE.

§. 1234.

Quae ad hanc tractationem generalem referri possunt doctrinae, redeunt ad haec tria summa capita, de *republica in se spectata in genere; variis*

variis rerumpublicarum speciebus, et *rerumpublicarum ortu atque interitu, membris earum, modisque quibus talia fiunt et esse desinunt.*

LIBER I.

DE REPVBLICA IN SE SPECTATA IN GENERE.

§. 1235.

In doctrina de republica in genere varia n se inuicem diuersa themata, et quidem sequentia, de *reipublicae in sensu politico genuino conceptu eiusque constitutiuis*, de *reipublicae in sensu geographico genuino conceptu*; de *potestate ciuili in genere*; de *subiectione ciuili in genere*; de *legibus fundamentalibus et comitiis rerumpublicarum*, a se inuicem seperanda et figillatim explicanda sunt.

TIT. I.

DE REIPVBLICAE IN SENSV POLITICO GENVINO CONCEPTV EIVSQVE CONSTITVTIVIS.

§. 1236.

Salus publica est plurium hominum simul sumtorum talis conditio, in qua fruuntur omnibus iis, quae faciunt ad eorum simul sumtorum perfectionem.

§. 1237.

§. 1236.

Hinc fluit: *salutem publicam latissimum ambitum habere, et sub se comprehendere omnia ea quae vllo modo facere possint ad plurium hominum simul sumtorum perfectionem.* Interim tamen quae sub ea contenta sunt, reduci possunt ad I) *securitatem publicam*, quae est hominum plurium simul sumtorum ea conditio, in qua a laesionibus hostium externorum tuti sunt; II) *tranquillitatem publicam*, quae est ea plurium hominum simul sumtorum conditio, in qua a laesionibus vni ab altero metuendis tuti sunt; III) *publicam iustitiae administrationem*, quae est ea plurium hominum simul sumtorum conditio, in qua quilibet ius suum via iuris persequi et obtinere potest: IV) *publicam vitae sufficientiam*, quae est ea plurium hominum simul sumtorum conditio, in qua non desunt ea quae faciunt ad vitae necessitatem, commoditatem et incunditatem: V) *sufficientiam bonorum publicorum*, quae est plurium hominum simul sumtorum conditio, in qua non desunt bona ex quibus sumtus publici fieri possunt.

§. 1237.

Saluti publicae opponitur *salus singulorum hominum* seu *salus privata*, quae est vnius hominis talis conditio, in qua fruitur omnibus iis, quae faciunt ad eius perfectionem. Quum itaque saepius fieri possit, aliquid adesse quod facit ad plurium simul sumtorum perfectionem, licet singulorum ex iis calamitatem augeat: *cum calamitate non-*

nonnullorum ex iis, de quorum simul sumtorum salute publica quaeritur, subsistere potest salus publica: seu salus publica adesse potest, licet salus privata respectu huius vel illius in singulari desit.

§. 1239.

Si salus publica colliditur cum salute privata, salus publica praeferenda. Salus publica enim plurium simul sumtorum perfectionem concernit (§. 1236.), privata vero singulorum (§. 1237.). Ergo melius est illam, quam hanc, promoueri, sicque praeferenda §. 189.

§. 1240.

His de salute publica praemissis constabit de genuino *reipublicae* conceptu qui hic est, quod sit societas cuius finis est salus publica, quaeque etiam *ciuitas* seu *societas ciuilis* appellari solet.

§. 1241.

Hinc fluit: 1) *securitatem et reliquas salutis publicae partes* (§. 1237.) *pertinere ad finem reipublicae.* 2) *In eo rempublicam a reliquis societatibus, praesertim vrbibus et pagis, diuersam esse, quod nulla harum societatum habeat finem tam late patentem.*

§. 1242.

Ad constitutiua reipublicae pertinet 1) *plures adesse qui vires coniungant ad obtinendum salutem publicam*, qui plures sunt quidem plerumque plures familiae, ideo vero et singulares personae extra fami-

familiam degentes, et aliae societates praeter familias, quae vel ex iis compositae, vel non, ad hos plures referri debere.

§. 1243.

Quodlibet membrum societatis quae est respublica, dicitur *ciuis*, cui opponitur *peregrinus*. Ciues alicuius reipublicae simul sumti vero, qui etiam ciuitas pro multitudine hominum sumta dicuntur (§. 405.), sunt persona moralis (§. 407.).

§. 1244.

Ad constituiua reipublicae pertinet II) *salus publica tanquam finis huius societatis*, quae si obtinetur, inde oritur *bonum publicum*. Ipsa interna reipublicae constitutio vero, finis huius obtinendi causa facta, dicitur *politia reipublicae*.

§. 1245.

Porro ad constituiua reipublicae pertinet III) *consociatio plurium salutis publicae causa*, quae a natura non est, sed facto humano interueniente fit, quod, si est pactum eorum qui in rempublicam coeunt, dicitur pactum *unionis ciuilis*.

§. 1246.

Prout caeterum respectu societatum in genere a se inuicem distingui debent *iura societatis* a *iuribus singulorum*, et *obligationes societatis* ab *obligationibus singulorum* (§. 411. 412.): ita idem etiam valet de republica. Vnde facile patet quid sint *iura reipublicae*, nimirum iura societatis quae est respublica,

lica, quorum complexus dicitur *potestas ciuilis* (die oberste Gewalt im Staate), et *obligationes reipublicae*, nimirum obligationis societatis quae est respublica. His iuribus et obligationibus vero opponuntur, singulorum in republica iura et obligationes, et complexus obligationum singulorum, iuribus reipublicae respondentium, sub nomine *subiectionis ciuilis* venit.

TIT. II.

DE REIPVBLICAE IN SENSV GEOGRAPHICO GENVINO CONCEPTV SEV TERRITORIO REIPVBLICAE.

§. 1247.

Respublica in sensu geographico sumta idem est ac *territorium reipublicae*, estque illud spatium, intra quod reipublicae cuidam potestas ciuilis competit.

§. 1248.

Licet plerumque homines rempublicam constituentes sedem fixam habeant et territorium adesse soleat: respublica tamen sine territorio esse potest. Per definitionem reipublicae §. 1240.

§. 1249.

Quum territorium sit spatium potestati ciuili reipublicae subiectum, et dentur in potestate ciuili contenta iura quae intra atmosphaeram et in-

tra terram exercentur, *territorium praecise non eſt ſpatium, in externa globi terraquei facie, ſecundum latitudinem extenſum: ſed et ſpatium intra terram et intra aërem territorium eſſe poteſt, et, ſi reipublicae territorium, ſpatium in externa globi terraquei facie ſecundum latitudinem extenſum, eſt; in dubio et ſpatium intra atmoſphaeram ei perpendiculariter imminens, nec non ſpatium ſubterraneum ſub eo, ad territorium eius ſimul pertinet.*

§. 1250.

In territorio eſſe aliquid dicitur, vel in eo ſenſu, quod locum teneat in ſpatio, quod ad reipublicae territorium pertinere indubium eſt: vel in eo ſenſu, quod ſit ſpatium, ſpatio, quod cuiusdam reipublicae territorium eſt, vndique inclusum. Vnde patet τὸ *in territorio eſſe in priori ſignificatu praedicari poſſe de rebus tam, quam de perſonis, et tam de mobilibus, quam immobilibus rebus: at τὸ in territorio eſſe in poſteriori ſignificatu, non niſi de ſpatio quodam dici poſſe. De territorio eſſe* vero dicitur, quicquid poteſtati ciuili reipublicae ſubiectum eſt. Hincque *in territorio eſſe, et de territorio eſſe, in eo differunt, quod in territorio eſſe ſit idea geographica, de territorio eſſe vero idea politica.*

§. 1251.

Ex his patet quid ſentiendum ſit de brocardico illo, quod alii ita exprimunt: *quicquid eſt in territorio, praeſumitur eſſe de territorio?* alii ita: *quicquid eſt in territorio eſt etiam de territorio* Si enim

enim τὸ *in territorio eſſe ſumitur in priori ſignificatu: quicquid eſt in territorio, eſt etiam de territorio, niſi exceptio probari poſſit.* Quum enim per definitionem ſit in ſpatio illo, quod totum reipublicae iuribus ſubiectum, ſingulare et exceptio eſſet, ſi non eſſet de territorio. *Quodſi vero* τὸ *in territorio eſſe ſumitur in poſteriori ſignificatu, omnia redeunt ad territorii eius, de quo quaeritur, an ſit id, quod in territorio eo eſt, de eius territorio, ortum. Si enim conſtat quod nunc in territorio in hac ſignificatu eſt, aliquando extra eius territorii fines ſitum fuiſſe, et contigiſſe expoſt per territorii ampliationem, nunc vndique illo inclusum eſſe, de territorio eſſe praeſumi nequit: aſt in caſu oppoſito omnino praeſumendum eſt, quicquid eſt in territorio eſſe etiam de territorio. Si vero ortus praeſentis eius rei ſtatus, quod ſit in territorio, dubius eſt, qui aſſerit priori modo id, quod nunc in territorio eſt, in eo eſſe coepiſſe, illud probare debet, eoque probato ceſſat praeſumtio hactenus contra eum militans.* Si enim prius, quod is, qui illud defendit, ideo probare debet, quoniam facti eſt, et in eo fundamentum iuris praetenſi ponit, conſtat de veritate, quod non ſit de territorio, hinc tum ceſſat praeſumtio, quae adeſt, ſi eſt poſterius, ideo, quoniam tum ſingulare et extraordinarium eſſet ſpatium vndique inclusum, non eſſe eius naturae, cuius eſt ſpatium quod illud vndique includit. Vid. §. 109. ſeqq.

CHRIST. THOMASIVS *de inutilitate brocardici: quicquid eſt in territorio praeſumitur etiam eſſe de territorio.* Halae 1709.

CARL. FRID. PAVLI Pr. *von der Verſchiedenheit der Worte; territorium in dem brocardico: Quicquid eſt in territorio praeſumitur etiam eſſe de territorio.* Halle 1748.

GEORG. ERIC. DATH *de falſitate vulgati: quicquid eſt in territorio praeſumitur etiam eſſe de territorio.* Goett. 1758.

§. 1252.

Dantur variae territoriorum ſpecies. Eſt enim I) territorium vel *territorium continuum*, ſi, quicquid eſt in territorio in poſteriori ſignificatu, eſt etiam de territorio, vel *diſcontinuum*, ſi non. Sunt qui prius clauſum, poſterius non clauſum, appellant. Aſt mallem ab his terminis in iure naturae abſtineri.

§. 1253.

Eſt porro territorium II) vel *ſolitarium*, vel *commune*, prout poteſtas ciuilis cui territorium ſubiectum, vel penes vnam rempublicam ſolitarie, vel penes plures diuerſas respublicas in communione eſt. Hinc differt a territorio communi 1) *ſpatium in partes ita diuiſum, vt haec pars ad huius, illa ad alterius reipublicae territorium reſerri debeat;* 2) *territorium intra quod vicinae reipublicae, cuius territorium non eſt, vnum alterumue in poteſtate ciuili contentum ius competit.* Vnde oriuntur ſeruitutes iuris publici, de quibus in iure gentium agendum.

§. 1254.

Tandem III) territorium vel eſt territorium per *occupationem ab vniuerſitate factam* conſtitutum,

tutum, vel territorium per *occupationem a ſingulis factam* conſtitutum. Si enim hominum multitudo, quae in rempublicam iam coaluit, ſedes fixas quaerens certum ſpatium ſibi ſubiecit, inde ortum territorium reipublicae huius eſt territorium prioris generis. Si vero homines hactenus in ſtatu naturali viuentes et ſedes fixas habentes, nunc in rempublicam coaleſcunt, ita, vt territorium reipublicae fiat diſtrictus quem hactenus inhabitarunt, inde ortum territorium eſt poſterioris generis.

TIT. III.

DE
POTESTATE CIVILI IN GENERE.

§. 1255.

Poteſtas ciuilis §. 1246. *definita et dominium, ſunt quidem praecipua, aſt tamen in ſe diuerſa, hominum iura, licet pars quaedam poteſtatis ciuilis ſit dominium publicum* (das Staatseigenthum), *quod eſt dominium quod penes rempublicam eſt.* Per definitionis dominii (§. 263.) et poteſtatis ciuilis (§. 1246.).

KAYSER *de diuerſo dominii et imperii iure.* Giſſae 1728.

IAC. KAYE *Betrachtung über den Unterſcheid der Oberherrſchaft und des Eigenthums.* Iena 1766. 8.

§. 1256.

Differt porro a poteſtate ciuili, prout in genere imperium a poteſtate (§. 423.), *imperium ciuile* (die Oberherrſchaft im Stante), *quod ad eius-*

partes pertinet, et eſt imperium (§. 418.) talis ſocietatis quae eſt respublica. Per definitionem poteſtatis ciuilis §. 1246. et imperii (§. 418.).

§. 1257.

A poteſtate ciuili etiam differt *ius magiſtratus*, quippe quod eſt pars poteſtatis ciuilis, ab eo qui poteſtatem ciuilem habet, conceſſa.

§. 1258.

Quae de poteſtate ſocietatis et eius directorio in genere dicta ſunt (§. 423 ; nec non theoria generalis de imperio ſocietatum §. 418. ſeqq. obuia, ad poteſtatem ciuilem et imperium ciuile applicari poſſunt. Vnde hic tantum ea addenda, quae in applicatione ad poteſtatem ciuilem praecipue notanda ſunt.

§. 1259.

Hue referri poteſt 1) ſingula iura in poteſtate ciuili contenta dici generali nomine *iura in poteſtate ciuili contenta*, a quibus differunt *iura circa poteſtatem ciuilem*; 2) exercitium poteſtatis ciuilis dici *regimen ciuile* ſeu *regimen publicum* (die bürgerliche Regierung); 3) limites poteſtatis ciuilis partim *naturales* eſſe, qui fluunt ex dictis §. 421. 422. de limitibus imperii in applicatione ad poteſtatem ciuilem; partim *poſitiuos*, qui per voluntatem eorum, quorum intereſt, conſtituti; 4 poenas, actiones et leges quae oriuntur ex poteſtate ciuili, dici *ciuiles poenas*, *ciuiles actiones* et *leges poſitiuas ciuiles*.

§. 1260.

§. 1260.

Quod porro attinet poteſtatis ciuilis diuiſiones, de iis addendum quod redeant ad *diuiſiones iuris communes*, veluti in *plenam* et *minus plenam*; *limitatam* et *abſolutam*; *perpetuam* et *temporariam*; *parrimonialem* et *vſufructuariam*, etc. et *diuiſiones poteſtati ciuili proprias*.

§. 1261.

Ad proprias vero pertinet I) diuiſio poteſtatis ciuilis in *ſummam* et *ſubordinatam*, prout ab alia quadam poteſtate ciuili iure dependet, vel non. Summitas poteſtatis ciuilis ipſa vero dicitur *la ſouueraineté*, et quae inde oritur eminentia, quod quis habeat poteſtatem ciuilem quae ſumma eſt *maieſtas perſonalis* audit, cum contra ipſa poteſtas ſumma *maieſtas realis* dicitur. Hinc eſt, ſtricte et proprie iura in poteſtate ciuili contenta, non niſi tum *maieſtatica iura* dici, ſi ſunt iura in poteſtate ciuili ſumma contenta.

§. 1262.

Ad diuiſiones huius generis porro referri poteſt II) diuiſio poteſtatis ciuilis in *vulgarem* ſeu *ordinariam*, et *eminentem* ſeu *extraordinariam*. Prout enim caſus neceſſitatis in genere efficit, in eo locum habere iura, quae citra eum non adſunt, indeque oritur ius neceſſitatis (§. 300 ſeqq.): ita et in republica exiſtens caſus neceſſitatis efficit in eo oriri iura reipublicae, quae citra eum locum non habent. Hinc iurium reipublicae, quae citra caſum neceſſitatis locum habent, complexus, conſtituit

ſtituit *poteſtatem ciuilem vulgarem*; iurium reipublicae, quae demum exiſtente caſu neceſſitatis locum habent, complexus vero ſub *poteſtatis ciuilis eminentis* nomine venit.

§. 1263.

Poteſtas ciuilis eminens totiens locum habet, quotiens ſalus publica colliditur cum ſalute priuatorum, itaque vi poteſtatis ciuilis eminentis omne id, etiam cum violatione iuris ſingulorum, licitum eſt, ſine quo ſalus publica obtineri nequit in hac colliſione. Per §. praec. et §. 1239.

CHRISTIAN. LVDOV. STIEGLITZ *de iure imperantium in ius quaeſitum ſingulorum* Lipſ. 1713. PETRVS de ICKSTATT *ius maieſtaticum imperii eminentis.* Monachii et Ingolſtadii.

§. 1264.

Poſita republica ponitur poteſtas ciuilis, eaque eſt, ſi respublica ſibi ipſi originem debet, origenteaus penes omnes ciues ſimul ſumtos, a quorum arbitrio dependet, an, quomodo et in quem eam transferre velint. Si vero respublica ab alio fundata eſt, penes eum eſt a quo fundata eſt. Per §. 426.

§. 1265.

Is penes quem eſt poteſtas ciuilis dicitur *ſuperior reipublicae.* Hinc *vel vnum individuum, vel plura individua ſimul ſumta, ſuperior reipublicae eſſe poſſunt.* §. praec.

§. 1266.

Cum poteſtas ciuilis limitibus non ſit deſtituta (§. 1259.), praetereaque poteſtas ciuilis, quae penes

penes ſuperiorem reipublicae eſt, eo tendat, vt finis reipublicae, nimirum ſalus publica, obtineatur: facile patet *dari ſuperioris officia erga rempublicam, cuius ſuperior eſt*, quae eo redeunt vt 1) *limites poteſtatis ciuilis ſtricte obſeruet*; 2) *promoueat quocunque modo ſalutem publicam.* Hinc que per ſe fluit *Machiauelliſmum*, ſeu ſententiam eorum qui opinantur ſuperiori omnia licere, et *Machiauelliſtae* appellantur, *defendi non poſſe.*

De ſcriptis huc pertinentibus vid. MEISTERI *Bibliotheca iur. nat.* ſub voce: *Princeps*

TIT. IV.

DE SVBIECTIONE CIVILI IN GENERE.

§. 1267.

A *ſubiectione ciuili ſupra* §. 1246. *definita, differunt ſeruitus perſonarum* §. 820. *et ſubiectio ſub qualibet alia poteſtate praeter poteſtatem ciuilem*; prout ex comparatione definitionum per ſe patet.

§. 1268.

Qui poteſtate ciuili reipublicae ſubiectus eſt, dicitur *ſubditus*, hinc que *ciuis et ſubditus differunt inter ſe, et non quilibet ſubditus eſt ciuis* (§. 1243.).

§. 1269.

Subiectio ciuilis duplici innititur fundamento, dum oritur 1) *ex eo quod quis ſit ciuis reipublicae, qui non eſt eius ſuperior*; 2) *ex eſſe in territorio.* Ex quo vltimo fundamento oritur ſubiectio

ciuilis, tam quoad *res* quae in territorio sunt, quam quoad *personas* quae in territorio sunt, et quoad personas nil interest, siue ex causa temporaria in territorio sint, siue cum animo ibi permanendi, donec aliud quid auocauerit, sicque *domicilium* ibi constituerint. Pries ex §. 485. deducendum, et posterius ex territorii definitione (§. 1247.) fluit.

§. 1270.

Hinc fluit subditorum differentia secundum quam sunt, vel *subditi ciues*, vel *subditi non ciues*, hique, vel subditi sunt propter res quas in territorio reipublicae habent, qui dicuntur *forenses*, vel quoniam in territorio sunt. Posteriores iterum vel *subditi temporarii*, vel *incolae* sunt, prout vel non nisi ex causa temporaria in territorio sunt, vel domicilium in eo constituerunt.

§. 1271.

Subiectio ciuilis sub se comprehendit obligationem ad 1) *quemcunque honorem superiori exhibendum*; 2) *obsequium in iis quae iubet vel vetat superior, ita vt sola obsequii gloria sit relicta ciuiliter subiecto, nisi manifestum sit superiorem limites potestatis ciuilis transgredi*; 3) *faciendum quod promouet, et omittendum quod turbat, salutem publicam, licet praeceptum vel prohibitio superioris non adsit*; 4) *abstinendum a iuribus in potestate ciuili contentorum exercitio, nisi probari possit concessio a superiore, vel iure proprio, vel iure administratorio facta.* Singulae hae obligationes ex potestatis et subiectionis ciuilis definitionibus (§. 1246.) deducendae.

§. 1272.

§. 1272.

Subiectioni ciuili opponitur *libertas subditorum ciuilis*, quae est ius subditorum actiones ciuiliter indifferentes pro suo arbitrio determinandi. Ad *actiones ciuiliter indifferenter* vero referri debent actiones quae saluis obligationibus, quae subiectio ciuilis sub se continet (§. 1271.), vel ita, vel aliter, determinari possunt.

§. 1273.

Licet in genere quilibet subditus sit ciuiliter subiectus, et frui etiam debeat libertate ciuili, dantur tamen *subiectionis ciuilis, et per consequens etiam libertatis ciuilis, gradus pro subditorum* (§. 1270.) *recensita diuersitate; ita, vt subditus forensis et temporarius non nisi catenus in ciuili subiectione sint, quatenus particulare eius fundamentum eam operari potest.* Quali enim causa, talis effectus. Ergo.

§. 1274.

Ex his de subiectione, eique opposita libertate subditorum ciuili, dictis fluit: *officia quae ex subditorum subiectione ciuili oriuntur non repugnare si* a) *subditus actiones ciuiliter indifferentes pro suo arbitrio determinat*; 2) *supplicat*, id est, a superiore reuerenter petit vt aliquid fiat, vel non fiat, *licet adsit superioris iussus hoc vel illud fieri vel omitti debere, ast tamen periculum in mora non est, et superiorem male informatum esse videtur.* E contra vero *iis contrariari, si subditus* 1) *obsequium non praestat*, sicque superioris iussui non obtemperat; 2) *resistit superiori*, dum nimirum impedit, vel sal-

tem

tem impedire tentat, iussum superioris exequi posse, *nisi in utroque casu manifestus sit potestatis ciuilis abusus*; 3) *cogit superiorem vt suae voluntati obtemperet eumque punit*. Indeque patet *monarchomachismum*, qui est doctrina eorum qui defendunt coactionem et poenam superioris subditis licitam esse, qui *monarchomachi* dicuntur, *defendi non posse*.

CHRIST. ERDM. PFAFFENREVTER Diss. duplex *de limitatibus quibus subditorum erga imperantes terminatur fides*. Lipsiae 1705. et 1706.

Scripta in *bibliotheca iur. nat.* MEISTERI sub titulo: *Principe* recensita.

§. 1275.

Caeterum quomodo nexus subiectionis ciuilis tollatur, quoad *subditos forenses* et *temporarios* ex definitionibus per se patet. De subditis *ciuibus* et *incolis* vero hoc ex infra dicendis patebit.

TIT. V.
DE
LEGIBVS FVNDAMENTALIBVS RERVMPVBLICARVM IN GENERE.

§. 1276.

Ad ea, quae de republica in se spectata in genere notanda, referri etiam potest doctrina de *legibus fundamentalibus rerumpublicarum*, sub quo nomine in genere veniunt leges, quae versantur circa politiam reipublicae, eiusque potestatem ciuilem.

§. 1277.

§. 1277.

Leges rerumpublicarum fundamentales sunt duplicis generis, dum vel *tales sunt, quae in natura et essentia reipublicae fundatae sunt*, vel *tales quae per voluntatem constitutae*, quarum priores *naturales*, posteriores *positiuae* leges sunt.

§. 1278.

Leges fundamentales positiuae rerum publicarum obligant, si respublica est societas aequalis, vi imperii in potestate ciuili contenti: aut, si respublica est inaequalis societas, obligant per modum pacti inter superiorem et subditos ciues initi; hincque potius *pacta fundamentalia*, seu *pacta per quae ordinatur respublica, quam leges, appellari deberent*. Per ea quae hac de re in genere dicta sunt §. 464. et §. 468.

§. 1279.

Ius leges fundamentales positiuas constituendi, est ius reipublicae quod per potestatis ciuilis translationem in superiorem non transfertur. Hae leges enim reipublicae politiam et potestatem ciuilem concernunt (§. 1276.). Ergo.

TIT. VI.
DE
COMITIIS IN GENERE.

§. 1280.

Prout in genere dantur conuentus membrorum tam societatum aequalium (§. 445), quam inaequalium (§. 467.): ita et dantur in republica conuen-

conuentus ciuium, negotiorum publicorum discussioni destinatorum. Hi conuentus sub *comitiorum* nomine veniunt.

§. 1281.

Quae de conuentibus societatum aequalium et inaequalium ipsis, vonis set conclusis dicta sunt §. 446 seqq., valent etiam de comitiis dicturque concluſum in comitiis factum, *conclusum comitiale.*

§. 1282.

Ius comitiorum dicitur ius voti et sessionis in comitiis, sicque *ius comitiorum omnes ii habent qui de potestate ciuili participant.*

LIBER II.

DE VARIIS RERVMPVBLICARVM SPECIEBVS.

TIT. I.

DE VARIIS RERVMPVBLICARVM SPECIEBVS IN GENERE.

§. 1284.

Respublicae differunt I) pro diuersitate *formae* reipublicae, quae est pars politiae reipublicae quae

quae determinatur per subiectum potestatis ciuilis, et pro hac diuersitate sunt vel *regulares respublicae*, si potestas reipublicae penes vnum subiectum, penes quod est, plene et indiuisim est, vel *irregulares*, si non.

§. 1285.

Regulares respublicae sunt *monarchiae* seu *monarchicae respublicae*, si potestas ciuilis plena et indiuisa penes vnum indiuidium humanum est. *Polyarchiae* vero dicuntur, si potestas ciuilis plena et indiuisa penes plura indiuidua, quae vnam personam moralem constituunt, est. Polyarchiae vero vel *democratiae* seu *respublicae populares* sunt, vel *aristocratiae*, prout plura indiuidua, penes quae potestas ciuilis tota et indiuisa est, sunt, vel omnes ciues simul sumti, vel nonnulli ex ciuibus.

§. 1286.

Respublicae irregulares variis modis differunt. In genere tamen irregularitas inde est, quod potestas ciuilis, vel inter plura diuersa subiecta sit diuisa; vel indiuisa in communione diuersorum subiectorum sit; vel vtrumque simul locum habeat. Inde oritur in casu primo *respublica in eo irregularis, quod singula iura in potestate ciuili contenta, inter plura diuersa subiecta diuisa, sicque singulis ex integro assignata;* in casu secundo *respublica in eo irregularis, quod potestas ciuilis penes plura diuersa subiecta, aut indiuisa, sit;* in tertio casu *respublica in eo irregularis, quod nonnulla iura in potestate ciuili contenta vni vel pluribus ita competant*

tant, vt singuli singula solitarie habeant, nonnulla vero in communione plurium diuersorum subiectorum sint.

§. 1287.

Si respublica est irregularis respublica primi generis (§. praec.), *inde oritur status in statu, quod pro absurdo quidem multi habent, sed absurdum esse probari nequit.* Per definitionem reipublicae §. 1240.

§. 1288.

Rerumpublicarum irregularium secundi et tertii generis (§. 1286.) species sunt, *respublicae monarchico - aristocraticae; aristocratico - democraticae; monarchico - democraticae* etc. quae secundum formas regulares, de quibus participant, appellantur, *nec sunt tales formae rationi seu vsui contrariae*, quicquid dicant alii

IO. HENR. WACKER *de reipublicae mixtae et rationi et vsui contraria ratione.* Lipſ. 1745.

SAM. PVFENDORFF *de republica irreguluri*, in Diſſ. Eius p. 301. ſeqq

§. 1289.

Respublicae II) itidem pro formae diuersitate in eo differunt, quod vel *regna* seu *principatus*, vel *respublicae in specie sic dictae* sint. De his speciebus mox ex instituto agendum.

§. 1290.

Respublicae etiam III) ratione habitus earum ad alias respublicas in *liberas respublicas* (souveraine Staaten), et *non liberas* seu *subordinatas respublicas* diuiduntur, prout alius reipublicae potestati

testati subiectae, vel non subiectae sunt. Vnde patet *magnam esse inter monarchiam et rempublicam liberam differentiam.*

§. 1291.

Sunt porro IV) respublicae pro membrorum diuersitate vel *simplices*, vel *compositae respublicae.* Si enim membra reipublicae non sunt respublicae, dicitur *respublica simplex.* Si vero sunt respublicae diuersae, quae simul sumtae constituunt vnam rempublicam, dicitur *respublica composita*, tumque distinguendum inter *ipsam rempublicam compositam*, et respublicas quae simul sumtae compositam rempublicam constituunt, quae *respublicae minores* dicendae. De compositis rebuspublicis infra ex instituto agendum.

TIT. II.

DE REGNIS ET PRINCIPATIBVS.

§. 1292.

Regnum seu principatus dicitur respublica in qua secundum formam eius, persona singularis habet potestatem ciuilem siue plenam siue minus plenam, siue limitatam siue illimitatam, siue indiuisam siue diuisam, vel ipsam, vel saltem eius exercitium proprio nomine. Persona singularis quae in regno habet potestatem ciuilem dicitur *princeps* seu *rex*, vel etiam *monarcha.* Reliqui ciues regni simul sumti vero dicuntur *populus.*

§. 1293.

Hinc fluit 1) *rempublicam regnum dici non posse, si non nisi directorium regiminis ciuilis penes personam singularem est;* 2) *si vero potestas ciuilis penes personam singularem est, nihil interesse, an et quomodo populus, vel aliqui ex populo, de ea participent.*

§. 1294.

Si populo in regnis competunt iura quae potestatem ciuilem, vel quoad iura quae circa potestatem ciuilem versantur, vel quoad iura in potestate ciuili contenta (§. 1259.) concernunt, et nonnulli ex populo haec iura nomine populi exercent, hi dicuntur *ordines regni*, *qui* itaque *repraesentant populum et populi iura habent.*

§. 1295.

Licet regnum semper participet de monarchia, perfecta monarchia tamen non semper est. Per §. 1292. 1284. Hinc regnum diuiditur 1) in tale quod est *perfecta monarchia*, et tale quod *non nisi imperfecta monarchia* est. Est vero regnum imperfecta monarchia, si principis potestas ciuilis est minus plena, si est limitata, si est vel in totum, vel in tantum cum populo in communione.

§. 1296.

Porro regnum 11) vel *vsufructuarium*, vel *patrimoniale regnum* est, prout princeps potestatem ciuilem, vel iure vsufructuario, vel iure patrimoniali habet.

§. 1296.

§. 1297.

Et haec III) concipi potest regnorum differentia, quod sint vel *regna simpliciter sic dicta*, de quibus semper loquor, vel *regna herilia*. Dicitur vero regnum, *herile regnum*, si potestati ciuili potestas dominica coexistit, sicque subditi ciues simul serui sunt.

§. 1298.

Quoad iura in potestate ciuili contenta notandum ea dici in regnis, si sint penes principem, *regalia*, si penes populum, *iura popularia*. Regalia vero vel *principis reseruata*, vel *regalia communicata* sunt, prout princeps ea absque populi, vel iura populi exercentium ordinum regni concursu exercet, vel hi concurrunt.

§. 1299.

Porro quoad comitia in regnis notandum, ea non nisi tum locum habere, si regnum non est perfecta monarchia, et dici *comitia regni*, si sint conventus principis et populi, seu iura populi exercentium ordinum regni, discussioni negotiorum publicorum regni destinati. Ab his comitiis vero differunt *alia comitia in regnis*, si nimirum alii, quam hi, conueniunt, negotiorum publicorum regni causa.

§. 1300.

Tandem quoad leges fundamentales positiuas regnorum addendum, in regnis obuenire speciem earum quae sub *capitulationum principum* nomine venit, et sunt pacta inter principem et populum

seu iura populi exercentes ordines regni, per quae principis potestas ciuilis determinatur, hincque *capitulationes non per modum imperii, sed per modum pacti obligant.*

TIT. III.
DE REBVSPVBLICIS IN SPECIE SIC DICTIS.

§. 1301.

Respublicae quae regna non sunt, hincque aristocratiae, democratiae et irregulares respublicae ex his compositae, veluti aristocratico-democraticae, vel democratico-aristocraticae respublicae, dicuntur *respublicae in specie sic dictae.*

§. 1302.

In aristocratiis ii ex ciuibus, qui potestatem ciuilem simul sumti habent, dicuntur *optimates*, hincque sunt *superioris aristocratiae.* Per §. 1265. Reliqui ciues hic dicuntur *populus*, et *si populus non in totum exclusus est a potestate ciuili, sed de ea participat, respublica est aristocratico-democratica respublica.* Per §. 1288.

§. 1303.

In aristocratia dantur leges fundamentales positiuae, quae vero consensu optimatium ab una, et populi ab altera parte, condi et mutari debent. Per §. 1279.

§. 1304.

Nec minus in aristocratia dantur comitia, et in regulari aristocratia ius comitiorum non nisi optimates

mates habent, in irregulari vero ii ex populo etiam ius comitiorum habent, qui cum optimatibus de potestate ciuili participant, hincque *duplicis generis comitia in his rebuspublicis concipi possint.* Per §. 1280.

§. 1305.

Democratias quod attinet, in iis omnes ciues simul sumti dicuntur *populus*, et *populus est superior in democratia.* Per §. 1265. Quodsi vero dantur nonnulla iura in potestate ciuili contenta, quae nonnullis ex populo priuatim concessa, democratia est respublica democratico-aristocratica. Per §. 1288.

§. 1306.

In democratiis dantur quidem leges fundamentales positiuae, ast populus ipse eas condit et pro lubitu mutat, nec eas vi pacti, sed vi imperii, obligant. Per §. 1278.

§. 1307

Comitia in rebuspublicis democraticis dicuntur *comitia popularia*, et *in iis singuli ex populo habent ius comitiorum.* Per §. 1282.

§. 1308.

Caeterum per se patet 1) *aristocratiam esse inaequalem, democratiam vero aequalem, societatem;* 2) *maiestatem rerumpublicarum stricte sic dictarum, quae liberae respublicae sunt, esse penes optimates, si sunt aristocratiae, penes populum vero, si sunt democratiae.*

TIT. IV.

DE

REBVSPVBLICIS COMPOSITIS.

§. 1309.

Inter duas pluresque diuersas respublicas, varii et diuersi generis nexus concipi possunt. Vel enim nexus hic talis est, quod in se diuersae respublicae vnam rempublicam, cuius potestati ciuili singulae respublicae subiectae sint, constituant, vnde oritur *respublica composita* supra (§. 1291.) definita vel talis non est. In posteriori casu nexus vel hic est, quod foederatem, quae respublica non est, constituant, tumque dicuntur *foederatae respublicae*, et ipsa societas *systema rerumpublicarum*, vel nexus earum non nisi in eo consistit, quod penes idem subiectum sint diuersae potestates; ciuiles diversarum rerumpublicarum, tumque dicuntur diversae respublicae, quae in hoc nexu sunt, *coordinatae respublicae*, si hic nexus citra factam vnionem ex accidente adest, *coniunctae* seu *vnitae* vero, si ex facta vnione adest, sicque perpetuus est. Quodsi nunc inter coniunctas respublicas vna est, quae sibi acquisiuit potestatem ciuilem aliarum, ea dicitur *respublica principalis* (Haupt-Staat.), et reliquae *minus principales* (Neben-Staaten), appellantur.

SAM. PVFENDORFF *de systematibus ciuitatum* in Eius Diss. p. 210. seqq.

§. 1310.

§. 1310.

Vna respublica dicitur *alteri incorporari*, si coetus hominum qui hactenus rempublicam, ab altera separatam, formauit, nunc sit membrum eius.

§. 1311.

Nec systema rerumpublicarum, nec respublicae coniunctae, nec respublicae coordinatae, nec respublicae quarum vna accessit alteri per incorporationem, sunt vna respublica composita, licet, si respublica, cui altera incorporatur, respublica composita est, tum, si ea quae incorporatur, tanquam respublica incorporatur, noua respublica minori augeatur respublica composita. Per definitiones §. 1309. 1310. et 1291.

§. 1312.

Respublicae singulae quae systema ciuitatum constituunt, liberae manent, si tales antea fuerunt. Nec minus inde, quod respublicae, vel coordinatae, vel coniunctae sint, sequitur eas non liberas esse. Ast respublicas minores quae constituunt compositam rempublicam, et respublicas quae incorporatae sunt alteri, liberas esse, implicat. Respublicas systema constituentes liberas manere patet per §. 1309. et 1290. Quumque respublicae coordinatae et coniunctae per suam potestatem ciuilem regantur (§. 1309.), itidem per §. 1290. patet eas liberas esse posse. Reliqua ex definitionibus §. 1309. et 1310. iuncto §. 1290. per se fluunt.

§. 1313.

Respublica composita potest esse regnum, ast et respublica in specie sic dicta esse potest. Idem valet

de rebuspublicis minoribus quae rempublicam compositam constituunt. Per definitionem regni (§. 1292), reipublicae in specie sic dictae (§. 1301.) reipublicae compositae et reipublicae minoris (§. 1291.).

§. 1314.

Si respublica est respublica composita, datur duplex potestas ciuilis, nimirum potestas ciuilis reipublicae compositae, quae *superior* dici potest, et *subordinata potestas ciuilis rerumpublicarum minorum, pro qua diuersitate etiam datur duplex subiectio ciuilis.* Per §. 1291. 1246.

§. 1315.

Potestas subordinata rerumpublicarum minorum in republica composita, praeter potestatis ciuilis diuisiones generales, et hanc admittit diuisionem, quod vel *cum exclusione potestatis ciuilis superioris competat*, vel *non*, *sicque potestas ciuilis superior in territoriis rerumpublicarum minorum exerceatur.*

§. 1316.

Quod praeterea, quae de *legibus fundamentalibus* et *comitiis* quoad regna (§. 1299.), et respublicas in specie sic dictas (§. 1304. 1307.), dicta sunt, ad respublicas compositas tam, quam minores respublicas in republica composita, applicari possint, prout vel huius, vel illius generis respublicae sunt, per se patet.

LIBER

LIBER III.

DE RERVMPVBLICARVM ORTV ET INTERITV, EARVM MEMBRIS, MODISQVE QVIBVS TALIA FIVNT ET ESSE DESINVNT

§. 1317.

Ad quatuor summa capita, quae hic dicenda, redeunt, prout ex ipsa inscriptione patet. In tot sectionibus itaque haec doctrina explicanda.

SECTIO. I.

DE RERVMPVBLICARVM ORTV ET INTERITV.

§. 1318.

Hic figillatim de rerumpublicarum *ortu* et *interitu* agendum, cum aliter oriri, aliter interire, rempublicam per se pateat.

TIT. I.

DE ORTV RERVMPVBLICARVM.

§. 1319.

Cum nulla respublica per naturam constituta sit, respublicae omnes originem debent facto humano. Hoc factum vero, vel est *pactum unionis ciuilis* (§. 1245.) tumque respublica sibi ipsi origi-

nem deber, vel *factum alterius*, qui certam hominum multitudinem, hactenus rempublicam non constituentem, vel *sponte* eo perducit vt cocat in rempublicam, potestati ciuili eius se subiiciendo, vel *cogit* eam vt hoc faciat.

§. 1320.

Si respublica oritur, vel eam constituentes homines hactenus in libertate naturali vixerunt, vel sunt ciues reipublicae iam existentis, qui separatam a republica, cuius ciues hactenus fuerunt, rempublicam formant. In posteriori casu itaque fit *dismembratio* reipublicae, dum ex vna republica oriuntur plures respublicae.

§. 1321.

Quod attinet in specie rerumpublicarum compositarum ortum, praeter ea, quae de rerumpublicarum ortu in genere dicta sunt, de eo adhuc speciatim notandum, *compositam esse rempublicam, sicque membra eius esse respublicas minores*, vel inde esse, *quod variae reipublicae, antea extra nexum vnius reipublicae constitutae, coaluerint in vnam rempublicam*, vel inde esse, *quod membra reipublicae, in diuersas respublicas, aut simul, aut successiue coaluerint, saluo nexu subiectionis ciuilis, sub potestate ciuili reipublicae cuius membra sunt et manent.* Per §. 1291.

IO. NIC. HERTIVS de *modis constituendi ciuitates.* Giſſae 1695. Tom. I. pag. 286.

TIT.

TIT. II.

DE

RERVMPVBLICARVM INTERITV.

§. 1322.

Rempublicam interire seu existere desinere, vel fit *ciuibus exstinctis et dispersis*, vel *iis quidem superstitibus, sed tamen consociatione ad obtinendum salutem publicam cessante.* Tum enim vnum alterumve constitutiuorum societatis deest (§. 1242 seqq).

§. 1323.

Si itaque 1) *membra reipublicae reuertuntur in libertatem naturalem*; 2) *si fit reipublicae incorporatio in aliam rempublicam*; 3) *si reipublicae vnius membra, facta dismembratione reipublicae, in variat a se invicem diuersas respublicas coalescunt, sit reipublicae interitus.*

SECTIO II.

DE

MEMBRIS RERVMPVBLICARVM.

§. 1324.

In doctrina de membris rerumpublicarum, respublicae quae sunt *regna*, *respublicae in specie sic dictae* et *compositae respublicae* a se inuicem distingui debent.

MEMBRVM I.

DE MEMBRIS RERVMPVBLICARVM. QVAE REGNA SVNT.

§. 1325.

Membra regnorum sunt vel *vulgaria membra*, quae per nullam qualitatem, regimen publicum regni respicientem, a reliquis membris se distin-

ſtinguunt, vel *non vulgaria*, quae ita a reliquis ſe diſtinguunt.

§. 1326.

Mitto membra vulgaria. Membra non vulgaria vero quod attinet, ea ſunt vel *Principes*, vel *ordines regni*, vel *vicarii regni*, vel *officiales publici* ſeu *officiales reginiinis*. Principes vero, vel principes *regentes*, vel principes *futuri* ſunt. De ſingulis his membris itaque ſigillatim agendum.

TIT. I.
DE
PRINCIPIBVS REGENTIBVS.

§. 1327.

Principes ſupra (§ 1292) definiti dicuntur *principes regentes*, ſi poteſtatem ciuilem quam habent, exercendi ius habent.

§. 1328.

Differunt inter ſe princeps regens et ſuperior regni, ita, vt idem qui princeps eſt, et ſuperior regni eſſe poſſit, niſi non ſemper idem ſubiectum, quod eſt princeps, etiam ſuperior eſt. Per def. principis (§. 1292.) et ſuperioris reipublicae. (§ 1265.)

§. 1329.

Idem individuum humanum plurium regnorum princeps regens eſſe poteſt. Non implicat enim plurium regnorum poteſtatem ciuilem cum exercitio penes vnum idemque individuum humanum eſſe. Ergo §. 1327.

§. 1330.

§. 1330.

Princeps regens duplicem ſuſtinet perſonam, *publicam*, quatenus conſideratur qua talis, id eſt, cum poteſtate ciuili quam habet, et *priuatam*, quatenus conſideratur ſimpliciter vt homo. Quum vero vnus plurium regnorum princeps eſſe poſſit (§. *praec.*): *princeps diuerſas perſonas publicas ſuſtinere poteſt.*

HENR. CHRIST. BRVNING *de conditionibus principis diuerſis.* Lipſ. 1754.

§. 1331.

Quoad perſonam publicam principes ſunt 1) vel *independentes* ſeu *ſummi* (*ſouueraine Fürſten*), vel *dependentes* ſeu *ſubordinati*; 2) vel *abſoluti* vel *limitati*; 3) vel *pleni*, vel *minus pleni*; 4) vel *patrimoniales*, vel *vſufructuarii*, pro hac poteſtatis ciuilis eorum diuerſitate (§. 1260. 1261)

CASP. ACH. BECK *de iure regni patrimonialis* Ienae 1712.

§. 1332.

Principem eſſe ſummum et tamen limitatum, vt et, principem eſſe abſolutum et tamen dependentem; nec non principem eſſe temporarium et tamen ſummum, non implicat. Hae notiones enim ſibi inuicem non repugnant (§. praec.).

IO. CASP. EVERHARD. WINCKLER *de iure ſummi imperii temporarii exemplo dictatoris romani.* Quedl. 1743.

§. 1333.

Vnum regnum plures habere poteſt principes, qui vel in communione habent poteſtatem ciuilem

ciuilem quae iis competit, et sunt *coprincipes*, vel eam ita habent, vt vnus haec, alter illa iura in potestate ciuili contenta solitarie habeat, eumque singuli principes dici possint *principes particulares* (§. 1286.).

§. 1334.

Si princeps plenus, absolutus et patrimonialis princeps est, populus tam a iure disponendi de potestate ciuili, quam a iuribus in ciuili potestate contentis plane exclusus est: non vero si est vel minus plenus, vel limitatus, vel usufructuarius princeps. Dantur enim in primo casu, *nisi adsint in regno plures principes particulares, praeter principis regalia, iura popularia* (§. 1298.). *In* secundo casu *dantur, praeter regalia reseruata iura communicata* (§. 1298.). *In* tertio casu *vero a iuribus circa potestatem ciuilem princeps plane est exclusus, eaque priuatiue populo competunt.* Per definitiones principis in genere (§. 1292.) & principis pleni, minus pleni etc (§. 1331.).

§. 1335.

Secundum praesumtionem absolutam praesumendum regentem principem esse independentem, plenum et absolutum. Ast eum eum esse principem patrimonialem absolute praesumi nequit, sed potius secundum hanc praesumtionem pro principe usufructuario est habendus. Quoad prius dictam praesumtionem locum habere ex §. 1331. facile deduci potest. Quoad posterius omnia redeunt ad praesumtam populi voluntatem, sicque regulae de praesumto

sumto consensu §. 55. hic sunt applicandae, et vi argumenti a contrario concludendum est.

§. 1336.

Si princeps regens est princeps summus seu independens et plenus, quoad personam publicam est adhuc homo independens in statu naturali viuens, qui nonsolum plena fruitur libertate naturali hominum in statu naturali viuentium, omnibus ante ortum rerumpublicarum communi: sed et praeterea maiestatem personalem habet, indeque oriuntur varia externa signa maiestatem suam declarantia, veluti insignia, tituli etc. quorum tamen nullum ex legibus naturalibus determinari potest. Quatenus vero idem valeat, vel non, de principe dependente, ex eius notione facile determinari potest. Quum enim princeps quoad personam publicam sit subiectum quod habet potestatem ciuilem, nemo vero sibi ipsi in eadem persona subiectus esse possit, princeps sibi ipsi quoad personam publicam non est subiectus. Sed nec populo suo, nec tertio, quoad hanc personam est subiectus, quoniam, quoad populum suum, obstat defectus potestatis ciuilis (§. 1292.), quoad tertium, independentia (§. 1331.). Ergo §. 256, 1261.

§. 1337.

Princeps regens quoad publicam personam, in iis quae concernunt eas potestatis ciuilis partes, quas a populo habet, sustinet personam sui populi; hincque *in his princeps et populus pro vna persona respectu tertii ita sunt habendi, vt actus principis sint vt*

actus

actus populi. Qui enim habet quod alterius fuit sibi nunc concessum, respectu terrii eius sustinet personam. Ergo.

§. 1338.

Populus in respectu ad principem suum regentem est persona moralis a principe diuersa, quae, si princeps est absolutus et plenus princeps, *est persona eius potestati ciuili subiecta, sicque in statu ciuili viuens seu subditus est. Est si princeps talis* non est, *quando est princeps* minus plenus, *quoad regalia quidem idem valet, non vero quoad iura popularia; quum quoad ea populus pro persona in statu naturali viuente et plena libertate naturali fruente, habendus, nisi regnum sit respublica non libera. Quando vero est princeps* limitatus, *quoad regalia reseruata populus itidem pro persona in statu ciuili viuente quidem habendus, est, quoad regalia communicata, principes et populus sui simul sumti sunt persona in statu naturali in plena libertate naturali viuens, nisi itidem regnum respublica non libera sit.* Haec omnia fluunt ex ipsis definitionibus.

TIT. II.

DE PRINCIPIBVS FVTVRIS.

§. 1339.

Principes futuri, dicuntur principis regentis designati successores.

§. 1340.

Principes futuri quidem semper ius succedendi habent in principatum: est ante delatam successionem ea

ea potestas ciuilis, quae secundum formam regni penes principem est, ita non competit, nisi probari possit ipsam hanc potestatem iis iam delatam esse, est absque omni exercitio tanquam ius quiescens. Per §. praec.

§. 1341.

Hinc oritur diuisio principum futurorum, in principes futuros *regulares*, si non nisi ius succedendi habent, et *irregulares*, si penes eos iam est potestas ciuilis tanquam ius quiescens.

§. 1342.

Principes futuri, siue sint regulares, siue irregulares, nullam eius in potestate ciuili contentam exercere possunt. Per §. praec.

§. 1343.

Principes futuri regulares nec realem, nec personalem maiestatem habent. Vtraque vero competit principibus futuris irregularibus. Per §. 1341. et 1261.

§. 1344.

Principes futuri regulares subsunt potestati ciuili regni, in quo viuunt, sicque subditi sunt. Est irregulares principes futuri, subditi regni, cuius principes futuri sunt, non sunt. Per §. 1269.

TIT. III.

DE STATIBVS SEV ORDINIBVS REGNI.

§. 1345.

Progredior ad nouam hominum speciem in regnis obuenientem, *status regni* seu *ordines regni*

gni qui secundum §. 1294. sunt ii ex populo, quibus in regnis iura populi a populo sunt concessa, siue sint iura in potestate ciuili contenta, siue iura quae versantur circa potestatem ciuilem. Vide hic tantum addendum complexum istarum regni dici *collegium* seu *corpus statuum regni.*

§. 1346.

Status regni possunt quidem pro regnorum diuersitate varii generis esse; at secundum ius publicum vniuersale determinari nequit, quae denuo diuersa eorum genera seu classes.

§. 1347.

Si regnum habet status regni, a se inuicem distinguendi sunt 1) *princeps*; 2) *corpus statuum regni*; 3) *reliquus populus seu reliqui ex populo.* Per §. 1292. 1294.

§. 1348.

Corpus statuum repraesentat reliquum populum, indeque iura populi sunt iura statuum. Per definitionem §. 1345. et 1294.

§. 1349.

Si in regno dantur regalia communicata, ea in comitiis regni exercenda, et status regni gaudent iure voti et sessionis in his comitiis, ita, vt character status regni sit hoc ius. In comitiis regni enim conueniunt ii qui simul summi sunt superiores (§. 1299.), ad hos vero pertinent status regni, iique participant de potestate ciuili (§. 1345.). Ergo. Quum itaque nemo ius voti et sessionis in comitiis exercere possit absque participatione de potestate ciuili, sine ea vero

vero comparitio sola ex alia causa fieri possit, patent reliqua propositionis membra.

§. 1350.

Licet singula corporis statuum regni membra potestati ciuili regni subiecta sint: de toto corpore statuum regni tamen hoc tantum valet quoad principis iura reseruata, non vero quoad iura communicata. Per §. 1269. 1298.

§. 1351.

Licet argumentum a comparitione in comitiis, quae exercendo voti et sessionem in iis facta, ad qualitatem status regni, valeat, et ab hac ad subiectionem ciuilem: a sola comparitione in comitiis tamen nec ad vnum, nec ad alterum horum, valet consequentia. Prius enim character status regni est (§. 1349.), et qui status regni est pertinet ad singulos ex populo (§. 1347.), qui sunt ciuiliter subiecti (§. praec.) At posterius character status regni non est (§. 1349.), ergo hic vis consequutionis deest.

TIT. IV.

DE VICARIIS REGNORVM.

§. 1352.

Vicarii regnorum in genere dicuntur ii, qui principe vel deficiente, vel impedito, locum eius tenent. Vnde patet duplicis generis vicarios concipi posse, vel tales qui principe regnante deficiente, id est, in *interregno*, locum deficientis principis regentis tenent, qui *vicarii populi* seu *reipu-*

blicae dici possunt; vel tales qui principe regente non deficiente, sed impedito, locum eius tenent, qui *vicarii principis* appellantur.

§. 1353.

Vicarii populi sunt principes interimistici, qui continuant principis deficientis regimen per interregnum proprio nomine, suntque regno vacante, seu in interregno, quod princeps regens est regno non vacante. Locum enim principis tenent suntque eius surrogatum. Att princeps deficit, hinc nomine alterius non agunt (§. 1352.). Ergo.

§. 1354.

Vel vnus, vel plures eiusdem regni vicarii simul esse possunt, siqui plures adsint, regimini vel coniunctim praeesse possunt, vel separatim, territorio in certos vicariatus districtus diviso. Haec enim non repugnant notioni vicarii populi (§. 1351.), nec tamen vnum alterumue ex ea fluit.

§. 1355.

Vicarii principis, vel ideo locum eius tenent quoniam propter *aetatem*; vel quoniam propter *absentiam*; vel quoniam propter *captiuitatem*; vel quoniam propter *morbum animi* seu *corporis*, ipse regimini praeesse nequit. In primo casu dicuntur *tutoris principis publici*, in secundo *gubernatores* (Statthalter), in tertio et quarto vero speciale nomen non habent.

§. 1356.

Vicarii principis nomine alieno regimini praesunt, nec continuant, tanquam princeps interimistici,

stici, regimen principis; sed ipsum illud regimen, quod princeps, nisi impeditus esset, ipse gereret, exercent catenus, quatenus impeditur, eius nomine, eique rationes reddere debent. Hic enim princeps adest, cuius ius tantum quiescit. Ergo §. 634.

§. 1357.

Vicarii reipublicae liberae, qua tales potestati civili regni, cuius vicarii sunt, non sunt subiecti, sicque subditi non sunt. Vicarii principis vero sunt subditi superioris regni. Prius patet per §. 1353. iuncto §. 1268. et posterius per §. 1356. iuncto §. 1268

TIT. V.

DE OFFICIALIBVS PVBLICIS REGNORVM.

§. 1358.

Officiales publici regnorum, ab officialibus principum priuatis, de quibus infra agendum, diversi, sunt ii qui certas regiminis publici regni partes, vel ipsi administrant, vel eas administrantibus adsistunt.

§. 1359.

Officiales publici regnorum sunt, vel *officiales publici principis*, vel *officiales publici regnorum stricte sic dicti*, prout officium eorum regimen, vel quatenus est penes principem, vel quatenus est penes populum, respicit.

§. 1360.

Differunt porro officiales publici pro *diuersitate partium regiminis publici quas officium eorum*

concernit. Vnde oriuntur variae species officialium, pro diuerſitate diuerſarum reginiinis partium, de quibus in doctrina de partibus poteſtatis ciuilis agendum.

§. 1361.

Officiales publici regnorum, reſpectu principis vel populi, cuius officiales publici ſunt, manent ſubditi; licet reſpectu reliquorum ſubditorum, quatenus poteſtate ſibi commiſſa legitime vtuntur, ſint perſonae publicae quibus ſubditi reliqui ſint ſubiecti. Conceſſio officii publici enim non mutuit liberationem a ſubiectione ciuili, aſt tamen efficit officiales eius vices gerere, a quo conſtituti ſunt. Ergo.

§. 1362.

Cum officiales publici regnorum nomine alieno agant et adminiſtrent (§. 1358.), 1) *ad rationes reddendas de geſta adminiſtratione ei ſunt obligati cuius vices gerunt*; 2) *ſemper datur ad eum recurſus, ſi contra officium ſuum agunt*; 3) *ſi dolo vel negligentia ſua aliquid admittunt, quod redit in praeiudicium eius, cuius vices gerunt, ex facto ſuorum officialium is non tenetur.*

10. ADAM L. B. ab ICKSTATT *de regalibus dolo aut negligentia miniſtrorum ſeu officialium principis non praeſcribendis.* Viceb. 1730 et Opuſc. Tom. I. p. 749. ſeqq.

§. 1363.

Caeterum, quoad ſalaria et ſportulas officialium publicorum regni, hic adhuc notandum, *ſalarium publicum* dici, quod officialis publicus pro officio publico in genere percipit, cum, quod a ſingulis

gulis, quibus in ſingulari officium ſuum exercendo inſeruit officialis, ei ſoluitur, ſub *ſportularium* nomine veniat.

§. 1364.

Hinc ſtatt 1) *ſalarium ceſſare, ſi officialis vel non potuit, vel non vult, officio ſuo fungi, vel officium finitum, ita, vt eum die finiti officii ceſſet ſalarium*; 2) *ſportulas exigendi ius perfectum quidem habere officialem, aſt tamen, ſi determinatae ſint, eas augere illi non licere, et, ſi determinatae non ſint, proportionem obſeruandam eſſe, inter officium praeſtitum et ſportulas pro eo ſoluendas.*

MEMBRVM II.

DE

MEMBRIS RERVMPVBLICARVM IN SPECIE SIC DICTARVM.

§. 1365.

Quoad membra rerumpublicarum huius generis iidem diſtinguendum, inter membra *vulgaria* et *non vulgaria*, in eo, ſenſu, in quo in regnis *vulgaria* et *non vulgaria membra* (§. 1325.) a ſe inuicem diſtinguenda ſunt. Mitto et hic vulgaria membra. Non vulgaria membra vero hic ſunt, *optimates, ſenatores* et *officiales publici in reburpublicis in ſpecie ſic dictis.* Hic itaque de his tribus ſpeciebus membrorum rerumpublicarum in ſpecie ſic dictarum non vulgarium agendum.

TIT. I.
DE
OPTIMATIBVS RERVMPVBLICARVM IN SPECIE SIC DICTARVM.

§. 1366.

Optimates dicuntur ii ex ciuibus, qui in ariſtocratiis, ſoli, in rebuspublicis ariſtocratico-democraticis vero, cum aliis, poteſtatem ciuilem habent. Dantur itaque duplicis generis optimates, nimirum *optimates in regulari ariſtocratia*, qui etiam *ſtricte* optimates dicuntur, et *optimates in rebuspublicis ariſtocratico-democraticis*.

§. 1367.

Optimates republicae ſimul ſumti dicuntur *collegium optimatum*, et reliqui ciues hic ſunt populus.

§. 1368.

Collegium optimatum eſt in rebuspublicis in ſpecie ſic dictis, quod eſt in regnis eſt princeps regens. Per §. 1327. Hinc *quae* §. 1331 — 1338. *de principe et populo in regnis dicta ſunt, valent etiam mutatis mutandis de optimatibus et populo in rebuspublicis in ſpecie ſic dictis quae habent optimates.*

TIT. II.
DE
SENATORIBVS RERVMPVBLICARVM IN SPECIE SIC DICTARVM.

§. 1369.

Senatores reipublicae in ſpecie ſic dictae dicuntur ii ex ciuibus, qui directorium reipublicae, quae demo-

democratia eſt, habent, quibusque ſimul ipſius poteſtatis ciuilis adminiſtratio, quoad ea quae quotidianae adminiſtrationis ſunt, vel quae morum non ferunt, eſt commiſſa. Complexus ſenatorum republicae vero dicitur *ſenatus reipublicae* ſeu *collegium ſenatorium reipublicae*.

§. 1370.

Status regni, optimates et ſenatores differunt in eo, quod iſti in regnis (§. 1345.), *illi in ariſtocratiis, aut minimum de ariſtocratia participantibus rebuspublicis* (§. 1366.), *hi in democratiis obueniant* (§. praec.); *vt taceam alias differentias ex comparatione definitionum per ſe fluentes.*

§. 1371.

Senatorium collegium ſeu ſenatus non eſt ſuperior democratiae, prout etiam ſenatus non eſt perſona moralis in ſtatu naturali viuens. Sunt potius ſenatores tam qua ſinguli, quam coniunctim conſiderati, ſubditi ſuperioris democratiae, qui eſt ipſe populus. Directorium reipublicae enim non eſt poteſtas ciuilis reipublicae (§. 424.), et licet adminiſtrent ſenatores quaedam in poteſtate ciuili contenta iura, ideo tamen pro ſuperiore haberi nequeunt (§. 1265.). Quum itaque in ſenatum non ſit translata poteſtas ciuilis, eam adhuc penes populum vniuerſum eſſe neceſſe eſt (§. 1264.). Ergo populus eſt ſuperior (§. 1265.), et ſenatores ſunt vi fundamenti ſubiectionis ciuilis (§. 1269.) ſubditi (§. 1268.).

TIT. III.
DE
OFFICIALIBVS PVBLICIS RERVM PVBLICARVM IN SPECIE SIC DICTARVM.

§. 1372.

Quae *de officialibus publicis regnorum dicta sunt* §. 1358. *seqq. et hic locum habent, nisi quod hic cesset diuisio eorum in officiales principis et populi seu iura populi exercentium ordinum regni.* Formae reipublicae diuersitas enim non influit praeterea in ea, quae de officialibus publicis regnorum dicta sunt.

§. 1373.

Praeterea vero hic notandum 1) *in reburpublicis aristocratico-democraticis differentiam concipi posse, inter officiales publicos optimatum et populi*; 2) *in democratiis magnam esse inter senatores et officiales publicos differentiam.* Ad 1) vid. §. 1368. et ad 2) §. 1369.

MEMBRVM III.
DE
MEMBRIS RERVMPVBLICARVM COMPOSITARVM.

§. 1374.

Quod membra rerumpublicarum huius generis attinet, membra non vulgaria, et hic, prout in regnis (§. 1325.), a vulgaribus distinguenda. Quoad membra non vulgaria vero, de quibus

bus hic tantum agendum, distinguendum est, inter membra *reipublicae compositae ipsius*, et membra *rerumpublicarum minorum in republica composita.*

TIT. I.
DE
MEMBRIS REIPVBLICAE COMPOSITAE IPSIVS.

§. 1375.

Cum respublica composita, vel regnum, vel respublica in specie fic dicta esse possit (§. 1313.): facile patet *pro hac diuersitate differre membra reipublicae compositae ipsius, secundum ea quae de membris vtriusque generis rerumpublicarum dicta sunt* (§. 1325 seqq et §. 1365. seqq.).

§. 1376.

Praeterea vero hic accedit noua membrorum rerumpublicarum huius generis diuisio, secundum quam vel *immediata*, vel *mediata* membra rerumpublicarum compositarum sunt. Ea membra reipublicae compositae enim, quae tantum potestati ciuili superiori (§. 1314.) subiecta sunt, dicuntur *immediata membra*, quae vero simul potestati ciuili subordinatae (§. cit.) subiecta sunt, dicuntur *mediata membra.*

TIT. II.
DE
MEMBRIS RERVMPVBLICARVM MINORVM.

§. 1377.

Cum, prout respublica composita ipsa vel regnum, vel respublica in specie sic dicta est, ita et

res-

respublicae minores in republica compolita, vel regna, vel respublicae in specie sic dictae sint (§. 1313.): *et hic, quae de membris regnorum* (§. 1325. seqq.), *et de membris rerumpublicarum in specie sic dictarum* (§. 1365 seqq.) *dicta sunt, applicari possunt.*

§. 1378.

Specialia, quae hic notanda, vero huc redeunt 1) *principes et collegia optimatum rerumpublicarum minorum, licet sint superiores rerumpublicarum minorum, in relatione ad rempublicam compositam cuique potestatem ciuilem tamen, in subdito rum numero esse*; 2) *reliqua membra rerumpublicarum minorum viuere in duplici subiectione ciuili, dum* a) *potestati ciuili superioris respublicae compositae ipsius* et b) *potestati ciuili subordinatae reipublicae minoris, cuius membra sunt, ciuiliter subiecta sunt, ita, vt in collisione vtriusque potestatis, cui subiecta sunt, posterior vincat priorem.* Per §. 1291 et 1269.

SECTIO. III.

DE MODIS QVIBVS MEMBRA RERVMPVBLICARVM TALIA FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 1379.

Modi quibus membra rerumpublicarum talia fiunt et esse desinunt, differunt pro membrorum earum diuersitate, praesertim ita, quod aliter *ciues in genere*; aliter *principes*; aliter *fautre-*

gni et vicarii regnorum; aliter *optimates*; aliter *officiales publici*, tales fiant et esse desinant. De singulis his membrorum reipublicae speciebus itaque speciatim definiendum, quomodo fiunt et esse desinunt.

TIT. I.

DE MODIS QVIBVS CIVES IN GENERE TALES FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 1380.

Ciuis talis fit, prout in genere membrum societatis tale fit, vel *originarie*, vel per *receptionem* (§. 483.), *nec possunt* praeterea *certae qualitates secundum ius publicum vniuersale determinari, quae adesse debent, vt quis in numerum ciuium recipi possit.* Per §. 19.

§. 1381.

Ciuis talis esse definit vel per *reipublicae interitum* (§. 1321.), vel *ea subsistente.* In posteriori casu vero talis esse definit, praeter mortem, tam si *recedit a republica seu ius ciuitatis resignat*, quam si *excluditur.* Per ea quae hac de re quoad societates in genere dicta sunt §. 489. His modis vero hic accedit *exemtio passiua*, quae fit, si tertius ciues suae potestati ciuili subiicit.

§. 1382.

Ad hic praeterea, quoad resignationem iuris ciuitatis, speciatim notandum, si cipis, vel subdi-

tus

tus non ciuis, hactenus incola, resignat ius ciuitatis, in alius reipublicae territorio domicilium suum figendo, fieri *emigrationem*, a qua differt *transmigratio*, quae fit, si ciues vel incolae in territorio reipublicae, cuius ciues vel incolae sunt, locum domicilii mutant sponte, cum, si ex iussu superioris mutare debent domicilium, *transplantatio* fieri dicatur. Quodsi vero ciues seu incolae certae regionis, domicilium non mutando, ius ciuitatis resignant, dum omnium potestatem ciuilem, cui subiecti erant, amplius agnoscere nolunt, fit *subductio* seu *exemtio actiua*

§. 1383.

Porro, quoad *exclusionem a societate quae est republica*, hic speciatim notandum, si exclusio ita fit, vt ciues seu incolae alius potestati ciuili non subiiciantur a republica eos excludente, *expulsionem* seu *emigrationem necessariam*, si vero alius potestati ciuili subiiciuntur, *alienationem subditorum* fieri.

§. 1384.

Caeterum *quid iustum sit circa modos quibus ciues tales esse desinunt, tam per iuris ciuitatis resignationem*, sicque *emigrationem* et *subductionem*, *quam per exclusionem*, sicque *expulsionem* et *alienationem*, ex dictis §. 489 et 490 diiudicandum. Quoad *transmigrationem* et *transplationem* vero notandum, *ciuibus et incolis transmigrationem esse permittendam, si e re sua esse arbitrantur transmigrationem, transplantationem vero esse illicitam, nisi adsint*

adsint singulares circumstantiae sub quibus vi potestatis eminentis transmigratio prohiberi et transplantatio fieri potest. Per §. 1274. num. 1. et §. 1263.

IO. CHRIST. RVDOLPH Obseruationes *de iure emigrandi et transmigrandi subditorum, earumque exceptione et transplantatione in genere.* Lips. 1755.

CHR. HENR. BREVNING *de alienatione subditorum.* Lipf. 1764.

TIT. II.

DE

MODIS QVIBVS PRINCEPS TALIS FIT ET ESSE DESINIT.

IO. PHIL. STRVOGT *de modis summum imperium acquirendi.* Ienae 1689.

§. 1385.

Princeps talis fit, si regnum feudum non est, de quo casu infra in iurisprudentia feudali agendum, vel per *successionem*, vel *extra successionem per acquisitionem inter viuos* (§. 315).

§. 1386.

Per successionem princeps talis fit, alio modo si regnum est *regnum patrimoniale*, aliter si est *regnum usufructuarium*, ita vt, *in priori casu obtineat successio hereditaria*, quae vel *immediate per legem* defertur, vel per *defunctum principem. Si vero regnum est usufructuarium regnum, obtinet successio non hereditaria seu singularis.* Per §. 316.

§. 1387.

Successio hereditaria in regnis quae feuda non sunt, conuenit cum successione in dominium allodiale §. 834. seqq. *explicata, tam quoad delationem huius*

succes-

successionis, quam quoad successionem ipsam eiusque effectum; modo norentur 1) *ratione delationis per leges factae, quae dicta sunt §. 829. non nisi tum locum habere, si in casu ibi dicto potestas ciuilis non redit ad populum, quod toties fit, quoties regnum per delationem potestatis ciuilis a populo factam patrimoniale est.* Praeter hanc differentiam enim, cessat omnis alia differentiae ratio.

Das Recht des Monarchen in willkührlicher Bestellung der Reichsfolge. Berlin 1724 4.

§. 1388.

Successio singularis in regnis est vel *electiua successio*, vel *successio ex pacto et prouidentia maiorum* (§. 324), pro qua diuersitate etiam regna vsufructuaria diuidi solent in *electiua* (Wahlreiche), et *hereditaria* seu *successoria* (Erbreiche), quibus alii addunt *regna mixtae successionis*.

GOTTFR. ACHENWALL *de regni mixtae successionis.* Gott. 1762.

§. 1389.

Quae de successione singulari in dominium allodiali, tam quoad delationem huius successionis, quam quoad hanc successionem ipsam, eiusque effectum, dicta sunt §. 877. segq. valent etiam de successione singulari in regna quae feuda non sunt, cum nulla hic allegari possit ratio differentiae. *Hoc loco* itaque *non nisi specialia quaedam de hac successione addenda.*

§. 1390.

Quod itaque attinet successionem electiuam in regna vsufructuaria, de ea speciatim notandum 1) *ius*

1) *ius eligendi principem esse penes populum, vel eum coetum, cui vel quibus, a populo concessum*; 2) *qualitates candidati ius publicum uniuersale viterius non determinare, quam quod talis esse debeat, qui aptus est ad regimen publicum ad quod eligitur*; 3) *electionem tam regno vacante, quam non vacante, et in vltimo casu, inscio et inuito principe regente, fieri posse*; 4) *facta electione, eaque acceptata, principem talem esse, nisi electio sub conditione sponsionis in capitulationem facta, tum enim, demum ea facta, princeps electus fit princeps regens*

CARL. GOTTL. WEIDLICH *de iure principis in regno electiuo circa prospiciendum reipublicae successorem.* Lipl. 1729.

§. 1391.

Quoad successionem ex pacto et prouidentia maiorum in regna vsufructuaria vero speciatim notandum 1) *si ius succedendi ad posteritatem primi acquirentis restrictum, eam constituere stirpem regnatricem, eaque extincta redire potestatem ciuilem ad populum*; 2) *si eum qui ex stirpe regnatrice est, tangit successionis ordo, eum principem regentem esse absque noua delatione.*

§. 1392.

Circa successionem princeps talis fit 1) *per se*, vel per *occupationem potestatis ciuilis regni*; vel per *cessionem a principe regente et factam*; vel per *praescriptionem acquisitiuam* 2) *per consequentiam*, quorsum pertinet, si quis in casu quo plura regna sunt coniuncta, per acquisitionem regni principalis, fit simul princeps regni accessorii (§. 1382.).

§. 1393.

Inter hos modos quibus princeps citra successionem talis fit, quoad 1) *praescriptionem* hic locum habent, quae de praescriptione acquisitiua in genere §. 336. dicta sunt; 2) *cessionem*, ea fieri nequit, nisi vel regnum est regnum patrimoniale, vel, si vsufructuarium regnum est electiuum, populus consentit, 3) *occupationem*, ea vel *homines adhuc in libertate naturali viuentes potestati ciuili subiiciendo*; vel *potestatem ciuilem regno vacante populo vi eripiendo*; vel *principem qui potestatem ciuilem regni habet ea priuando*, fit. Huius occupationis iniustitia vero ex infra, in doctrina de belligeratione dicendis, diiudicanda est.

§. 1394.

His de ipsis modis, quibus principes talis fit, praemissis, generatim adhuc notandum 1) *si princeps vno alterove modo talis factus, nec quandam inaugurationis solennitatem requisiuit vt talis fiat, nec opus esse fieri praestationem homagii*, quod est iuramentum promissorium subditorum, quo subiectionem ciuilem promittunt, vel *principis iuratam promissionem, qua se obstringit ad legum fundamentalium regni obseruantiam, citra casum sponsionis in capitulationem, de qua supra* (§. 1390.); 2) si quis potestatem ciuilem, quam legitime non acquisiuit, tanquam princeps exercet, eum dici *vsurpatorem regni* seu *tyrannum titulo talem*; 3) si adsunt qui in casu dubio certant inter se, quis sit legitimus princeps, eos dici *aemulos* seu *competitores regni*. De vsurpatoribus et aemulis specialia quaedam addenda.

§. 1395.

§. 1395.

Quoad vsurpatores duplex a se inuicem distinguendus est casus. Aer enim, dum inuasor regnum inuadit, *illud vacat*, neque populus est sui iuris, nur *adest legitimus princeps*, neque populus est alieni iuris. *Si quis inuadit regnum cum populus sui iuris est, populus ius habet se defendendi, neque resistere amplius nequit, victus populus libertatem suam non amittit, sed manet sui iuris, et vsurpator pro principe, nec respectu populi quem subegit, nec respectu aliorum habendus, omnia, quae quae agit sunt ipso iure nulla. Dependet tamen a libertate populi an eum agnoscere velit pro legitimo principe, eaque agnitione facta est princeps legitimus.* Quum enim potestas ciuilis populi sui iuris sit ei propria (§. 1264.), laedere vult inuasor regem populum, ergo se defendere potest (§. 286.). Dum vero actu exercet potestatem ciuilem populi tyrannus seu vsurpator, tunc iure hoc facit (§. prael.), neque pro legitimo principe haberi nequit. Quod vero facta agnitione populi legitimus princeps sit, inde patet, quoniam populus est sui iuris (per hypoth.), neque nemini facit per agnitionem iniuriam, et de sua potestate ciuili disponere potest prout ei commodum videtur (§. 1264.). *Aft, si quis inuadit populum alieni iuris, neque legitimum principem desiere vult, populus ei adsistere debet, ad repellendum inuasorem. Quodsi hoc fieri nequit, et inuasor legitimo rege exacto vsurpat potestatem ciuilem, officia populi erga principem suum legitimum, et eius ius, ideo non cessant, sed quiescunt tantum, quia-*

tenus illa expleri, et haec exerceri, impedit vsurpator. Omnia ab vsurpatore gesta vero sunt nulla, et sic nemini ius dant, prout etiam nec principem legitimum, nec populum, obligant. Quicquid enim agit inuasor et vsurpator regni sine iure agit (§. praec.).

HENR COCCEII *de regimine vsurpatoris rege sancto.* Francf. 1705.

§ 1396.

Quoad aemulos seu competitores regni, iidem duo casus sunt distinguendi. Aut enim *nemo aemulorum lite orta in possessione est*, aut *vnus eorum est in possessione. Si posterius populus sequi debet possessionem. Si vero prius, populus neutri eorum auxilium ferre debet, sed potius exspectare euentum, sique interea, dum lis nondum composita, vnus alterue aemulorum possessionem vi apprehendere vult, aut actu apprehendit, idem valet quod de inuasore et vsurpatore §. praeced. dictum. Lite vero finita, populus eum pro legitimo principe agnoscere debet, quem alter aemulorum pro eo agnoscit, nec hic attendendum, quod populus totus, vel eius pars maior, alteri aemulorum adhaereat. Quodsi tamen lis aemulorum tam diuturna et funesta, vt populus sine metu totalis euersionis reipublicae, litis exitum exspectare nequeat, licet ei quidem iure necessitatis cum vno alterove aemulorum, cum quo e re sua esse ducit, communem causam facere, alter vero ideo ius suum non amittit.* Praesupponendum hic aemulorum ius dubium esse (§. 1394.), et populo non competere ius hanc controuersiam aemulorum decidendi, quippe qui ei non sunt subiecti. Debet itaque

que populus nullo modo se immiscere, sicque, si alter possidet, possessionem sequi, et enim, qui possessionem apprehendit, non magis ac alterum pro legitimo principe agnoscere, indeque hicidem valere debet, quod §. praec. dictum. Caeterum quae de casu necessitatis dicta sunt ex §. 305. facile deduci possunt.

GODF. ACHENWALL *de iure in aemulum regni vulgo Praetendentem.* Marb. 1757.

§. 1397.

Sufficiant haec de modis quibus princeps talis sit. Talis esse desinit aliter si est *princeps regens*, aliter si est *princeps futurus*.

§. 1398.

Princeps regens talis esse desinit, *per regni interitum, tot modis, quot modis regni interitus concipi potest.* Ast, regno ipso subsistente, princeps regens talis esse desinit, tam per *mortem*, quam *aliis modis praeter mortem*, id quod iterum fit, vel *per acquisitionem potestatis ciuilis regni ab alio factam praeter successionem*, dictis §. 1392. modis, vel *non*, quorsum pertinent *abdicatio* et *priuatio a populo facta*, de quibus duobus posterioribus modis speciatim agendum.

§. 1399.

Abdicatione princeps regens talis esse desinit, si sponte renunciat potestati ciuili regni sibi competenti, eaque dicitur, si tacite fit, *regni derelictio.*

§. 1400.

Abdicatio dependet a principis regnantis arbitrio, nec indiget populi consensu. Princeps enim per acquisitionem potestatis ciuilis se non obligauit ad regnandum quamdiu viuit.

§. 1401.

Per priuationem regni princeps talis esse definit duplici modo. Vel per priuationem a populo factam, quae dicitur *dethronisatio*, vel per priuationem factam ab eo cuius potestati ciuili princeps dependens subiectus est, quae dicitur *principis depositio*.

§. 1402.

Licet depositio principis regnantis, dependentis a superiore suo, cui ciuiliter subiectus est, vi potestatis ciuilis fieri possit, in poenam male administrati regiminis: dethronisatio tamen in poenam minquam fieri potest, licet populus denegando subiectionem ei-sdem, sicque principem pro suo principe non ampliue agnoscendo, dethronisare possit eum, si manifesto transgrediatur potestatis sibi competentis limites, ita, vt totius regni salus publica turbetur, sicque est *tyrannus exercitio talis.* Ast si princeps, vel *non nisi in vna alteraue parte potestatis ciuilis limites eius transgrediatur*, vel *non nisi partis regni salus publica turbatur, non dethronisatio, sed in priori casu inobedientia et resistentia tantum, in posteriori vero tantum subductio eorum, qui opprimuntur, locum habet.* Quae dicta sunt de depositione ex natura potestatis

tis ciuilis, quae vero de dethronisatione, resistentia et subductione dicta, ex iure defensionis deducenda sunt. Dethronisationem a populo in poenam nunquam fieri posse patet per §. 1273.

IO. CHIL. FALTENIVS *de dethronisatione.* Gryph. 1704.

§. 1403.

Quod attinet *principes futuros*, ii non solum *iisdem modis, quibus principes regentes tales esse desinunt, si discesseris a priuatione quae dethronisatione et depositione sit* (§. praec.): sed et praeterea per *promotionem tales esse desinunt*, dum nimirum fiunt regno vacante principes regentes. Per §. 1339.

§. 1404.

Caeterum, *nec principes regentes, nec principes futuri, tales esse desinunt per captiuitatem, vel si incidunt in furorem et dementiam; licet captiuitas et dementia principis regentis efficiant potestatis suae exercitium quiescere, et quidem, si est demens, in totum, si vero captiuus est, in tantum, in quantum captiuitas impedit eius exercitium.* Quiescentia per se patet, amissio potestatis ciuilis ipsius vero inde non fluit.

CARL. LVDOLPH. L. B. *de* DANCKELMANN *de pactis et mandatis principi coprini.* Halae 1710.

& VRID. PLATNER *de pactis principum captiuorum* Lipf. 1754.

TIT. III.

DE

MODIS QVIBVS STATVS ET VICARII REGNORVM TALES FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 1405.

Status seu ordines regni talis fiunt vel *originarie*, vel *derivative*, prout vel tale ius status regni acquirunt, quod alius ante eos nondum habuit, vel tale, quod alius ante eos habuit cui succedunt.

§. 1406

Status regni tales fieri originarie duplici modo concipi potest. Vel enim tales fiunt status ab initio, dum respublica, quae demum oritur, ita ordinatur, vt regnum quod habet status regni fiat, seu iam existens respublica alius formae in regnum quod habet status transformatur; vel tales fiunt, postquam regnum tale iam adest quod habet status, ita, vt numerus collegii statuum regni per adiunctionem nouorum membrorum eius augeatur. *In priori casu* itaque *status imperii tales fiunt dum ordinatur regnum ab eius membris, in posteriori casu vero demum regno iam ordinato tales fiunt.*

§. 1407.

Status regni derivative tales fiunt, vel per *successionem*, si ad iura familiae, vel iura certis praediis inhaerentia, pertinet aliquem in numerum statuum seu ordinum regni esse recipiendum, vel per *electionem*, si collegium optimatum, seu popu-

populus, designat noua corporis statuum regni membra.

§. 1408.

Qualis modus ordines regni constituendi obtinere debeat; quantus esse debeat eorum numerus; quinam tales fieri possint; an temporii vel perpetui esse debeant, dependet, si regnum ordinandum ab eius membris, *a voluntate eorum simul sumtorum, quae hac de re leges condere possint, quae valent tanquam leges fundamentales. Postquam vero haec*, regno ordinato, *per leges fundamentales determinata sunt, nec princeps solus, nec ordines regni soli, nec reliquus populus solus, aliquid mutare possunt, sed horum omnium consensus requiritur, nisi quod in interregno ordinum regni et populi consensu mutatio fieri possit.* Prius ex hypothesi fluit. Posterius inde, quod, regno semel ordinato, non nisi per contrariam voluntatem eorum, qui illud ordinarunt et adsunt, mutatio fieri possit.

§. 1409.

Status regni tales esse desinunt praeter mortem per *regni, aut formae eius talis, quod status habeat, interitum; resignationem* et *exclusionem a corpore statuum regni; praescriptionem iuris voti et sessionis extinctiuam*; et *praedii cui inhaeret amissionem*, quae omnia per se patent. Quod vero attinet in specie *resignationem*, adhuc notandum, *eam tum non valere, si adest casus in quo, vi potestatis ciuilis eminentis, status regni cogi potest vt in numero ordinum regni maneat.*

§. 1410.

Quod attinet *vicarios regnorum*, ii qui sunt vicarii populi, tales fiunt per *constitutionem populi seu iura eius exercentium ordinum regni, qui vel domum interregno existente vicarium seu plures vicarios eligit, vel per leges fundamentales generatim determinat, quis ex membris respublicae hunc vicariatum, quoties casu existente, gerere debeat.* Vicarios *suos* vero *princeps sibi ipse constituit*, sique ipse eos constituere, vel non potest, vel non vult, quando adest *princeps futurus qui ad hunc vicariatum habilis est*, is, et inter plures principes futuros, proximus, vicarius est, si *vero nec talis adest*, populus ius habet vicarium principis constituendi. Per definitiones vicarii populi et principis §. 1352. Quod vero de iure principis futuri ad vicariatum dictum, inde deducendum, quod, licet non in totum, tamen quoad exercitium potestatis ciuilis, iam vacet thronus, si princeps regnans impeditur quo minus regimen continuare possit.

§. 1411.

Hinc fluit 1) *non dari tutelam principis publicam testamentariam*; 2) *vicarios respublicae qua tales non esse vicarios principis.*

§. 1412.

Vicarios tales esse definire *diuerso modo*, prout *vel respublicae, vel principis vicarii sunt*, et *quomodo cesset vterque vicarius*, ex dictis de vicariis §. 1352 seqq. per se patet.

TIT.

TIT. IV.

DE MODIS QVIBVS OPTIMATES ET SENATORES TALES FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 1413.

Optimates tales fiunt, vt status regni (§. 1405.), vel *originarie*, vel *derivative*, aut per *successionem*, si ad iura familiae, aut iura certis praediis inhaerentia, pertinet aliquem in numerum optimatium esse cooptandum, tumque *aristocratia*, seu *respublica aristocratico-democratica*, dicitur *hereditaria*, aut per *electionem*, si collegium optimatium seu populus designat noua collegii optimatium membra, tumque *aristocratia*, seu *respublica aristocratico-democratica*, dicitur *electitia.*

§. 1414.

Qualis modus optimates constituendi obtinere debeat; quantus esse debeat eorum numerus; quinam optimates fieri possint; an temporarii vel perpetui esse debeant, dependet, si aristocratia, vel respublica aristocratico-democratica, ordinanda, *a voluntate membrorum reipublicae simul sumtorum, quae hac de re leges condere possunt, quae valent tanquam leges fundamentales. Postquam vero* ordinata aristocratia, et leges hac de re conditae, *nec solus populus, nec solum collegium optimatum, has leges mutare possunt.* Per ea quae dicta sunt §. 1408.

§. 1415.

Quae de modis quibus status regnorum tales esse desinunt §. 1409. *dicta sunt, valent etiam mutatis mutandis de optimatibus.*

§. 1416.

§. 1416.

Quod porro attinet *senatores rerumpublicarum in specie sic dictarum*, modi quibus *fiunt* et *esse desinunt*, conueniunt cum modis quibus optimates tales fiunt et esse desinunt.

TIT. V.
DE
MODIS QVIBVS OFFICIALES PVBLICI TALES FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 1417.

Officiales publici tales fiunt aliter, si officia publica sunt *officia hereditaria*, talia nimirum, quae, vel ad iura familiae, vel ad iura certis rebus inhaerentia, pertinent, aliter si *talia non sunt*. In *priori* casu enim officii acquisitio fit, vel per *successionem singularem ex pacto et prouidentia maiorum*, vel per *rei cui inhaeret acquisitionem*, ita vt in vtroque casu accedere possit *immissio in officii possessionem*. In *posteriori casu* vero officialis talis fit, per *designationem personae ad officium promouendae et subsequentem vocationem eiusque acceptationem*, cui et hic *immissio in officii possessionem* accedere potest.

§. 1418.

Quoad modos quibus officiales publici tales esse desinunt notandum, hoc fieri per 1) *mortem*, ita vt cum die mortis cesset salarium; 2) *dimissionem*, quae est renunciationis officii ab officiali factae approbatio; 3) *translationem*, quae est promotio

motio ad aliud officium priori amisso; 4) *remotionem* seu *depositionem*, quae est priuatio officii inuito officiali facta.

PARS II.
DE SINGVLIS PARTIBVS POTESTATIS CIVILIS ET IIS RESPONDENTIBVS OBLIGATIONIBVS.

CASPER ZIEGLER *de iuribus maiestaticis.* Vit. 1673. edit. noua 1710. 4.

§. 1419.

Absoluta nunc parte generali iuris publici, de singulis partibus potestatis ciuilis, et obligationibus subditorum iis respondentibus, agendum. In hac theoria vero distinguendum inter *subditos in genere consideratos*, et *societates in republica existentes in specie*.

LIBER I.
DE
SINGVLIS PARTIBVS POTESTATIS CIVILIS ET IIS RESPONDENTIBVS OBLIGATIONIBVS QVOAD SVBDITOS IN GENERE.

§. 1420.

In hac tractatione, quam sibi vindicat liber primus, distinguendum est inter partes potestatis ciuilis *generales*, quae nullam certam salutis publicae

partem

partem pro obiecto habent, et *speciales*, quae versantur circa certam quandam salutis publicae partem. De singulis sigillatim agendum.

SECTIO I
DE
PARTIBVS POTESTATIS CIVILIS GENERALIBVS

§. 1421.

Partes potestatis ciuilis generales, conueniunt cum partibus generalibus cuiuscunque potestatis (§. 429), hincque sunt potestas ciuilis *rectoria*, *inspectoria* et *executoria*.

TIT. I.
DE
POTESTATE CIVILI RECTORIA.

§. 1422.

Potestas ciuilis rectoria est pars potestatis ciuilis, vi cuius superior reipublicae determinat, quid salutis publicae causa fieri, vel non fieri, debeat.

§. 1423.

Potestas ciuilis rectoria itaque, tam circa ea versatur, quae saluti publicae contraria hactenus tolerata sunt, vt ei conformentur: quam circa ea quae talia non sunt. In priori casu dicitur *potestas reformandi* seu *ius reformandi*, in posteriori casu vero, *stricte potestas rectoria* appellatur.

§. 1424.

§. 1424.

Si superior vi potestatis rectoriae, tam in specie sic dictae, quam potestatis reformandi, determinat quid saluti publicae causa fieri, vel non fieri, debeat, hoc fit, vel in genere, vel in actu determinato. Quatenus in genere hoc fit, exercetur *potestas legislatoria*. Quatenus vero hoc fit in actu determinato, inde oritur *potestas mandandi*. De vtraque hac potestate specialia quaedam notanda.

§. 1425.

Potestas legislatoria est pars potestatis ciuilis rectoriae, vi cuius superior per leges determinat, quid saluti publicae causa fieri, vel non fieri, debeat. Vnde patet 1) *hic legem sumi in sensu strictissimo* (§. 135.) et 2) *potestatem legislatoriam non nisi circa tales leges versari, quae determinant subditorum actiones iisque praescribuntur vi potestatis ciuilis, sicque tales quae sunt leges positiuae ciuiles seu priuatae, diuersae a legibus fundamentalibus.*

§. 1426.

Quoties superior determinat quae leges, et quatenus eae, a subditis obseruandae, vt et legum obscurarum sensum determinat, potestatem legislatoriam exercet. Per §. praec.

§. 1427.

Potestas legislatoria varia iura in se continet, quae sunt ius 1) *nouas leges ferendi*; 2) *leges peregrinas recipiendi*; 3) *leges in republica valentes mutandi*, siue fiat *abrogando*, siue *derogando*, siue *obrogando*; 4) *leges authentice interpretandi*; 5) *pri-*

uilegian-

legiandi, quod eſt ius, vel antecedenter, vel ſubſequentur, exemtionem a lege, ad actum determinatum non reſtrictam, concedendi. Quod haec intra poteſtas legislatoria ſub ſe contineat, inde patet, quod vel ſenſus legis omnia haec iura in eo contineant, quod ea exercendo determinetur vel quae regulae, et quatenus eae, in republica vt leges valere debeant. Ergo §. 1246.

§. 1428.

Poteſtatis legislatoriae limites naturales ſunt hi, quod ſuperior 1) *leges extendere nequeat ad eas ſubditorum actiones, ad quas vt libertatis ſubditorum ciuilis extendi nequit poteſtas ciuilis* (§. 1272) ſicque *non reformare debeat quod ciuiliter indifferens eſt*; 2) *leges ciuiles legibus naturalibus plane contrarias, nec ferre, nec recipere, poſſit, ſed potius leges ciuiles in reſpectu ad leges naturales tales eſſe debeant, quae vis, vel aliquid addunt, vel aliquid detrahant*, (§. 140.) *ſalati reipublicae conuenienter*; 3) *in priuilegiando ſuperior ſalutis publicae rationem habere debeat, ita, vt non niſi vi poteſtatis ciuilis eminentis ei hoc ius competat, vt non niſi quoad leges quae a poteſtate legislatoria ſibi competente dependent.* Ad 1) vid §. 1259. Ad 2) §. 138. Ad 3) §. 1261.

WERLHOFF *de poteſtate legislatoria circa ea quae ſunt iuris naturae.* Helmſt. 1692.

§. 1429.

Poteſtati legislatoriae in ſuperiore, reſpondet in ſubditis obligatio, regulis, quas vt leges valere ſuperior vult, actiones ſuas conformandi, et quidem ſi ſunt

ſi ſunt ciues et incolae, *ſimpliciter*, *ſi vero* ſubditi temporarii *ſunt*, *quatenus et eos iis parere ſalus publica exigit*, et, *ſi* forenſes *ſunt*, *quatenus res concernunt. Alt tamen ſubditi per diſpoſitiones*, *veluti vltimas voluntates et pacta, iura et obligationes inter ſe aliter determinare poſſunt quam legislator per leges ciuiles determinauit eas, modo hae diſpoſitiones non ſint legibus ciuilibus prohibitiuis, et in genere ſalutis publicae, contrariae*, ſicque iuris naturalis eſt regula: *ius publicum pactis priuatorum immutari nequit.* Prius patet per §. 1372. Alt, quae de libertate ſubditorum dicta ſunt, ſub limitationibus adiectis ſubiectioni ciuili non repugnant, quid itaque obſtat, quo minus iis hoc liceret?

§. 1430.

Quod attinet alteram poteſtatis ciuilis rectoriae partem, nimirum *poteſtatem mandandi*, ea eſt ius ſuperioris determinandi, quid in actu determinato fieri, vel non fieri, debeat. Ipſa diſpoſitio ſuperioris vero, quid fieri, vel non fieri, velit in actu determinato, dicitur *mandatum ſuperioris*, quod in ſpecie *diſpenſatio* eſt, ſi continet exemtionem a lege in actu determinato.

§. 1431.

A mandato ſuperioris itaque *differunt leges in eo, quod leges certum caſum non reſpiciant, ſed in genere actiones ſubditorum dirigant.* Species mandatorum vero ſunt *reſcripta* et *epiſtolmata.* Si enim ſuperior ad preces praemias per ſcripturam mandat, dicitur illa ſcriptura *reſcriptum*, et in ge-

nere, quoties mandatum eo tendit, vt certum negotium ab eo, ad quem directum, expediatur, *epistalma* dicitur.

§. 1432.

Potestatis mandandi limites naturales conueniunt cum limitibus naturalibus potestatis legislatoriae superioris. Ob identitatem rationis enim de limitibus huius iuris valet, quod de potestatis legislatoriae limitibus dictum.

§. 1433.

Si non adest casus quo cessat in genere subditi obligatio ad obsequium (§. 1270), *hincque limites potestatis mandandi naturales superior non transgreditur, subditi, ad quos superior mandata sua dirigit ea exsequi debent strictissime, et quidem, si periculum in mora, simpliciter, minimum quatenus periculum in mora est. Si vero periculum in mora non est, et quatenus periculum in mora non est, et ad quem mandatum directum executionem eius differre licet, et supplicando causas quare non exponere, si nimis durum, et iniquum, vel, quod idem est, superiorem non recte informatum esse, videtur. Quodsi vero facta supplicatione superior instat executioni mandati, illud exequendum.* Per §. 1270. Quod vero inter casum quo adest periculum in mora, vel non, distinguendum sit, inde defendo, quoniam secundum regulam: in dubio tutius eligendum est, ita procedendum esse pro casuum diuersitate facile demonstrari potest.

§. 1434.

§. 1434.

Quoad quaestionem: *an mandatum faciat ius* hoc est, *ad casus futuros extendendum, sicque legis vim habeat?* respondendum: *omnia eo redire, an superior, vel expresse, vel tacite declarauerit, mandatum ad casus futuros extendendum esse.*

IVST. HENN. BOEHMERI sub praes. STRYKII defensa Dissi *de iure epistalmatis.* Halae 1699.

TIT. II.
DE
POTESTATE CIVILI INSPECTORIA.

§. 1435.

Potestas ciuilis *inspectoria* seu *ius supremae inspectionis ciuilis* est pars potestatis ciuilis, vi cuius superior salutis publicae causa inquirit, quid fiat, vel non.

§. 1436.

Potestas ciuilis inspectoria sub se continet omnia iura quae eo tendunt vt potestas quid agant subditi, si salus publica periclitatur nisi hoc fiat. Per §. praec. et §. 416.

§. 1437.

Possunt itaque ad potestatis ciuilis inspectoriae partes referri, et per consequens superiori competunt vi huius potestatis, quoties salus publica hoc exigit, ius 1) *visitandi*, quod est ius in re praesenti inquirendi in statum alicuius rei, sic-

que eius species est *ius perscrutationis domesticae*; 2) *exigendi rationum redditionem ab administratoribus bonorum, tam publicorum, quàm etiam priuatorum, si, dum male administrantur, salus publica periclitatur*; 3) *tuiungendi fidelitis et petant confirmationem eorum quae agunt*; 4) *reuelationem arcanorum a subditis exigendi*; 5) *litteras informatorias postulandi*; 6) *inspectores et delatores constituendi.*

§. 1438.

Caeterum ex dictis facile constat *superiorem limites naturales potestatis inspectoriae transgredi, si, cum nulla adest suspicio salutem publicam periclitari, dicta iura exercet*, velut *subditum cogit ad manifestandum arcanum artificium, aut prodendum arcana alia.*

CHRIST. FERDIN. HARPRECHT *de iure principis circa artes subditorum singulares et arcanas.* Tub. 1753.

TIT. III.
DE
POTESTATE CIVILI EXSECVTORIA.

§. 1439.

Potestas ciuilis exsecutoria est pars potestatis ciuilis, vi cuius superior saluis publicae causa efficit, actu fieri vel non fieri, quod fieri vel non fieri, debet.

§. 1440.

Potestas exsecutoria itaque sub se continet *ius exsequendi in specie sic dictum*, quod est ius subditos ad expletionem perfectarum obligationum cogendi

di; 2) *foederum*, quod est ius, per pacta cum exteris gentibus inita, iura et obligationes inter rempublicam quam regit et gentes exteras determinandi. 3) *legationum*, quod est ius per legatos cum exteris gentibus negotia publica tractandi: 4) *committendi*, quod est ius aliquem extra ordinem vi specialis concessionis constituendi, ad certi negotii publici expedionem, qui dicitur *commissarius* 5) *de officiis, institutis et actibus publicis disponendi*; 6) *ea definiendi quae influunt in subditorum existimationem ciuilem.* Licet vero huc etiam referri possit ius *pacisendi contractum ex potestati ciuili fluens*, de eo tamen non hic, sed in iure criminali, agendum.

§. 1441.

Quod attinet in specie 1) ius de officiis publicis disponendi, hoc ius, tam ius de *ipsis* officiis publicis disponendi, quam iura superioris quoad *officiales publicos*, sub se continet.

§. 1442.

Quoad *ipsa officia publica* itaque superiori competit ius 1) *noua officia publica constituendi, introducta abrogandi, limites cuiuslibet officii determinandi*; 2) *potestatem cuilibet officio cohaerentem definiendi*, velut *an et quatenus potestas rectoria, inspectoria et executoria, vi officii publici nomine superioris ab eo exercenda qui officium publicum habet.* Alit tamen vi §. 231. *tacite semper pro concessa habenda ea potestas, sine qua, si officio non cohaereret, exerceri nequit officium commissum, nec tamen, vel*

aliis officiis haec potestas annexa, vel ipse superior talis potestatis exercitium sibi expresse reseruauit.

§. 1443.

Quoad *officiales publicos*, per quos officium publicum administratur, vero, superiori competit, 1) *constitutio eorum, nisi officium sit hereditarium* (§. 1417.) *ita vt, si desint habiles qui sponte officia publica suscipere volunt, subditos vi potestatis ciuilis eminentis cogere possit ad officia publica, et, si habiles constituit, liceat ei vel gratis, vel pro certo pretio, officia publica conferre;* 2) *eorum remotio, vel translocatio;* 3) *ius expectatiuam largiendi in officium vacaturum, et officiali alium adiungendi, inscio et inuito officiali qui officio fungitur;* 4) *ius, quamdiu officialis dimissionem non impetrauit, quam, licet petat officialis, superior denegare potest, nisi non deficiat alter aeque habilis, ab eo postulandi rationum redditionum et fidelitatem in rebus officii, si velit iuramento promissorio confirmandam*, vnde oritur *fidelitas officialis*, diuersa a fidelitate feudali (§. 963.) et *iuramentum officialium*, a vasallagio et homagio (§. 978.) diuersum. Quum reliqua propositionis membra ex natura officialis publici per se fluant, quoad ea quae de remotione et dimissione dicta sunt, tantum monendum, eum, cui officium publicum collatum, inde non acquisiuisse ius in eo officio perpetuo manendi, licet vi officiorum subditorum erga superiorem acquiescere debeat, si petita dimissio a superiore denegatur (§. 1271).

THIL. ADAM *de* MVNCHHAVSEN sub praes. NORIMBERG. *de iure principis circa dimissionem ministrorum.* Haine 1716.

IDEM *de iure exigendi a principe dimissionem.* Ibid. eod.

§. 1444.

Quod attinet II) ius committendi, *illud superiori eatenus competit, quod, licet negotium quod commissario expediendum committitur, sub limitibus officii cuiusdam officialis contentum, nihilominus ad illud, si salus publica requirit, commissarium, nominare possit, et tum officium officialis eatenus quiescit quatenus commissario expediendum commissum. Siue vero superior vnum, siue plures commissarios nominet, perinde est, modo, si plures coniunctim nominati sunt, vnus absque altero nihil suscipiat. Caeterum quae de officialibus dicta sunt §. praec. mutatis mutandis valent etiam de commissariis.* Per definitionem commissarii (§. 1440.) et officialis publici (§. 1358.).

§. 1445.

Quod III) attinet ius *ea definiendi quae influunt in subditorum existimationem ciuilem*, huc pertinet ius superioris *ordines ciuium* (Stände), qui sunt classes ciuium, secundum quas certis praerogatiuis praealiis fruuntur, quae per natiuitatem in posteros propagantur, et *dignitates ciuiles* (Würden), quae sunt vi potestatis ciuilis imposita signa distinctiua personalia, quae solum externum honorem in republica augent, *tam introducendi, quam conferendi huic vel illi, modo mereatur*; 2) *legitimandi, si*

ex legibus ciuilibus macula adhaeret illegitime natis, ad effectum delendae maculae; 3) *praecedentiam*, *et quae sunt huius generis alia*, *pro meritorum diuersitate*, *determinandi*. *Vt* itaque *superior sit fons omnium ordinum et dignitatum*, *iisque annexorum*.

SECTIO. II.

DE PARTIBVS POTESTATIS CIVILIS SPECIALIBVS.

§. 1446.

Cum partes potestatis ciuilis speciales sint, quae certam partem salutis publicae concernunt, per §. 1420. facile patet, tales esse quae versantur circa *publicam securitatem*, *tranquillitatem*, *iustitiae administrationem*, *vitae sufficientiam* et *bonorum publicorum sufficientiam* § 1237. Nunc itaque de his partibus potestatis publicae agendum, praeterea, quae versatur circa tranquillitatem publicam, et sub *potestatis criminalis* nomine venit, in iurisprudentia criminali explicanda. Reliquae partes vero sunt potestas *bellica*, *politica*, *cameralis* et *iudiciaria*.

TIT. I.

DE POTESTATE BELLICA.

§. 1447.

Res bellica (das Kriegeswesen) est complexus omnium eorum, quae securitatem publicam concernunt, et *potestas bellica* est pars specialis potestatis ciuilis quae versatur circa rem bellicam.

§. 1448.

§. 1448.

Quum saepius ad doctrinam iuris publici de potestate bellica referri soleant, quae huc non pertinent, ante omnia notandum huc referri non posse doctrinas de 1) *iuribus et obligationibus militum qua talium quoad alios subditos*; 2) *eo quod iustum sit circa ipsam belligerationem quoad hostes reipublicae cum quibus bellum geritur*, *tam ratione iustitiae causae belli*, *quam ipsius modi bellum gerendi*; 3) *iure superioris subditos*, *per vim contra eos exercendam*, *cogendi ad obsequium*, *sicque potestatem executoriam in specie sic dictam cum bellica potestate non esse confundendam*, *nec quid hic iustum sit ex principiis de potestate bellica decidendum esse*. Haec omnia enim securitatem publicam externam, sicque rem bellicam, non concernunt. Ergo §. praec.

§. 1449.

Quoties ius tale est, *vt sine eo securitas publica obtineri nequeat*, *toties est ius maiestaticum quod circa rem bellicam versatur*, *sicque ad potestatem bellicam referri debet*. Per §. 1447.

§. 1450.

Quum itaque, vt securitas publica obtineri possit, requiratur tam belligeratio ipsa, quam determinari et ordinari quae tanquam media se habent ad belligerationem, patet; *bellicam potestatem generatim sub se comprehendere* I) *ius belligerandi*, quod est ius de ipsa belligeratione disponendi; II) *potestatem bellicam in specie sic dictam*,

quae eſt ius determinandi et ordinandi ea, quae tanquam media ſe habent ad belligerationem.

§. 1451.

Quod itaque attinet 1) *poteſtatem belliçam in ſpecie ſic dictam*, ea ſub comprehendit ius 1) *legendi* et *conducendi* ſeu *conſcribendi milites*, qui ſunt perſonae quae eum in finem a ſuperiore aſſumtae, vt ei praeſtent operas quae rem militarem concernunt, in vi inferenda et repellenda, et vel *terreſtres*, vel *nauales* (Schiffsſoldaten, Matroſen), vt et vel *lecti*, qui vi ſubiectionis ciuilis militant, vel *conducticii*, qui mercede conducti militant, ſunt; indeque *militum lectorum obligatio militandi ex ſubiectione ciuili*, *conductorum vero ex ſpeciali pacto*, *venit*, et differunt inter ſe *ius milites legendi*, quod eſt ius ſubditos euocandi ad militiam lectam conſtituendam, et *ius milites conducendi* ſeu *conſcribendi*, quod eſt ius conducendi perſonas quascunque ad militiam conducticiam conſtituendam; 2) *ſequelae armatae* (das Recht des allgemeinen Aufgeboths), quod eſt ius ſubditis, qui milites non ſunt, mandandi vt arma ſumant contra hoſtes; 3) *priuilegiandi excurſores maritimos* (Capers, Freybeuter), qui auctoritate ſuperioris, ſuo periculo et ſumtu, vim in mari exercent contra hoſtes, ab iisque differunt *piratae*, (Seerauber) et *corſari*, qui rapinam in mari exercent, et quidem illi priuata auctoritate, hi auctoritate rerumpublicarum, quae hanc ſibi ſumunt licentiam; 4) *naues armandi et claſſes naua-*

les conſtituendi; 5) *fortalitiorum*, quod eſt ius certa loca inſtruendi iis rebus, quae faciunt ad defenſionem eorum contra hoſtium impetum; 6) *praeſidii* ſeu *praeſidiarium*, quod eſt ius certa loca tuendi per milites in iis ſubſiſtentes, qui dicuntur *milites praeſidiarii*, et in vniuerſum ſumti *praeſidium*, ſpeciatim, ſi ad tuenda littora in littoribus ſubſiſtunt, *Kiſtenbewahrer*; 7) *ius conſcribendi exercitum eumque in certas claſſes diſtribuendi*; 8) *armamentaria*, *granaria* et *aeraria militaria erigendi*; 9) *tranſitus militaris* etc. Per §. 1449.

§. 1452.

Inter haec iura, quae ſunt in poteſtate bellica in ſpecie ſic dicta contenta, praeſertim quoad ius milites legendi et conducendi, nec non ius ſequelae armatae, notandum: *ſuperioris eſſe definire* 1) *an milites demum legendi ſeu conducendi ſi belligerandum, an vero tempore pacis milites alendi in caſum belli, ſicque militia perpetua introducenda*; 2) *an militia vel legenda, vel conducenda, vel ex parte legenda, ex parte vero conducenda, et eum vi poteſtatis eminentis ſubditos cogere poſſe ad militiam conducticiam, ſi deſint qui ſponte militare volunt, ſicque milites non ſufficiunt ad reſiſtendum hoſti, vi eiusdem poteſtatis tandem ad extrema progredi et ius ſequelae armatae exercere poſſe*; 3) *militum numerum, mercedem, veſtitum, annonam, arma, modum armis vtendi, et locum vbi ſubſiſtere debent.* Per §. 1449.

GEORG FRID. DEINLIN *an et quatenus ciues ad arma pro republica capienda cogi poſſint.* Altd. 1719.

§. 1453.

§. 1453.

Sufficiant haec de poteſtate bellica in ſpecie ſic dicta. Progredior II) ad *ius belligerandi*, quod vel in reſpectu *ad hoſtes cum quibus bellum geritur* conſideratur, vel in reſpectu *ad rempublicam cui ſuperior praeſt*. Secundum priorem conſiderationem ius belligerandi ad iurisprudentiam practicam ſpectat (§. 15.): vnde hic de eo ſecundum poſteriorem conſiderationem agendum, in qua ſub ſe continet varia iura, quae partim circa *belligerationis initium*, partim *circa ipſas bellicas operationes*, partim circa *belli finem* verſantur.

§. 1454.

Quae circa *belligerationis initium* verſantur iura, ſunt ius 1) *bellum decernendi*; 2) *bellum annuntiandi*; 3) *bellum publicandi*; 4) *auocatoria et deportatoria emittendi*. Circa *operationes bellicas ipſas* verſatur ius 1) *determinandi quae ſpecies licitarum hoſtilitatum exercendae*; 2) *denominandi eos ex praefectis militum, et militibus ipſis, per quos operationes bellicae dirigendae et expediendae*; 3) *definiendi exercitus motum et quietem*. Tandem circa *belli finem* verſatur *ius belligerationem finiendi, vel per ſolam hoſtilitatum omiſſionem, vel per pactionem pacis*, quod ſub ſe continet ius pacem 1) *decernendi*; 2) *publicandi*; 3) *executionem eius peragendi*. Per §. 1449.

§. 1455.

Quum dentur valde notabiles poteſtatis bellicae limites naturales, de iis notandum 1) *in militum*

tum numero definiendo, immo in genere quoad poteſtatem bellicam, ſuperiorem attendere debere reipublicae quam regis intereſſe, non vero priuatum intereſſe, ita vt, ſi respublica minus potens, quae, licet res bellica optime ordinata eſſet, tamen, ob vicinarum gentium potentiam, nunquam viribus ſufficientibus inſtructa fieri poſſet ad repellendam earum iniuriam, res bellica ad externam ſecuritatem publicam quoad gentes vicinas non extendenda; 2) *in coactione ſubditorum ad militiam, eos ſelegendos eſſe qui alio modo reipublicae inſeruire nequeant, quamdiu neceſſitas non eſt tanta, vt et tales militiam ſequi debeant*; 3) *bellum non eſſe decernendum niſi verus neceſſitatis caſus adſit*; 4) *ſanitati et vitae militum parcendum eſſe in bellicis operationibus, ſicque, ſi ex voto non ſuccedere poſſe apparet ſuſceptam operationem bellicam, vel vtilitas publica ex fine obtento ſperanda non tanta, vt tot militum ſanguine redimenda, ab ea abſtinendum*; 5) *belligerationem finiendam eſſe ſine eius obtento, nec cum reipublicae inſigni damno ob ſolam vindictae cupidinem continuandam eſſe*. Per §. 1266.

10. WILH. A LIBT *de officio principis circa bellum ſuſcipiendum*. Halae 1698.

10. FRANC. EVDDEVS *de officio imperantium circa conſcribendum militem*. Halae 1705.

§. 1456.

Haec ſunt iura poteſtatis ciuilis ſpecialia quae bellica poteſtas ſub ſe comprehendit. Vt vero per ea res bellica bene ordinata ſit, iura poteſtatis ciuilis generalia ad rem bellicam applicantur, hincque ſuperior

perior poteſtate *rectoria*, *inſpectoria* et *executoria* quoad rem bellicam vtitur, et inde oriuntur 1) *leges militares*, quae determinant actiones militum qua talium, veluti *articuli militares*, *Exercirreglements* etc.; 2) varia ſubditorum priuilegia quae rem bellicam concernunt, quae tamen potius ſocietatibus in republica exiſtentibus, quam ſingulis ſubditis, concedi ſolent, vide de iis infra pluribus agendum; 3) *mandata bellica* (Kriegesordres; 4) *officia bellica ſpecialia*, quae vel collegiis committuntur, vnde *collegia bellica*, quibus cura rei bellicae generalis commiſſa, vel perſonis ſingulis, vnde *praefecti militum* (Officiers), qui ſunt vel *praefecti ſuperiores* (Oberofficiers), vel *praefecti inferiores* ſeu *ſubpraefecti* (Vnterofficiers); 4) *foedera belli*, quae ſcilicet rem bellicam concernunt etc.

§. 1457.

Quod attinet iura et obligationes ſubditorum erga ſuperiorem quoad rem bellicam, diſtinguendum eſt inter iura et obligationes *ſubditorum qui milites ſunt qua talium*, et *reliquorum ſubditorum*. Quum vero milites ad vnum omnes, non ſoli militum praefecti, ſint in publico officio (§. 1451.), et de officialium publicorum nexu cum ſuperiore in genere ſupra (§. 1443.) actum, applicatis his principiis, et in ſubſidium vocatis quae de militis definitione et ipſa bellica poteſtate in antecedentibus dicta ſunt, *obligationes militum qua talium erga ſuperiorem inde per ſe fluunt*, vnde quoad huius claſſis iura et obligationes nihil addo. Quoad *reliquos*

liquos ſubditos, itidem quidem ex dictis facile conſtat, quae ſint obligationes eorum erga ſuperiorem; aſt tamen inuabit de eorum obligationibus ratione *vſus armorum* et *munimentorum*, *libertatis exteris militandi*, *retorſionis quoad exteros*, haec addi. 1) *Vi poteſtatis bellicae ſuperiori competentis*, *ſubditis quidem non indiſtincte armorum et munimentorum vſus*, *in ſtatu naturali licitus*, *eſt interceptus*: *aſt tamen non licet iis talibus armis ſe inſtruere*, *et res ſuas talibus munimentis inſtruere*, *quae faciunt ad ſecuritatem contra apertum hoſtem*. 2) *Licet per ſe non fluat ex poteſtate bellica ſubditis non licere exteris militandi*, *ſuperior tamen hoc prohibere poteſt*; 3) *Nec ſubditis in genere*, *nec in ſpecie officialibus publicis*, *licet retorquere contra exteros abſque ſuperioris conceſſione*.

§. 1458.

Caeterum ad rem bellicam bene ordinatam in republica, facit etiam varias perſonas adeſſe, quarum, licet milites non ſint, nec, ſi officia publica habent, eorum officia proprie militaria officia dici poſſint, ideo tamen hic mentio facienda, quoniam militibus adſiſtunt. Liceat eas generali nomine *auxiliatores militum* appellare, quales ſunt e. g. *concionatores*; *chirurgi*; *iudices caſtrenſes ſeu auditores*; *ii quibus annonae militaris cura a ſuperiore commiſſa* (das Commiſſariat); *qui exercitum ſequuntur commercii cauſa*; *exploratores*, qui clam ad hoſtem mittuntur, vt per inſidias inquirant quonam in ſtatu ſint res eiusdem et quidnam moliatur, ſicque a militibus qui mittuntur ad recognoſcendum

fcendum diuerli etc. *De his auxiliatoribus, quatenus officia publica administrant, valent quae de officialibus publicis in genere dicta sunt* §. 1442. *seqq.* Quatenus vero tales non sunt, quaestiones quae de iis moueri possunt magis ad ius priuatum, quam publicum pertinent, nisi quod omnino iuris publici quaestio sit: *An miles qua talis, nec non an subditus, cogi possit ad agendum exploratorem?* Quoad militem, respondeo: *quod non*, quoniam non nisi ad vim inferendam et repellendam qua talis obligatus est (§. 1451.). Quoad subditum vero, *quod sic, si adest casus extremae necessitatis.* Per §. 1263.

TIT. III.

DE POTESTATE POLITICA.

§. 1459.

Res politica (das Policeiwesen) est complexus omnium eorum quae concernunt publicam vitae sufficientiam (§ 1237). *Potestas politica* vero, est pars potestatis ciuilis specialis, quae versatur circa rem politicam.

§. 1460.

Quum res politica latissimum habeat ambitum, prout ex definitione eius patet, et omne ius quod vel eo reddit, vt immediate in iis, quae ad rem politicam spectant, salus publica promoueatur, vel inuoluit medium ad hunc finem, ius in potestate ciuili contentum sit, quod politica potestas sub ambitu suo continet (§. praec.): *infinita dari iura potestatis ciuilis in potestate politica contenta* facile

cile patet. Vt tamen potiora eorum cognita fiant, et ea quae alia sunt distincte tradi possint, secundum diuersa rei politicae obiecta de iis nunc agendum.

§. 1461.

Est vero rei politicae obiectum I) *subditorum numerus, qualitas, et locus in territorio in quo viuere et res suas agere debent.* Vnde superior vi potestatis politicae potest 1) *subditos transplantare;* 2) *certi generis subditos expellere;* 3) *certi generis hominibus ingressum in territorium prohibere;* 4) *certa loca assignare, vbi hic vel ille rem suam agere debet* etc.

§. 1462.

Est porro rei politicae obiectum II) *quaestus in republica exercendus*, veluti mercatura, opificia, res veredaria, res agraria et pecuaria, res cauponaria, res cerealiaria, cultio viui adulti etc. Vbi superior vi potestatis politicae potest, eatenus, quatenus vitae necessitas, commoditas et iucunditas exigunt; 1) *certi generis quaestum plane prohibere;* 2) *alia quaestus genera restringere, ad* a) *certum locum*, b) *certas personas a quibus solis exercendus, et praescribere quomodo se qualificare debeant, qui pro habilibus habendi ad quaestum hunc vel illum exercendum, nec non per mercium aestimationem et taxationem obicem ponere defraudationibus;* 3) *alius generis quaestum promouere, per varia instituta quae eo faciunt, veluti per nundinarum institutionem, coalitionem eorum qui eiusdem generis quaestum exercent vt cocant in collegia* etc.

Caeterum de ipsis commerciis infra in doctrina de potestate camerali agendum.

§. 1463.

Nec minus rei politicae obiectum sunt III) *studia*, quo nomine hic venit, animi corporisque exercitatio, ad habitum quendam acquirendum. Vbi superior vi potestatis politicae potest 1) *prohibere quo minus promiscue omnes ad litterarum studia animum adpellent*; 2) *scholas, gymnasia et academias cuiuscunque generis instituere*; 3) *nominare et vocare, docentes in scholis et academiis, et membra academiarum, quae non docendi discendique, sed cultus scientiarum et artium causa, sunt constitutae* 4) *peregrinationes studiorum causa prohibere, restringere, et promouere pro circumstantiarum diuersitate*; 5) *iubere quae faciunt ad explorandos discentium in studiis profectus*; 6) *docendi discendique regulas praescribere*; 7) *stypendia litteraria, si publica sunt, conferre, non vero si priuata sunt, nec collatio superiori concessa a fundatore: ast tamen et quoad haec stypendia curare, vt a collatoribus bene administrentur.*

IO. GOTTL. HEINECCIVS *de iure principis circa ciuium studia.* Halae 1738.

IO. CHRIST. STOCKHAVSEN *de iure et cura principis circa academias.* Lipf. 1749.

IO. GOTTL. *de* HACKMANN *de iure principum circa vocationem litterati.* Franf. 1742.

§. 1464.

Rei politicae obiectum etiam sunt IV) *ea quae vitae et sanitatis conseruationem respiciunt.* Vnde in perio-

perior vi potestatis politicae curat 1) *gliscentibus morbis epidemicis, et praesertim pesti, obicem poni*; 2) *adesse medicos, chirurgos et pharmacopolas artis suae peritos et pharmacopolia instructa esse rebus necessariis*; 3) *cadauerum humationem*; 4) *res vitae et sanitati noxias extirpari et praecauari ne in commercium veniant*; 5) *remouere a consortio aliorum hominum, qui in eo statu sunt vt sanitati aliorum possint nocere, vel propter morbum quo affecti sunt, vel terrorem quem eorum adspectus aliis incutit, qui sanitati, si non omnium, tamen nonnullorum, veluti foeminarum praegnantium, nocius esse potest*; 6) *aquam, annonam et reliquas res in debita quantitate et qualitate adesse, et satis commode harum rerum quemlibet participem fieri posse, qui iis indiget. Vnde quidem molendinorum cura habenda a superiore, ast tamen ideo defendi nequit eorum extructionem absque superioris concessione fieri non posse.*

§. 1465

Progredior V) ad *vias publicas, pontes, pontones, aggeres, plateas et vrbium aedificia*, quae etiam rei politicae obiectum sunt. Vbi, vi potestatis politicae, superioris est 1) *curare harum rerum necessariam extructionem et reparationem*; 2) *instruere vias publicas iis, quae faciunt ad peregrinantium necessitatem, commoditatem et securitatem*, vnde ius conducendi; 3) *ordinare quae faciunt ad plateam non commodiorem et iucundiorem vsum*; 4) *restringere libertatem naturalem in extruendis, reficiendis, destruendis et reaedificandis aedificiis* (§. 562.)

in vrbibus, quatenus ad vrbes inhabitantium vitae commoditatem et iucunditatem, ſicque etiam decus vrbis, requiritur.

§. 1466.

Res politica ſub ambitu ſuo porro comprehendit VI) *quae faciunt ad praecauenda damna caſualia, ſaltem reſpectu patientis talia.* Vnde vi poteſtatis politicae *ſuperior reipublicae* 1) *curat vt incendia praecaueantur, orta extinguantur, et per incendia dammum paſſis ſuccurratur*; 2) *praecauere ſtudet furta et rapinas per excubiarum varii generis ordinationem, et remotionem eorum qui ſuſpecti ſunt*; 3) *proſpicit in extrema egeſtate viuentibus de rebus neceſſariis, ne paupertas eos cogat media excogitandi cum aliorum damno ſe locupletandi*; 4) *iubet tolli quae ita poſita vel ſuſpenſa ſunt, vt, ſi ceciderint, dammum inde metuendum*; 5) *probibet animalia, a quibus dammum vel rebus, vel corpori imminet ali in aedibus, vel pro re nata numerum eorum, quae alere licet, determinat*; 6) *iniungit ſubditis animalia noxia extirpari ab iis*; 7) *graſſantem luem pecorum a finibus territorii arcere ſtudet*: 8) *vſum armorum magis reſtringit quam vi poteſtatis bellicae poteſt* (§. 1457.), *dum probibet arma et armorum vſum ad praecauenda damna caſualia, ſaltem reſpectu patientis talia* etc.

§. 1467.

Rei politicae obiectum etiam eſt VII) *vſus rerum quae in priuatorum dominio, vel nullius ſunt, quatenus praecauendum ne ſubditi rebus ita vtantur vt, vel*

vel ipſi in paupertatem rediganter, vel rerum neceſſariarum penuria inde oriatur in republica. Vnde ſuperior vi poteſtatis politicae 1) *luxui nimio in epulis, veſtimentis etc. obicem ponit*; 2) *ludos fortunae prohibet, aut ita temperat ludendi libertatem, ne ſubditi ludendo perdant magnam patrimonii partem*; 3) *prodigis moraliter talibus adminiſtratores bonorum conſtituit, ſicque pro prodigis ciuiliter talibus declarat*: 4) *Bacho et Veneri litandi in popinis et lupanariis, vt et priuatis conuentibus et feſtiuitatibus, occaſionem ſubditis praeſcindit*; 5) *ſyluarum ruinam praecauet*; 6) *de ferarum conſeruatione ſollicitus eſt* etc.

§. 1468.

Eſt et VIII) *temporis ſupputatio*, nec non *ponderum, menſurarum et pretii eminentis determinatio* rei politicae obiectum. Vnde vi poteſtatis politicae ſuperior 1) *aeram ſtatuit*; 2) *anni initium determinat*; 3) *certis temporis menſuris certa nomina dat*; 4) *de calendario diſponit, abrogando antiquum, et nouum, ſiue eius auctoritate, ſiue non conſectum, introducendo, nec poteſt quisquam obtrudere ſuperiori calendarium nouum, aut illud a ſubditis introduci inſcio et inuito ſuperiore*; 5) *noua ponderum et menſurarum genera introducit et antiqua abrogat, nec minus curat pondera et menſuras aequari*; 6) *rem nummariam*, quae concernit *pecuniam*, quae eſt res quaedam corporalis pro tali declarata, per quam rerum quarumuis valor (§. 127.) dari poteſt, et *monetam*, quae eſt pecunia in partes diuiſa et ſignata, *curat*, *dum* a) *monetam cudit*; b) *ma-*

teriam et figuram monetae determinat; c) *inuectionem falsae monetae praecauet*; d) *monetae minus probae pretium vel diminuit, vel talis monetae vsum plene prohibet* etc.

10. PHIL. PALTHENIVS *de iure principis circa fuppurationem temporis fubditorum.* Gryphisw. 1703.

§ 1469.

Sequitur IX) *res eleemosynaria* quae etiam rei politicae obiectum est. Vnde superior 1) *prohibet ne mendicent qui labore suo tantum acquirere possunt, quantum ad vitae necessitatem sufficit, et, si occasio laborandi deest, talem suppeditat, eosque ad laborem compellit qui mendicare quam laborare malunt*; 2) *quoad eos qui in eo statu sunt vt se ipsos alere nequeant, curat, vt iis suppeditentur ea quibus ad vitae necessitatem indigent, dum sumtibus publicis alantur: si vero hae non sit, is permittendum miseriae subleuandae causa stipem colligere, tumque superioris est de eleemosynis statuere quod e re ciuitatis est, tam respectu dantium, quam accipientium.* Reliqua pertinent ad doctrinam de collectis quae infra tradenda.

§. 1470.

Quum, quoad *limites naturales potestatis politicae*, sufficere possint, quae hinc inde ratione limitum singulorum iurium rem politicam in republica concernentium dicta sunt; nec non, quoad *obligationes subditorum erga superiorem quae rem politicam concernunt*, ex dictis facile pateat, quae huc referri debeant: hac de re non nisi hoc monendum

dum supereft, *quod, licet superior vi potestatis politicae infinitis modis libertatem naturalem hominum, nunc subditorum, restringere possit, si potestate politica sibi competente vtitur, immo debeat, si ei salus publica curae cordique est: per se et ex ipsa reipublicae natura eam tamen non valde restrictam esse.* Vnde porro fluit hoc principium generale: *Quamdiu superior reipublicae hoc vel illud politiae caput nondum ordinauit, quod in statu naturali licitum erat, ab hac in statu ciuili licitum est, sicque ad subditorum libertatem ciuilem pertinet, si illud sua natura saluti publicae repugnare probari nequit.* Sic e. g. quilibet quaestus licitus in genere, a quolibet in republica libere exerceri potest, quamdiu superior vi iurium, quae ei vi potestatis politicae circa quaestum in republica exercendum competunt (§. 1462), quoad hoc politiae caput nihil ordinauit.

§. 1471.

Haec sunt iura specialia potestatis ciuilis quae circa rem politicam versantur. Vt itaque per ea res politica bene ordinetur, vtitur superior iuribus potestatis ciuilis generalibus, nimirum potestate rectoria, inspectoria et executoria. Hinc oritur 1) *leges politicae* (Policeiordnungen), quarum infinitae dantur species; 2) *instituta varii generis quae eo faciunt vt res politica floreat*, veluti ergastula, prochotrophia, xenodochia etc; 3) *iura bannaria varii generis*, veluti opificum collegiis concessa; 4) *privilegia varii generis*; 5) *excubiae varii generis, a militum excubiis diuersae.*

§. 1472.

Praefertim vero, vi poteſtatis exſecutoriae ad rem politicam applicatae, ſuperior rei politicae curam per alios exercet, qui ab eo ad rei politicae curam ſunt conſtituti. Hinc oritur poteſtas publica, ſeu a ſuperiore conceſſa, quae verſatur circa rem politicam, eaque dici poteſt *poteſtas politica a ſuperiore conceſſa*, in cuius oppoſitione ſuperioris poteſtas politica dicitur *ſublimis poteſtas politica*.

§. 1473.

Poteſtatem politicam a ſuperiore conceſſam habens, eam vel *iure proprio*, vel *iure adminiſtratorio* habet. Vnde in poſteriori caſu oriuntur *rem politicam concernentia officia publica, et officiales publici qui rei politicae curam gerunt.*

§. 1474.

Qui ſibi competere aſſerit ius ad poteſtatem politicam ſuperioris reipublicae pertinens, illius conceſſionem a ſuperiore factam probare debet, et quatenus ei competat dependet a conceſſione ſuperioris. Per §. 1271. Vnde patet *ſuperiorem eſſe fontem ex quo fluit omnis poteſtas politica a ſuperiore conceſſa.*

TIT. III.

DE POTESTATE CAMERALI.

§. 1475.

Res cameralis eſt complexus omnium eorum, quae faciunt ad ſufficientiam bonorum publicorum (§. 1237), et *poteſtas cameralis* eſt pars poteſtatis ciuilis ſpecialis, quae verſatur circa rem cameralem, et in genere circa res in territorio obuias.

§. 1476.

Cum poteſtas cameralis verſetur circa rem cameralem et res in territorio obuias (§. praec.) *obiectum poteſtatis cameralis ſunt res quaecunque in territorio reipublicae exiſtentes, omniaque iura in poteſtate ciuili contenta, quae circa res ita verſantur, vt eorum exercitium efficiat bona publica, vel augeri, vel conſeruari huc pertinent.* Cum vero haec iura differant pro ea diuerſitate, quod vel res *nullius*, vel *publicae*, vel *priuatae, et quae iis aequiparantur operae ſubditorum*, ſint, de hac diuerſitate quaedam praemittenda, antequam ſingula iura in hac parte poteſtatis ciuilis contenta explicari poſſunt.

§. 1477.

Differunt inter ſe poteſtas ciuilis et dominium publicum (§. 1255.); hinc inde, quod res in territorio reipublicae exiſtant, nondum ſequitur eas ciuitatibus introductis eſſe in earum dominio: ſed potius adhuc dantur res nullius, et res aliis, quam reipublicae, id eſt, priuatis, propriae. Hinc res in territorio reipublicae exiſtentes, vel *nullius*, vel *alicuius* ſunt, haeque ſunt vel *publicae*, vel *priuatae*, prout ſunt vel in dominio publico (§. 1255.) vel in dominio priuato, quod eſt dominium ſingulorum in republica.

§. 1478.

Quum interſit ſcire, quae rerum corporalium naturalium in territorio reipublicae cuiusdam exiſtentium ſpecies, ſint huius vel illius generis, ſequens principium generale notandum: *Res corporales*

rales naturales in territorio reipublicae cuiusdam exi-ſtentes, vel tales ſunt quae occupando in dominium rediqi nequeunt (§. 577.), *vel tales non ſunt. Priores ſunt a hac res nullius. Posteriores vero, vel in eo ſtatu nondum ſunt in quo dominum habere pos-ſunt, veluti res incognitae et animalia quae adhuc in libertate circumagantur, vel non. Si priores, ſunt itidem res nullius. Si vero posterius, ſunt res publi-cae in dubio donec probari poſſit in privatorum do-minio eſſe.* Quoad res quas publicas in dubio eſſe diximus, videantur quae §. 1254. de diuerſo ortu territoriorum dicta ſunt, ex quo, in vtroque caſu, in dubio tales res pro occupatis a republica habyn-das eſſe, facile deduci poteſt. Reliqua per ſe patent.

TOB IAC. REINHARDT *de rebus in dominio publico exiſtentibus.* Erford. 1730.

§. 1479.

Res nullius in reipublicae territorio exiſten-tes ſunt, vel *ſimpliciter nullius*, vel *ſecundum quid nullius*, in eo ſenſu, quo in genere ita diuiduntur §. 543. Priores etiam *res communes* ſeu *adeſpo-ta* dici ſolent.

§. 1480.

Publicae res vel *vulgares*, vel *eminentes* ſunt: prout vel tales res ſunt, quales et priuati qua ta-les in ſuo dominio habere poſſunt, e. g. loca pu-blica, opera publica, pecunia publica: vel tales non ſunt, e. g. territorium, poteſtas ciuilis, in-ſignia regni.

§. 1481

§. 1481.

Publicae res quae vulgares ſunt vel *patrimo-niales* ſunt, vel *res publicae in ſpecie ſic dictae.* Ha-rum vſus cuilibet patet, illarum non.

§. 1482.

Publicarum vulgarium rerum vtriusque gene-ris variae dantur ſpecies, quae cum hic recenſeri nequeant, hac occaſione fiſci reipublicae idea euol-venda. Sub *fiſci reipublicae* nomine vero, vel re-ceptaculum pecuniarum publicarum; vel pecunia publica ipſa; vel complexus rerum publicarum patrimonialium corporalium, et iurium reipubli-cae, quae ad commodum reipublicae pecuniarum ſpectant, venit. In hoc vltimo ſignificatu autem fiscus ſimul res eminentes publicas ſub ſe compre-dit, et in eo dicitur *fiſcum perſonae vice fungi.*

§. 1483.

Hactenus recenſitae diuerſae rerum ſpecies quoad omnes respublicas concipi poſſunt. Quod vero ſpeciatim *regna* attinet, in iis rerum publica-rum patrimonialium diuiſio locum habet in *res fiſ-ci* et *res aerarii.* Priores dicuntur quae principi regenti, ad ſuam ſuorumque ſuſtentationem, ſunt aſſignatae, et dicuntur, ſi ſint ſubſtantiae, *damania*, ſi reditus, *reditus domaniales.* Poſte-riores vero ſunt, quae reliquis ſumtibus publicis inſeruiunt.

§. 1484.

His praemiſſis ipſa poteſtas cameralis, pro hac rerum diuerſitate, explicanda. Quod itaque

I) *res*

1) *res nullius* attinet, quae pro talibus habendae, vel non, ex superioribus (§ 1478.) iam constat. Vnde hic omnia eo redeunt: *an dentur iura in poteſtate ciuili contenta ſpecialia circa res nullius in territorio exiſtentes, quae ad poteſtatem cameralem referri poſſint?* Quum vero tale ius in poteſtate ciuili contentum ſpeciale circa res nullius, quod ad poteſtatem cameralem referri poſſet, ſi daretur, ius occupandi res nullius eſſe, neceſſe ſit, quaeſtio propoſita eo redit: *An ius occupandi res nullius in territorio obuias ſit ius in poteſtate ciuili contentum ſpeciale?* ad quam reſpondeo: *quod non.* Videlicet: *ius occupandi res nullius in territorio reipublicae exiſtentes, ex ipſa reipublicae natura ad ſuperioris iura in poteſtate ciuili contenta ſpecialia referri nequit: ſed potius, prout in ſtatu naturali ius occupandi res nullius eſt ius omnibus hominibus commune, quamdiu hic vel ille illud non occupauit, ſicque ſibi proprium fecit* (§. 549.); *ita et in ſtatu ciuili idem adhuc obtinet, et ad libertatem ciuilem pertinet libera occupatio rerum nullius, quamdiu nemo ius occupandi ſibi proprium acquiſiuit, qui, ſi eſt ipſe ſuperior reipublicae, qui vel in totum, vel in tantum, illud ſibi acquiſiuit, ius occupandi quidem ius in poteſtate ciuili contentum, et in ſpecie in regnis, ſi princeps illud acquiſiuit, regale eſt* (§. 1298.), *aſt naturae non competens.* Ex natura poteſtatis civilis et ſubiectionis ciuilis enim demonſtrari nequit, poſito ſtatu ciuili hic idem non obtinere, quod in ſtatu naturali obtinet.

§. 1485.

§. 1485.

Ex dictis per ſe patet, *quid iuſtum ſit ſecundum ius publicum vniuerſale quoad ſingulas iuris occupandi ſpecies*, veluti *ius venandi, piſcandi, aucupii, inuentionis* quoad res nullius varii generis, e. g. *theſauros, metalla, mineralia* etc. Hinc ſpecialia non addo, ſed potius ſtatim progredior ad iura in poteſtate camerali contenta circa publicas res.

IO. IOACH. SCHOEPFER *de iure principis circa adeſpota.* Roſt. 1705.

CARL. FRID. FAVLI *de iure principis circa res nullius.* Halae 1747.

IO. AD. L. B. ab ICKSTATT *de eo quod iure publico vniuerſali et particulari I. R. I. circa ſpontaneas iuſtum eſt.* Viceb. 1738. et Opp. Tom. I. num IX.

§. 1486.

Quoad II) *res publicas* itaque hoc principium generale notandum: *quoties res quaedam ſecundum* §. 1478. *ad publicas pertinet, ſiue ſit vulgaris, ſiue eminens* (§. 1480), *illaque vel patrimonialis, vel in ſpecie ſic dicta* (§. 1481.), *vnicum, quod circa has res concipi poteſt ius ſpeciale ad poteſtatem cameralem pertinens, eſt ipſam earum dominium, quod* itaque *tanquam ius in poteſtate ciuili contentum penes ſuperiorem reipublicae eſt, qui vt eius, tam iura in dominio contenta, quam iura quae circa dominium verſantur* (§. 268. 272.) *habet.* Per definitionem rerum publicarum §. 1477. et §. 1246.

§. 1487.

Quum itaque, vi huius principii generalis, quid circa has rerum ſpecies iuſtum ſit, ex theo-

ria de dominio in genere (§. 263 seqq.), et, quod attinet in specie *res publicas vulgares*, ex theoria speciali de dominio singulorum hominum in statu naturali viuentium (§ 551 seqq.), per se fluat: non opus esse iudico, vt, praeter ea quae de rebus *fisci* et *aerarii* in regnis monenda esse duco, plura addantur, et quae huc pertinent iura in potestate ciuili contenta speciatim recenseantur.

GEORG. LVD. BOEHMER *de iure principis circa loca et opera publica.* Goett. 1747.

§. 1488.

Constat ex superioribus § 1483. dari in regnis publicarum rerum species, quae sub rerum fisci et aerarii nomine veniunt, et domania tam, quam reditus dominiales, sub se comprehendunt. *De his rebus quidem valent quoad potestatem cameralem, quae in genere de rebus publicis dicta sunt: ast duplici hic opus est cautione:* 1) *ne pro rebus fisci habeantur, quae sunt eius qui regit regnum, sicque principis* (§. 1292.), *bona patrimonialia, siue hereditaria, siue acquisita*, sub quo nomine veniunt ea bona, quae sunt in principis dominio quoad personam priuatam (§. 1330.), sicque res fisci non sunt, quippe quae in dominio populi principis esse debent (§. 1483.); 2) *ne, quae de superiore dicta sunt, ad principem quoad res fisci et aerarii applicentur, si princeps solus non est superior reipublicae. Tum enim, licet quilibet princeps sit vsufructuarius rerum fisci, quoad res aerarii tamen* trans-

tranlatione a populo facta dependet, quae sint eius iura circa has res. Per hypothesin et §. 1483.

§. 1489.

Potestatis cameralis obiectum sunt III) *res priuatae*, et quae iis acquiparantur *operae subditorum* (§. 1476.). Iura in potestate ciuili contenta vero, quae circa hoc obiectum versantur, commode ad *dominium eminens*; *ius reditus publicos colligendi ex bonis priuatorum; ius munera publica imponendi; et ius de commerciis disponendi* reduci possunt.

§. 1490.

Dominium eminens, cui opponitur vulgare dominium, est dominium rerum priuatarum, quod est penes superiorem reipublicae. Vnde statim patet 1) *dominium eminens a dominio publico et priuato differre, licet sit, prout dominium publicum, pars potestatis ciuilis*; 2) *dominium eminens sub se continere, tam iura quae versantur circa dominium ipsum, quam iura in domino contenta quae circa rem in dominio existentem versantur; sicque dominium eminens ius alienandi, oppignorandi, in solo aedificandi, destruendi* etc. *sub se continere*,

GEORG. AD. CARoc *de domnio publico ab eminenti et hac imperii diuerso.* Gryph. 1707.

GEORG. PAVL. ROTENBEC Diss. *de vinii eminentis clarum et distinctum conceptum indagans.* A. C. 1707.

§. 1491.

Dominium eminens est pars potestatis ciuilis eminentis, sicque superior illud non nisi in casu ne-

cessitatis

ceſſatis exercere poteſt, et priuatus in cuiusvis exercetur indemnis praeſtandus a republica. Quoad prius vid. §. 1239.: et quoniam eius exercitium exigit ſalus publica (§. 1263.), ſicque commodum omnium (§. 1236) poſterius inde patet. (§. 633.),

IO. AD. *L. B ab* ICKSTATT *de maieſtatico dominii eminentis iure.* Mogunt 1730

GVIL. LEISER *de imperio contra dominium eminens.* Witt. 1672.

§. 1492.

Alterum ius quod huc pertinet eſt *ius colligendi reditus publicos ex rebus priuatis*, indeque differta dominio eminenti in eo, quod *illud, tanquam dominium, ſit ius de ipſa rerum priuatarum ſubſtantia diſponendi, hoc vero ius de conjectariis et fructibus earum diſponendi, indeque bonorum publicorum defectum ſupplendi.*

§. 1493.

Sunt vero reditus publici ex bonis priuatorum tributa, collectae et vectigalia, et *tributa*, ſeu *ſteurae*, ſunt pecunia, vel alia res fungibilis, quam ſubditi ſtatis temporibus conferre debent ad ferenda onera publica. *Collectae* autem ſunt pecunia, vel alia res fungibilis, quae a ſubditis occaſione ita ferente, vſus publici cuiusdam particularis gratia, colligitur. Tandem *vectigal* dicitur in ſenſu generali, pecunia a peregrinantibus ſuperiori reipublicae pro tranſitu per territorium ſoluenda. *In ſpecie* vero *vectigal* dicitur, pecunia a peregrinantibus pro mercium transportatione ſuperiori reipublicae ſoluenda. Licet autem variae

riae dentur tributorum, collectarum et vectigalium ſpecies, eae tamen in iure publico vniuerſali negligi poſſunt, et ex dictis per ſe patet quid ſit *ius tributa imponendi; ius collectandi* et *ius vectigalium*,

§. 1494.

Ius tributa imponendi eatenus, quatenus bonorum publicorum prouentus non ſufficiunt ad ſumtus publicos, competit ſuperiori, eiusque eſt determinare quae tributorum ſpecies imponendae ſubditis. Tum enim ſalus publica exigit tributa imponi, quod per ſe patet, et hinc per §. 1258. *et* 1271. propoſitio prodit.

IO. EBERH. ROESLER *de tributis.* Tub. 1707.

§. 1495.

Superiori competit ius collectandi toties, quoties reipublicae intereſt pecuniam ad certum quendam finem colligi, et eius eſt determinare an cuiuslibet arbitrio relinquendum, num quid, et quantum, ad collectam contribuere velit, an vero certum quid ab vnoquoque exigendum. Per §. 1258 et 1271.

HERM. CONRING *de contributionibus* Helmſt. 1669. et Opp. Tom. IV. p. 744. ſeqq.

§. 1496.

Ius vectigalium, quatenus conſideratur in reſpectu ad rempublicam cui ſuperior praeeſt, *competit ſuperiori, qui poteſt vi eius vectigalia noua introducere, et antiqua augere atque in alium locum transferre; modo ita exerceatur, ne, dum reditus publici per vectigalia augentur ab vna parte, ab altera par-*

te saluti publicae noceatur, dum per immoderatam vectigalium exactionem peregrinantes a finibus territorii arcentur. Quatenus vero consideratur in respectu ad exteras gentes, *de eo in iure gentium agendum, quorsum etiam ius detractus, per quod itidem reditus publici augentur, remittendum.* Territorium enim est in dominio publico (§. 1480.), quod est penes superiorem (§. 1486.), qui itaque statuere potest an gratis, an vero non nisi pro certa pecunia, transitum per illud, sicque vsum rei suae, concedere velit. An autem officia gentium erga se inuicem hoc ius restringant, hic non definiendum. Officia superioris erga subditos suos vero illud ita restringere, prout restrictum est, patet per §. 1266.

10. STRAVCH *de regali vectigalium iure.* Ien. 1669.

§. 1497.

Tertium ius de quo hic agendum, est *ius munera publica imponendi.* Est vero in genere *munus publicum*, quaelibet praestatio subditorum, quae ab iis vi potestatis ciuilis exigitur, et in hoc sensu ipsa officia publica (§. 1358.), nec non tributorum et collectarum solutio (§. 1493.), vt et bellicarum operarum praestatio, dum milites leguntur, aut vi iuris sequelae armatae subditi non milites euocantur (§. 1451.), ad munera publica referri debent. Hinc in hoc sensu etiam diuiduntur in *personalia*, si personae operam tantum, *realia*, si res tantum, et *mixta*, si tam personae operam, quam res simul, concernunt. Aft cum hic de muneribus publicis

publicis agendum, quatenus sunt rei cameralis obiectum, et quidem a reliquis, de quibus iam actum, distinctum, in sensu strictiori hic sub *muneris publici* nomine veniunt praestationes subditorum, quae ab iis vi potestatis ciuilis exiguntur, tales, quod vsum rerum et operarum suarum gratis praebere debeant reipublicae. Per has praestationes enim, licet aerarium publicum per eas non repleatur, leuatur tamen ita, vt eae tributis et collectis aequiparari possint, sicque hoc ius ad potestatem cameralem referri potest.

§. 1498.

In hoc sensu itaque ad munera publica referri possunt 1) *angariae* et *parangariae*, quae sunt obligatio equos et plaustra, ad exercitum, annonam militarem, tabernacula militaria caeteraque instrumenta bellica ad destinatum locum transuehenda, gratis praebendi; 2) *metatio*, (die Einquartirung), quae est obligatio personali hospitio excipiendi milites, quae vel in nuda militis receptione consistit, vel coniuncta cum aliqua rerum erogatione, quae vocari potest *salgamum*, (Service); 3) *albergaria*, quae est onus consistens in hospitii, esculentorum et potulentorum, in publicum vsum gratuita praestatione; 4) *operae varii generis gratis praestandae* e. g. aediles, venatoriae, (Baufrohnen, Jagdfronen), et quae spectant ad componenda, vel restauranda territorii munimenta, (Festungsbau) etc.

§. 1499.

Quod dictum de iure superioris collectandi et tributa imponendi, valet etiam de iure munera publica imponendi. Sunt enim loco tributorum et collectarum (§. 1497).

§. 1500.

Sequitur *ius de commerciis disponendi.* Venit autem sub *commercii* nomine, commutatio rerum operarumue cum aliis per pacta onerosa (§. 645), eaque commercium, vel *internum*, quod subditi inter se, vel *externum*, quod subditi cum exteris exercent. Externum vero vel *activum*, vel *passivum* est, prout vel per mercium peregrinarum exportationem, vel per earum inuectionem, fit. Vnde patet *quod, licet quaestus per se commercium non sit, propter quaestum tamen commercia exercentur, et licet quaestus in republica exercendi sit obiectum politiae, commercia ipsa tamen non nisi certo respectu ad politiam, alio respectu ad rem cameralem, referri debeant.* Nimirum, *quatenus commercia ad id requiruntur, vt quaestus in republica exerceri et promoueri possit, et considerantur vt medium efficiendi adesse quae ad vitae necessitatem, commoditatem et iucunditatem requruntur, politiae obiectum sunt, et quatenus superioris circa ea iura et vel obligationes, sub iis quae de quaestu §. 1462. dicta sunt, comprehensae est quum commercium, praesertim externum, etiam eo faciat, vt respublica bonis publicis instructa sit, quatenus praecauendum ne per commercia sensim diuitiae reipublicae ad exteros veniant, et efficiendum ea propter varia emolumenta*

ta pecuniaria, quae ex commerciis tam directe, quam indirecte percepit respublica, florere, in hoc respectu commercia omnino rei cameralis obiectum sunt.

§. 1501.

Quod itaque attinet iura superioris circa commercia quae ad potestatem cameralem referri possunt, *is in relatione ad rempublicam, cui praeest, commercium, et ea quae eo faciunt, dirigit ita, prout salus publica, eo respectu, vt respublica bonis publicis instructa sit, requirit.* Hinc *huic sunt conuenienter* 1) *statuit quae merces exportandae, vel importandae;* 2) *cum quibus commercia exercenda, vel non, definit;* 3) *prohibet quae commercia destruere, et iubet quae florem eorum promouere, parsiunt* etc. Quatenus vero in relatione ad exteras respublicas seu gentes superior de commerciis disponere possit, infra in iure gentium definiendum.

§. 1502.

Cum ex dictis per se pateat 1) *qui sint limites naturales iurium in potestate cameali contentorum;* nec non 2) *obligationes subditorum singulis his iuribus respondentes;* de applicatione iurium in potestate ciuili contentorum generalium ad rem cameralem tantum addendum, *et hic potestate rectoria, inspectoria et executoria vti superiorem, vt quoad rem cameralem nihil in republica desiderari possit.* Hinc oriuntur *leges et mandata quoad rem cameralem; priuilegia varii generis* etc.

§. 1503.

Praeſertim vero *vi poteſtatis rectoriae, et quidem eminentis, ſuperior ius occupandi certas res nullius ſibi ſumere poteſt tanquam ius proprium, et ſubditis prohibere earum occupationem, quatenus facit haec prohibitio ad rei cameralis incrementum, et vi poteſtatis inſpectoriae iuri occupandi ſubditorum limites ponere, ne contra ſalutem publicam exerceatur.* Per § 1476.

§. 1504.

Porro vi poteſtatis executoriae quoad rem cameralem etiam concipi poteſt *poteſtas cameralis ſubordinata*, quae eſt poteſtas publica, id eſt, a ſuperiore conceſſa, rem cameralem concernens, de qua mutatis mutandis valent, quae de poteſtate politica ſubordinata §. 1472. ſeqq. dicta ſunt.

TIT. IV.

DE POTESTATE IVDICIARIA.

§. 1505.

Res iudiciaria (das Juſtizweſen) eſt complexus omnium eorum quae faciunt ad publicam iuſtitiae adminiſtrationem (§. 1237.). *Poteſtas iudiciaria* vero eſt pars poteſtatis ciuilis ſpecialis, quae verſatur circa rem iudiciariam.

§. 1506.

Antequam vero ipſae partes poteſtatis iudiciariae euoluendae, praemittendum cauſas (§. 107.) in regimine ciuili obuenientes, in relatione ad poteſtatem iudiciariam, diuidendas eſſe in *cauſas iuſtitiae*

tiae (Juſtizſachen), et *cauſas politiae* ſeu *regiminis* (Regierungsſachen). Haec differentia vero non oritur ex diuerſitate obiecti cauſae, ſed ex diuerſitate puncti circa cauſam nunc obuenientem definiendi (§. 107.). Quodſi enim punctus nunc definiendus concernit iura et obligationes ſingulorum, cauſa dicitur *cauſa iuſtitiae*. Si vero punctus nunc definiendus iura et obligationes ſingulorum non concernit, dicitur *cauſa regiminis*. Cauſae iuſtitiae rerum in genere abeunt in cauſas *criminales* et *ciuiles*, prout punctus nunc definiendus, vel obligationem delinquentis ad poenam concernit, vel non. Vnde patet 1) *cauſas iuſtitiae litigioſas per litis deciſionem ſeu compoſitionem, cauſas regiminis vero per ſimplicem reſolutionem, definiri;* 2) *tam cauſas iuſtitiae, quam cauſas regiminis, pro obiecti diuerſitate, concernere poſſe, vel rem bellicam, vel rem cameralem, vel rem politicam, vel rem iudiciariam;* 3) *vnam eandemque cauſam in hoc reſpectu cauſam iuſtitiae, in alio reſpectu vero cauſam politiae eſſe poſſe.*

DAV. GEORG. STRVBEN *gründlicher Unterricht von Regierungs und Juſtizſachen.* Hild. 1733. 4.

GEORG. CHRIST. SCHREIBER *de cauſarum politiae et earum quae iuſtitiae dicuntur conflictu et differentia.* Goett. 1739

§. 1507.

Quod in ſpecie attinet cauſas inſtitae ciuiles, punctus definiendus iura et obligationes ſingulorum concernens, vel is eſt, *an*, *et quatenus*, *iura et obligationes ſingulorum ſub obuenientibus circumſtantiis*

ſtantiis ſingularibus tolli poſſint; vel is eſt *an actus ſubditorum obligatorii publica fide et auctoritate muniendi, vt ſubſiſtant, vel ſaltem corroborentur*; vel is eſt *a cuius parte ſtet ius, ſi adſint qui certant inter ſe de iuribus et obligationibus, per legem vel actum obligatorium iam conſtitutis.*

§. 1508.

Poteſtas iudiciaria verſatur circa cauſas iuſtitiae tam ciuiles, quam criminales: at hic de ea non niſi eatenus agendum, quatenus verſatur circa cauſas ciuiles, quae et in ſpecie *ciuilis* dici poteſt, cum poteſtas iudiciaria criminalis ſub poteſtate criminali (§. 1446.), de qua infra agendum, comprehenſa. Poteſtas iudiciaria ciuilis vero, pro dicta §. praec. cauſarum iuſtitiae ciuilium diuerſitate, eſt explicanda.

§. 1509.

Quod itaque attinet 1) cauſas iuſtitiae quae eo tendunt, vt definiatur an et quatenus tolli poſſint, ſub obuiis ſingularibus circumſtantiis, iura et obligationes ſingulorum, *ſuperior non niſi vi poteſtatis ciuilis eminentis, vel in totum, vel in tantum, tollere poteſt iura et obligationes ſingulorum, ſi, ſub obuiis circumſtantiis ſingularibus, ſalutis publicae cum ſalute priuatorum collisio, vnum vel alterum fieri exigit.* Per §. 1263. Ex hoc principio itaque diiudicandum, an et quatenus ſuperior poſſit vi poteſtatis iudiciariae *in integrum reſtituere; concedere indultum moratorium debitoribus obaeratis; iuramentum relaxare, ſi illud nouam obligationem produxit*, etc.

CHRIST.

CHRIST. FRID. SCHOTT *de eo quod iuſtum eſt circa relaxationem iuramenti ſecundum ius naturae.* Tub. 1753.

§. 1510.

Porro II) quoad cauſas iuſtitiae quarum punctus definiendus is eſt, an actus ſubditorum obligatorii publica fide et auctoritate muniendi, poteſtas iudiciaria ſuperioris ſub ſe comprehendit ius 1) *fide publica muniendi omnia ea quae vera eſt cognoſcit*; 2) *confirmandi actus obligatorios ſubditorum*, id eſt, declarandi ex rationibus boni publici nihil obſtare quo minus valeant, *ſi vera ſe habet*; 3) *conſentiendi in actus obligatorios ſubditorum*, id eſt, declarandi pro valido actum, qui abſque hac declaratione validus non eſt, *ſi ſub circumſtantiis praeſentibus nil obſtat quo minus valere poſſit.*

§. 1511.

Tandem III) quoad cauſas iuſtitiae ciuiles quae tales ſunt, vt punctus definiendus ſit a cuius parte ſtet ius, ſi adſint qui certant inter ſe de iuribus et obligationibus conſtitutis, iura ſuperioris in poteſtate iudiciaria contenta eo redeunt, quod 1) *ſi lis per amicabilem compoſitionem, ſiue mediante tranſactione, ſiue mediante compromiſſo, non tollitur* (§. 1223.), *via iuris per actionem quilibet, ſiue ſubditus ſit, ſiue extraneus, contra ſubditum ſuum ius ſuum perſequi debeat, eiusque deciſionem litis exſpectare*; 2) *definire poſſit ſuperior modum tractandi has cauſas, non ſolum in genere, ſed et in ſpecie quid in caſu dato a quolibet litigante fieri debeat,*

beat, vt tam ſtatus controuerſiae determinetur, quam probetur quod probari veleuat; 3) *cauſa ſatis cognita litem decidendi ius habeat, aſt ſecundum acta et probata,* vt itaque *deciſio litis ex plenitudine poteſtatis*, (Machtſpruch), quae ex rationibus boni publici, cauſa nondum ſatis cognita, fit, *non niſi ſub circumſtantiis ſingularibus vi poteſtatis ciuilis eminentis*, et *deciſio pro auctoritate* (*das Durchgreiffen*), quae fit cauſa cognita quatenus fieri poteſt, aſt tamen ad deciſionem nondum ſatis inſtructa, *non niſi tum, ſi impoſſibile eſt eam magis ad deciſionem inſtructam fieri, locum habere poſſit.*

§. 1512.

Haec ſunt iura poteſtatis ciuilis ſpecialia in poteſtate iudiciaria contenta. *Limites eorum naturales* quod attinet, ſufficere poſſunt quae de iis hinc inde dicta ſunt. Quoad *obligationes ſubditorum iis reſpondentes*, iidem pleraque per ſe patent, veluti, quod citati, vel ad ſtatum cauſae exponendum, vel ad teſtimonium dicendum, comparere debeant. Vnde de iis tantum ſpeciatim addendum, *vi huius partis poteſtatis ciuilis ceſſare in perſecutione iuris contra ſubditum omnem viam faciſt* (§. 386.). *Prout vero ideo priuata defenſio non eſt excluſa, ita et, ſi via iuris contra ſubditum iuris perſecutio fieri nequit, ceſſat haec obligatio, et reuiviſcit libertas naturalis vi cuius, et contra ſubditum, tam peregrinus, quam ipſe ſubditus, via facti ius ſuum perſequi poteſt.*

§. 1513.

§. 1513.

Vt vero ſuperior iura ſua, quae poteſtas iudiciaria ſub ſe continet, exercere poſſit, et res iudiciaria in republica bene ordinata ſit, *et hic iura poteſtatis ciuilis generalia ad hoc ſpeciale obiectum regimitis ciuilis applicari debent*, nimirum poteſtas *rectoria*, *inſpectoria* et *exſecutoria*. Hinc itaque oriuntur *leges iudiciariae* (Gerichtsordnungen, Proceſsordnungen); *priuilegia varii generis* e. g. veniae aetatis conceſſio; *auocatio actorum* etc.

§. 1514.

Praeſertim vero vi poteſtatis exſecutoriae ad rem iudiciariam applicatae, ad ſuperioris iura pertinent *obſignationes; arreſti impoſitio; ſequeſtratio; immiſſio in poſſeſſionem rerum; pignorationes; ſubhaſtatio* etc. quippe qui actus eatenus vi poteſtatis ciuilis, quatenus iuſtitiae adminiſtratio exigit, ab eo peragendi ſunt; prout etiam ex hoc fundamento alios conſtituit, per quos rei iudiciariae curam exercet, indeque oritur *iuriſdictio*, quae in proprio ſenſu, nec ipſa poteſtas iudiciaria eſt, nec ad cauſas criminales pertinet, ſed eſt poteſtas publica, id eſt, a ſuperiore conceſſa, quae verſatur circa rem iudiciariam. Vnde *iuriſdictio differt a poteſtate iudicaria, vt poteſtas politica a ſuperiore conceſſa differt a poteſtate politica ſublimi* (§. 1472.)

§. 1515.

Qui iurisdictionem habet, eam vel iure proprio habet, quo caſu dicitur iurisdictio *realis*, vel iure

iure adminiſtratorio, tumque *perſonalis* appellatur. Vnde in poſteriori caſu oritur officium publicum, et is qui habet iurisdictionem perſonalem dicitur *iudex*.

§. 1516.

Limites iurisdictionis oriuntur partim ex *diſtricto in quo iurisdictio ei competit qui eam habet*; partim ex *cauſarum iuſtitiae diuerſitate quae oritur ex obiecti cauſae diuerſitate*; partim ex eo, *quae ipſa in poteſtate ciuili contenta iurisdictio ſub ſe contineat*; partim ex *perſonarum, quae ei ſubiectae ſunt, diuerſitate. Ex natura iurisdictionis vero determinari nequeunt eius limites, ſed, prout ipſa iurisdictio nemini competit, niſi ei, cui a ſuperiore conceſſa, ita et limites iurisdictionis a conceſſione ſuperioris dependent, qui eſt omnis iurisdictionis fons.* Per §. praec.

LIBER II.

DE SINGVLIS PARTIBVS POTESTATIS CIVILIS, IISQVE RESPONDENTIBVS OBLIGATIONIBVS, QVOAD SOCIETATES IN SPECIE.

§. 1517.

Sic abſoluta doctrina de ſingulis partibus poteſtatis ciuilis, iisque reſpondentibus obligationibus, quoad ſubditos in genere: et de iis quoad ſocietates in republica, ſeu eius territorio, exiſtentes, ſicque de habitu ſocietatum ad rempublicam in qua

qua exiſtunt, in ſpecie agendum (§. 1419.). Hic vero ante omnia de *diuerſis ſocietatum in relatione ad rempublicam conſideratarum ſpeciebus*, generatim, tumque, tam de *ſocietatibus priuatis*, quam *publicis*, ſpeciatim, agendum.

TIT. I.

DE DIVERSIS SOCIETATVM IN RELATIONE AD REMPVBLICAM CONSIDERATARVM SPECIEBVS.

§. 1518.

Primaria ſocietatum in republica, in relatione ad eam conſideratarum, diuiſio eſt 1) quod ſint vel *ſocietates publicae* quae nimirum a ſuperiore reipublicae, ſalutis publicae cauſa, fundantur, vel *priuatae*, quae ſibi ipſis debent originem. De hac diuiſione in ſequentibus ex inſtituto agendum.

§. 1519.

Sunt porro ſocietates in republica exiſtentes 11) vel *liberae*, vel *non liberae*, prout vel poteſtati ciuili reipublicae ſubiectae ſunt, vel non. Prius vero ſemper probandum et poſterius praeſumendum eſt. Per §

§. 1520.

Liberae ſocietates ſunt duplicis generis, vel *originarie liberae*, vel per *exemtionem liberae factae*. Non liberae vero vel *priuilegiatae* ſunt, ſi habeant iura in poteſtate ciuili contenta quae iis iure proprio competunt, vel *non priuilegiatae*.

§. 1521.

§ 1521.

Porro III) societates in republica existentes vel tales sunt *quarum iura socialia sint penes superiorem reipublicae*, vel tales *quarum iura socialia penes superiorem reipublicae non sint*, sive sint penes totam societatem, sive penes vnum vel plura ejus membra. Indeque tam in priori casu, quam in posteriori casu, tum, si iura socialia penes totam societatem sunt, societas aequalis societas est.

§. 1522.

Sequitur IV) diuisio societatum in *approbatas* seu *licitas* et *reprobatas* seu *illicitas*, prout vel ex approbatione superioris in republica existunt, vel non. Approbatae societates tum dicuntur *vniuersitates personarum*, si sunt expresse approbatae societates ad certum et stabilem finem obtinendum, suntque, vel *ordinatae vniuersitates*, vel *non*, prout secundum suam politiam, vel per speciales magistratus reguntur, vel non.

TIT. II.

DE SOCIETATIBVS PRIVATIS IN REPVBLICA EXISTENTIBVS.

§. 1523.

Cum societas priuata sibi ipsi originem debeat (§. 1518.), ante omnia definiendum quatenus liceat subditis coire in societates priuatas, vbi notandum *licere iis ad quemlibet finem, qui talis est quod subiectioni ciuili non repugnet, obtinendum*

dum viros coniungere et in societates coire, ita vt, licet superioris confirmatio societatis semper vtilis sit, ea tamen non sit necessaria. Vi libertatis subditorum ciuilis (§. 1272.).

§. 1524.

Si societas priuata in republica existit, eam esse non liberam et non priuilegiatam quidem praesumendum, donec probatur contrarium: at eam potestate sua, quae nunc in oppositione ad potestatem reipublicae seu ciuilem (§ 1240.) *potestas priuata* dicenda, *esse destitutam, eamque coexistere potestati ciuili reipublicae, praesumi nequit, sed potius hoc probandum est.* Quoad prius vid. §. 1269. 1271. Quoad posterius vero §. 415.

§. 1525.

Si itaque probari potest, superiorem reipublicae acquisitide iura socialia societatis priuatae non liberae in republica existentis, duplex potestas, nimirum *potestas ciuilis reipublicae*, et *potestas priuata societatis ab eo acquisita*, a se inuicem distingui debent. Alia itaque tum sunt *iura in potestate ciuili contenta*, alia *iura socialia societatis priuatae in republica existentis*, seu, si respublica est regnum, alia sunt *principis iura maiestatica*, alia *iura socialia societatis*, quae ei competunt. *Priora superiori, et, si respublica regnum est, principi, qua tali competunt; posteriora vero ei qua tali non competunt, sed eorum acquisitio probanda.* Aut, si potestas priuata societatum priuatarum non liberarum in republica existentium

sentium a superiore reipublicae non est acquisita, *superiori, praeter iura in potestate ciuili contenta, tam ea quae ad partes potestatis ciuilis generales* (§. 1421. *seqq.*), *quam ea quae ad partes potestatis ciuilis speciales* §. 1446. *seqq. pertinent, ipsa iura in potestate priuata talium societatum contenta, eorumque exercitium, non competunt; licet haec iura sint eatenus subordinata potestati ciuili, vt superior iam exerceantur a societate, vt potestatis ciuilis inspectoriae eatenus concurrat, quatenus salus publica reipublicae requirit.*

§. 1526.

Hinc porro fluit: *societati in republica existenti, licet non libera sit, potestas eius vero a superiore non acquisita, competere non solum generalia iura socialia, sicque potestatis societatis partes generales*, quae sunt potestas *rectoria, inspectoria* et *executoria* (§. 429.) *sed et specialia iura socialia, quae pro societatum diuersitate differunt* (§. 430.). Hinc que oritur in republica regimen, diuersum a regimine ciuili sed publico (§. 1259.), quod *regimen priuatum* dicendum, eiique exercitium potestatis societatis priuatae non liberae in republica existentis, idque semper est regimen subordinatum.

§. 1527.

His generatim, de habitu societatum priuatarum non liberarum in republica existentium, ad rempublicam, praemissis, ad singulas species harum societatum, praeter ecclesiam, de qua infra in iurisprudentia ecclesiastica ex instituto agendum; hic descendere non licet. Vnde quae dicta sunt, tantum via alteraue obseruatione magis speciali quidem, att tamen praeter ea, quae de societate paterna quoad parentes et liberos inter se addenda, ad vnicam quandam speciem societatis non restricta, illustranda.

§. 1528.

Quod itaque attinet I) *politiam societatum* (§. 408.) de quibus hic loquor, ante omnia notandum, *eam non confundendam esse cum re politica reipublicae, de qua supra §. 1459. seqq. actum; licet concepta possit res politica quoad societates quasdam in republica existentes, veluti vrbes et pagos, quae est pars rei politicae reipublicae, quatenus in specie eorum ciuium, qui sunt talis societatis membra, publicam vitae sufficientiam concernit. Ista itaque quaelibet societas priuata in republica existens, possit vi potestatis priuatae et competentis ordinare suam politiam pro libitu, quatenus politia saluti publicae non est contraria; de iis quae pertinent ad rem politicam reipublicae, eiusque pars sunt, societas vi suae potestatis priuatae tamen disponere nequit.* Per §. 1526.

§. 1529.

Porro II) de *statutis* hic annotandum, sub *statutorum* nomine in genere venire leges politicas societatum in republica existentium. *Ius statuta*

condendi vero eſt pars poteſtatis vectoriae ſocietatum priuatarum in republica exiſtentium, quatenus ſtatuta ſaluti publicae non contraria ſunt, et ſociorum actiones, quae finem ſocietatis concernunt, dirigunt. Vnde etiam haec ſtatuta dici ſolent *ſtatuta iure collegiali condita*, vt diſtingui poſſint *a ſtatutis vi iuris ſtatuta condendi a ſuperiore conceſſi* conditis. Hinc porro patet *ſtatuta ſocietatum in republica exiſtentium obligare ſocios, licet confirmatio ſuperioris non acceſſerit.* Per §. 1526.

§. 1530.

De *iure colligendi reditus ex bonis ſociorum ad ſerendos ſumtus ſocietatis* III) monendum, *hoc ius eatenus competere ſocietati priuatae in republica exiſtenti, quatenus aerarium ſocietatis non ſufficit ad ſumtus ſocietatis neceſſarios ferendos.* Per §. 1526.

§. 1531.

Quoad IV) *bona ſocietatum priuatarum non liberarum, ſocietati, vi iurium ſocialium ſocietatis, libera adminiſtratio eorum competit. Eſt tamen ſuperior poteſt circa ea, iura in poteſtate ciuili contenta generalia, et quae ei circa res priuatas tam vi poteſtatis politicae* (§. 1467.), *quam vi poteſtatis cameralis* (§. 1489.) *competunt, exercere; licet plura iura ei in has res, quam in res aliorum priuatas, competere, defendi nequeat.* Per §. 1525.

§. 1532.

Speciatim ratione ſocietatis paternae, quum finis eius ſit liberorum educatio (§. 794.), et reipublicae quam maxime interſit eam rite fieri, addendum *ſuperiorem, nonſolum, ſubſiſtente adhuc paterna ſocietate, parentibus ratione educationis liberorum ſuorum praecipere et prohibere poſſe, quae fieri vel omitti ſalus publica requirit: ſed et praeſertim, ſi parentes moriuntur educatione nondum finita, curare tutoribus* (§. 804.) *idoneis educationem committi, eosque tutelam fideliter adminiſtrare, et non niſi tum pupillos ſibi relinqui, ſi educationis finis obtentus eſt.* Hinc ſuperior ſpeciatim: 1) *tutores, ſi deficiunt, nominat*; 2) *ab aliis nominatos confirmat*; 3) *rationes geſtae tutelae reddi curat*; 4) *ſuſpectos tutores remouet*; 5) *terminum maiorennitatis definit, tam in genere, quam in ſpecie quoad hoc vel illud ſubiectum per veniae aetatis conceſſionem, dum ante conſtitutum maiorennitatis terminum a tutela liberat pupillum, ſi tutoris adſiſtentia non amplius indiget eo.*

IO. GOTTL. HEINECCIVS *de ſupremo principis tutela.* Halae 1730.

§. 1533.

Licet vero, prout ex hactenus dictis conſtat, ſocietates priuatae non liberae in republica exiſtentes exerceant poteſtatem priuatam, ſi ea a ſuperiore reipublicae non acquiſita; *abſtinere tamen debent*

bent ab omni iurium in poteſtate ciuili contentorum exercitio, niſi, et quatenus, eorum conceſſio a ſuperiore facta. Per §. 1271. Quodſi nunc dantur talia iura, quae huius generis ſocietas ſibi proprio nomine exercenda acquirit, ea eſt priuilegiata ſocietas huius generis (§. 1520), et priuilegia quae habet, mox haec, mox alia, eſſe poſſunt. Sic itaque concipi poteſt *ius ſtatuta condendi, quod non eſt pars poteſtatis ſocietatis* (§. 1529.); *bellica poteſtas, ſeu haec vel illa eius pars, ſocietati huius generis competens; poteſtas politica ſeu haec vel illa eius pars, vrbium, pagorum aliarumque ſocietatum; iurisdictio ſocietatum priuatarum in republica exiſtentium* etc.

CARL. FRID. PAVLI *de iure belli ſocietatis mercatoriae priuilegiatae.* Halae 1751.

TIT. III.

DE SOCIETATIBVS PVBLICIS IN REPVBLICA EXISTENTIBVS.

§. 1534.

Societates publicae ſeu collegia publica ſupra §. 1518 definita, vel ideo conſtituuntur a ſuperiore, vt *ab iis tanquam perſonis moralibus officium quoddam publicum adminiſtretur*, vel *alio modo ſalus publica per talia collegia promoueatur*, velut ſi collegia

collegia mercatorum, opificum, publica auctoritate conſtituuntur.

§. 1535.

Porro collegia publica differunt quoque pro diuerſitate partium ſpecialium poteſtatis ciuilis, quae concernunt. Vnde alia collegia *rei militaris*; alia *rei politicae*; alia *rei cameralis*; alia *rei iudiciariae* cauſa conſtituuntur. Aſt, cum a ſuperioris arbitrio dependeat quot et qualia collegia, huius vel illius partis regiminis cauſa, conſtituere velit, ſecundum ius publicum vniuerſale, nec numerus, nec qualitas eorum determinari poteſt.

§. 1536.

Et in eo differunt collegia publica, quod vel cauſas iuſtitiae, vel cauſas regiminis (§. 1506.) tractent. Prioris generis collegia publica *collegia iuſtitiae*, et vulgo *iudicia*, appellari ſolent, licet vox *iudicii* et varios alios admittat ſignificatus. Poſterioris generis collegia itaque generatim *collegia regiminis* dici poſſunt. Iudicia vero iterum pro iurisdictionis et ſubordinationis diuerſitate varia eſſe poſſunt.

§. 1537.

Si ſocietas collegium publicum eſt, iura huius ſocietatis ſeu collegii ſocialia ſeu collegialia eſſe penes ſu-

periorem tamdiu praesumendum, donec concessionem huius vel illius horum iurium a superiore societatis seu collegio factam esse, probari possit. Sunt enim haec collegia a superiore constituta (§. 1518.). Ergo.

§. 1538.

Si itaque collegium est publicum collegium, superior constituit *directores collegii et reliqua eius membra, nec non collegii officiales; politiam collegii et conuentus collegii ordinat* etc., nisi probari possit haec omnia ipsius collegii arbitrio esse relicta.

IVRIS GENTIVM PRVDENTIA.

CHRIST. L. B. de WOLF *Ius gentium.* Halae 1758. 4.

IO. AD. L. B. ab ICKSTATT *Elementa iuris gentium.* Viceb. 1740. 4.

Le droit des gens, ou principes de la loi naturelle appliquées a la conduite et aux affaires des Nations et des Souverains par Mſr. de VATTEL. London 1758. Cuilibet libri verſio germanica prodiit ſub titulo: *des Herrn von Vattels Völkerrecht aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* IOHANN PHIL. SCHEINS. Fr. und Leipz. 1760. 8.

§. 1539.

Iurisprudentiam publicam excipit ius gentium ſeu iuris gentium prudentia (§. 1232.), in qua iunctae de rerumpublicarum ſeu gentium iuribus et obligationibus inter ſe agendum (§. 16.): ita vt, praemiſſis iis quae de gentibus earumque officiis in genere praemittenda ſunt, officia gentium inter ſe ipſa ſequantur.

PARS I.
DE GENTIBVS IN GENERE.

§. 1540.

In hac generali tractatione de gentibus, de *gentis definitione et gentium speciebus; membris gentium et peregrinis; officiis gentium in genere;* nec non *de legibus gentium* agendum.

TIT. I.
DE GENTIS DEFINITIONE ET SPECIEBVS GENTIVM.

§. 1541.

Gens est coetus hominum vnam rempublicam constituentium, in relatione ad alios quibus non est ciuiliter subiectus. Hinc *quaelibet gens qualis considerata est persona moralis in statu naturali viuens, et plures gentes sunt plures ilsiusmodi personae* (§. 1243.).

§. 1542.

Si plures respublicae constituunt systema rerumpublicarum, et, si respublicae sunt coordinatae tam, quam coniunctae respublicae, singuli hominum coetus, qui vnam alteramue harum rerumpublicarum constituunt, sunt a se inuicem diuersae gentes. Nexu enim, in quo in his casibus variae respublicae sunt, non obstante, singulis coetibus hominum eas constituentium notio gentis competit (§. 1541).

§. 1543.

Ipsum systema rerumpublicarum et coetus hominum alias societates maiores, quae respublicae non sunt,

sunt, constituentes, proprie quidem, licet sint liberae societates, ad gentes referri nequeunt, sed tamen de iis valet, quod de gente valet, vt independentiae ab aliis. Deest enim genti essentiale, quod est plures rempublicam constituere (§ 1541.) Independentia ab aliis vero, hic nihilominus eosdem producere debet effectus, quos quoad gentes producit, quum perinde sit, siue coetus hominum independens sit gens, siue non.

§. 1544.

Si respublica est composita respublica, non solum coetus hominum qui eam constituit gens est, sed et singuli coetus hominum, qui respublicas minores sub ea comprehensas, constituunt, sunt gentes, non quidem in relatione ad rempublicam compositam, sed tamen in relatione ad alios quoscunque. Licet enim, cum tales respublicae minores non liberae sint, sed superiori reipublicae maioris subiectae (§. 1312.), in relatione ad eam vi definitionis gentis (§. 1541.) pro tali haberi nequeant, quoad alios tamen, aeque ac ipsa respublica composita, pro gente ideo habendae, quoniam gentis definitio iis in hoc respectu competit.

§. 1545.

Quod attinet gentium species sunt eae I) vel *liberae*, vel *non liberae*, prout respublica, quam coetus hominum, qui gens est, constituit, vel libera, vel non libera est. *Sunt* itaque *singuli coetus hominum, qui rempublicam minorem in republica composita constituunt, gentes non liberae, quatenus*

pro

pro gentibus, secundum §. 1539. *haberi possunt* (§. 1544.), *et gentes liberae a non liberis in eo differunt, quod illae in omni respectu, non vero hae, pro gentibus habendae sint* (§. 1539.).

§. 1546.

Sunt porro II) gentes vel *barbarae* (ungesittete Völcker), vel *cultae* (gesittete Völcker); prout id quod honestum et decorum est, vel negligunt, vel obseruant.

§. 1547.

Gentes III) vel *barbarae*, vel *doctae* gentes sunt; prout virtutes intellectuales, vel non colunt, vel colunt; consequenter intellectum perficere vel non student; vel student.

§. 1548.

Quod attinet IV) gentium diuisionem in *potentes* et *minus potentes*; tales sunt, prout vel viribus sufficientibus ad vim contra vicinas gentes exercendam sunt instructae, vel non. *Potentiae gentis* itaque *ex militum numero et qualitate, vt et diuitiis aestimandae, et horum proportio quoad gentes vicinas inter se, efficit eas pro potentibus vel minus potentibus habendas esse.*

§. 1549.

Caeterum ex iis quae de ortu et interitu rerumpublicarum dicta sunt §. 1319 (segq.) *per se patet, quomodo persona moralis, quae gens est, talis fiat et esse desinat.* Per definitionem gentis (§.).

TIT. II.

DE MEMBRIS GENTIVM ET PEREGRINIS.

§. 1550.

Si homines ortis rebuspublicis ad gentes referuntur, sunt vel *membra gentis ad quam referuntur*, si nimirum sunt ciues eius reipublicae, quam gens constituit, vel *peregrini* (§. 1243.). Hinc *ad membra gentis referri debent, tam is qui est superior reipublicae quam constituit, quam singuli eius subditi ciues. Si vero plures reipublicae sunt coordinatae, vel connectae, ciues harum reipublicae sunt respectu alius reipublicae peregrini.*

§. 1551.

Peregrini sunt vel peregrini *vulgares*, qui per nullam qualitatem, in relatione ad gentes attendendam, ab aliis peregrinis se distinguunt, vel *non vulgares*, qui ita se distinguunt ab aliis peregrinis.

§. 1552.

Ad peregrinos vulgares pertinent *vagabundi*, qui nullibi domicilium habent. Ad non vulgares vero *principes peregrini, legati, agentes* et *consules* referri possunt, de quibus suis locis infra agendum.

§. 1553.

Membra gentis sunt vel *indigenae*, vel *aduenae*, prout vel ex parentibus in ea regione, in qua habitant, nati sunt, vel alunde eo veniunt vbi habitant, seu ex his nati sunt.

§ 1554.

§. 1554.

Patria est locus vbi parentes, dum quis nascitur, habitant. *Vt* itaque *ciuis actu sit indigena, requiritur patriam esse locum in territorio ciuis gentis, apud quam pro indigena haberi vult. Quod vero locus natiuitatis, si est a patria diuersus, talis sit, non requiritur.* Interim potest, qui actu indigena non est, talis fieri per *naturalisationem*, quae est collatio indigenatus in talem qui per natiuitatem indigena non est.

TIT. III.
DE OFFICIIS GENTIVM IN GENERE.

§. 1555.

Quaelibet gens debet sibi ipsi, quod quilibet homo sibi ipsi debet. Est enim gens persona moralis (§. 1541.). Hinc oriuntur *officia gentium erga se ipsas*, quae per applicationem eorum, quae de officiis hominum erga se ipsos dicta sunt ad gentes, facile determinari possunt, nec pertinet proprie haec doctrina ad ius gentium.

§. 1556.

Quum plures gentes ad se inuicem relatae sint diuersae personae morales in statu naturali viuentes (§. 1541), *quaelibet gens etiam genti alii debet, quod in statu naturali homo homini debet.* Hinc non minus patet dari *officia gentium erga se inuicem*, et haec officia, iuraque iis respondentia, constituunt proprie iuris gentium prudentiam.

§. 1557.

§. 1557.

Licet vero, quae de officiis hominum erga alios §. 516. seqq. dicta sunt, etiam de officiis gentium inter se valeant: hic tamen non solum ea differentia inter gentem et homines singulares, quod gens sit coetus plurium hominum qui rempublicam constituunt, hincque potestatem ciuilem, et plerumque territorium, habeat, varia specialia quoad gentes operatur: sed et praeterea datur societas inter gentes natura constituta (§. 435), quae itidem efficit non semper idem valere de officiis gentium inter se, quod valet de officiis singulorum hominum extra rempublicam viuentium inter se. Haec societas natura constituta vero pro fine habet praestationem officiorum, quae, postquam genus humanum nunc in diuersas gentes coaluit, ad conseruationem eius necessaria sunt, et, si quid video, magis concinne *systema gentium*, quam *ciuitas maxima*, dici potest. *Tale systema vero non fingi, sed actu natura constitutum esse*, inde patet, quod natura iubeat hominum, in quocunque statu sint, conseruationem, et obliget singulos ad ea sine quibus conseruatio eorum fieri nequit, hincque gentes natura ad finem systematis gentium consociatae sint. Ergo §. 435.

TIT. IV.
DE LEGIBVS GENTIVM.

§. 1558.

Leges gentium dicuntur, secundum quas gentes actiones suas liberas determinare obligantur.

Harum

Harum legum complexus vero dicitur, si ius obiective sumitur (§. 229), *ius gentium.*

§. 1559.

Quodsi hae leges in rerum natura et essentia rationem sufficientem habent, dicuntur *leges gentium naturales*, earumque complexus *ius gentium naturale*, et *quod talles leges existant* nemo dubitat. Alt: *an dentur diuersae eius species?* non satis expeditum est. Si vero, prout constat per §. . . . , dantur et non fugitur systema gentium, duplicem legum gentium naturalium speciem concipi posse certum est. Aliae enim sunt leges gentium naturales, quae praecise in natura et essentia systematis gentium rationem sufficientem habent: sicque non adessent, si systema gentium, quale supra concepimus, non daretur, aliaeverolales non sunt. Liceat posteriores *leges gentium naturales stricte sic dictas*, priores vero, *leges gentium naturales systematicas* seu *sociales*, appellare. Priorum complexus itaque *ius gentium naturale stricte sic dictum*, posteriorum vero ius *gentium naturale systematicum* seu *sociale*, constituit.

§. 1560.

Hinc patet: *leges gentium, quae fluunt ex rerum natura et essentia vi principii, quod gentes sint diuersae personae in statu naturali viuentes, sunt leges gentium naturales stricte sic dictae. Leges gentium vero, quae ex systematis gentium natura et essentia fluunt, sunt leges gentium naturales sociales.*

§. 1561.

§. 1561.

Cum vero inde, quod gentes diuersae sint instar hominum in statu naturali viuentium, sequatur, de iis valere debere, quod valet de singulis hominibus in statu naturali viuentibus, nisi probari possit huic applicationi obstare systematis gentium naturam et indolem: *inter gentes iuris est, quod inter singulos homines in statu naturali viuentes iuris est, nisi probari possit contrarium ex systematis gentium natura et indole.*

§. 1562.

Hinc porro facile patet, quid respondendum sit ad quaestionem illam vulgarem: *an detur ius gentium a iure naturae diuersum?* Cuius sensus si hic est: an dentur leges naturales secundum quas gentes actiones suas liberas determinare obligantur, diuersae ab iis, secundum quas singuli homines in statu naturali viuentes actiones suas determinare obligantur? secundum dicta respondendum est: *dari omnino ius gentium a iure naturae diuersum, nec dici posse ius gentium nihil aliud esse, quam ius naturae singulorum hominum ad gentes applicatum.* Si vero sensus hic est: an ius naturae et ius gentium sint diuersae disciplinae figillatim pertractandae? respondendum: *ius gentium iuri naturae contradistingui non posse, sed ius naturae ius gentium tanquam partem sub se comprehendere, et omnino ius gentium figillatim pertractandum esse.*

§. 1563.

Caeterum, praeter leges gentium naturales, dantur etiam *leges gentium positivae*, quae in voluntate gentium rationem sufficientem habent (§. 136.), quarumque complexus *ius gentium positivum* constituit, cuius species est *ius gentium europaeorum*. Aft, quum specialior tractatio de his legibus iuri positivo reseruanda, de iis plura non addo, nisi quod, ratione vulgo sic dicti *iuris gentium arbitrarii* seu *voluntarii*, cui opponi solet necessarium, vel verbo monendum esse ducam, me ab hoc termino abstinuisse quoniam aequiuocus est, nec me a partibus GROTII *in Proleg. de I. B. et P.* §. 46. nec a partibus WOLFII *in iure gentium Proleg.* §. 22. *seqq.* stare, qui, si non re ipsa, certe quoad principium, exquo deriuandum illud esse putant, dissentiunt; quum vterque in consensu gentium illud fundet, quem vero GROTIVS ex gentium moratiorum factis, moribus et iudiciis, fundamento satis lubrico: aft WOLFIVS ex notione ciuitatis maximae, magis solido fundamento, elicit. Breuibus: *abstineo a termino in iure naturae, rem ipsam vero admitto, quatenus sub idea iuris gentium naturalis, quod appello sociale* (§. 1559.), *latet, et* WOLFIVM *tantum ducem stricte sequendum esse existimarem, nisi illud pro iuris positiui specie haberet, hincque vteretur termino, hoc praesupposito quidem satis apto, aft ad exprimendam iuris gentium naturalis speciem, pro qua habeo quod appellat ius gentium voluntarium, quam maxime inconueniente.*

16.

IO. PETR. de LVDWIG *de iuris gentium laesione.* Halae 1741.

PARS II.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE IN SPECIE.

§. 1564.

Officia gentium inter se absoluta, pro *obiecti circa quod versantur* diuersitate, differunt, indeque secundum hanc differentiam de iis agendum.

LIBER I.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE ABSOLVTIS.

§. 1565.

Officia gentium erga se, sunt vel *absoluta*, vel *hypothetica*. Praemissis prioribus, de posterioribus agendum.

TIT. I.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE INVICEM ABSOLVTIS QVOAD IPSAM VNIONEM CIVILEM.

§. 1566.

Quum inter cuiuslibet gentis membra sit vnio quaedam ciuilis, quoniam gens quaelibet rempublicam constituit (§. 1245.), haecque vnio ciuilis sit bonum quoddam quo quaelibet gens iam instructa est: *officia gentium erga se inuicem absoluta et perfecta postulant, nihil fieri ab aliis gentibus*

quod huic vnioni contrarium, et cuilibet genti in iis, quae eam concernunt, permitti vt faciat quod sibi placet (§. 195.).

§. 1567.

Hinc fluit *cuilibet genti licere de forma reipublicae suae disponere, nec minus circa constituendum superiorem, et in specie in regnis, principem, quamlibet gentem suum arbitrium sequi posse, ita vt reliquas gentes teneat perfecta obligatio, legitime constitutum superiorem et principem pro tali agnoscendi.*

IVD. GOTT. MOGEN *de eo quod circa imperantem agnoscendum est iuris gentium.* Giſſae 1748.

IO. HENR. GOTTL. de IVSTI *Erörterung der Frage: ob die proteſtationes derer auswärtigen Monarchen, wider eine auf die Wahl gebrachte Perſon zum Beherrſcher eines Wahlreichs, in dem Natur- und Völckerrechte einigen Grund haben?* Vid. IVSTI Hiſt. und Juriſt. Schriften. P. 1. num. III.

§. 1568.

Nec minus vi §. 1566. patet *officia gentium erga se inuicem perfectis repugnare, si gens rebellibus auxilio et consilio adsistit, vt et si alterius gentis membra allicit, vt emigrando sibi se adsocient. Aſt tamen idem non valere in casu legitimae subductionis.*

IO. IAC. LEHMANN *de quaestione: An parentiores rebelles, aliqua eius sive gentis, secundum leges gentium in vicini regnis iure asyli frui possint.* Lipsiae 1717.

TIT.

TIT. II.

DE OFFICIIS ABSOLVTIS GENTIVM ERGA SE INVICEM QVOAD TERRITORIVM IN SE CONSIDERATVM.

§. 1569.

Si gens territorium habet, alias gentes tenet perfecta obligatio 1) fines territorii nullo modo turbandi; 2) ab omni eius vsu, nisi praevia requisitio et concessio facta, abstinendi, quatenus vsus non talis est, quem salua salute publica admitti posse manifestum est. Territorium enim pertinet ad bona quibus gens instructa est, vnde vi principii generalis §. 1556. patet veritas propositionis. Quoad limitationem ratione vsus vero notandum talem vsum, qui salua salute publica admitti potest, esse quoad territorium vsum innoxiae vtilitatis.

§. 1570.

Licet secundum ius gentium naturale fines territorii definiri nequeant, in dubio tamen, si mare alluit terram firmam territorii, ea maris eius pars in quam dominatus e terra adiacente exercere potest, quae mare accolens dicenda, pro territorii parte habenda, et, si flumen secat diuersorum territoriorum terras, in dubio in medio fluminis fines territoriorum esse, statuendum. Vnde per se patet, *quid de maris angustia, sinu et freto, dicendum.* Nulla enim allegari potest ratio, cur contrarium obtinere debeat.

CHRIST. AVG. MENKE *de finibus territorii.* Lipsiae 1740.

§ 1571.

Ad vſum territoriorum in ſe conſideratorum pertinet potiſſimum, *tranſitus*, *nauigatio*, *nauium ad littora et portus appulſus*. Quid itaque ratione harum ſpecierum vſus territorii iuſtum ſit ex §. 1569. diiudicandum.

CH. PHIL. STRYK *de tranſitu innoxio et noxio per alienum territorium*. Alt. 1715.

§. 1572.

Si gens quaedam territorio deſtituta, quodlibet ſpatium, quod non eſt gentis cuiusdam territorium, vel eius pars, ſicque a poteſtate ciuili vacuum eſt, a tali gente tanquam ſuum territorium occupari poteſt; aſt talis gens cogere nequit alias gentes, vt ſui territorii partem ei in hunc finem cedat. Si enim prius, aliis gentibus non fit iniuria, aſt in poſteriori caſu obſtat principium generale §. 1556. obuium.

TIT. III.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE INVICEM ABSOLVTIS QVOAD RES CORPORALES IN MVNDO OBVIAS.

§. 1573.

Quaelibet res corporalis in mundo exiſtens quae nullius eſt, et in gentis cuiusdam territorio non eſt, a qualibet gente, ſingulisque eius membris, vbicunque reperiatur occupando in dominium et ſub poteſtatem ciuilem redigi poteſt. Vi principii generalis

lis §. 1556. enim haec occupatio officiis gentium non repugnat.

§. 1574.

Hinc patet, *cuilibet genti licere mare, quatenus tanquam mare accolens territorii gentis, cuius terras alluit, pars non eſt, vel alio modo gentis cuiusdam poteſtati ciuili ſubiectum, poteſtati ſuae ciuili ſubicere, ita vt nunquam obſtet ius ſeu facultas moralis, modo non deſit facultas phyſica exercendi ea quae requiruntur vt aliae gentes poteſtatem ciuilem in mari agnoſcant.*

GROTII, SELDENI, BYNCKERSHOEKII aliorumque ſcripta de dominio et imperio maris, Tom. IV. GROTII illuſtrati HENRICI a GOCCEII adiecta.

§. 1575.

Si res corporalis nullius eſt in territorio alicuius gentis, peregrinis quidem licet eam occupando in ſuum dominium redigere, aſt gens incuius territorio eſt, ingreſſum huius occupationis gratia prohibere poteſt. Eſt enim talis ingreſſus territorii vſus. Ergo §. 1569.

§. 1576.

Quum ex dictis §. 1573. ſeqq. per ſe pateat quid iuſtum ſit inter gentes quoad *capturam balaenum*, *balaenarum* &c. his immorari nolo, ſicque tantum quoad *ius littoris* addo, *illud, quatenus exercetur circa res nullius quae in littore maris inueniuntur, iuſtitiae nullo modo repugnare: quatenus vero exercetur circa res iactas, vel naufragio amiſſas et ad littus appulſas, nullo modo defendi poſſe; quam-*

vis has res custodiri a gentibus ad quas litus appellunt, officia imperfecta exigant, et perfectis non repugnet a dominis reposcentibus exigi certam pecuniae summam pro hac custodia, quae sub servatici nomine venit. Per §. 195.

IAC. SCHVLLER Commentarius *de iure hiberic.* Hamb. 1752.

IVST. HENN. BOEHMER *de servatico.* Halae 1743.

§. 1577.

Quum commerciorum, de quibus quid sint et quotuplicia sint ex superioribus (§. 1500.) constat, obiectum sint res corporales in mundo existentes: et huc referri potest doctrina de eo quod iustum est circa commercia inter gentes, quatenus de eo quaeritur: *an officia absoluta gentium inter se exigant vt commercia inter se exerceant?* Quum itaque per commercia gentium inter se, sicque per commercia externa (l. c.), vna gens alterius gentis insufficientiam subleuet, sicque eius perfectionem promoueat, *naturam constitutam esse obligationem gentium erga se inuicem commercia exercendi, ast eam non nisi imperfectam esse*, patet per §. 195. Quae vero natura constituta sint officia gentis tertiae quoad commercia quae aliae gentes inter se exercent, infra demum definiendum, tam in casu quo gentium, quae commercia inter se exercent, vna alteraue bello implicita est cum gente tertia, quam in casu quo cum ea in pace viuit.

TIT.

TIT. IV.

DE OFFICIIS GENTIVM INTER SE ABSOLVTIS QVOAD IVRA POTESTATIS CIVILIS.

§. 1578.

Si gens ius quoddam, tanquam ius in potestate ciuili contentum sibi arrogat, quod tale natura non est, aut ius quod tale est vltra limites naturales extendit, eius exercitium, quatenus se exserit quoad alias gentes, officiis gentium inter se absolutis et perfectis repugnat. Id quod ex ipsa hypothesi facile deduci potest.

§. 1579.

Hinc fluit *ius albinagii*, vi cuius fisco vindicantur bona peregrini in territorio mortui, *officiis gentium erga se inuicem absolutis et perfectis repugnare. Ius detractus* vero, vi cuius pars bonorum defuncti, vel emigrantis, quae in peregrinum territorium transferuntur, fisco vindicatur, *iis non repugnat, quatenus ita exercetur, vt adsit proportio inter partem bonorum quae vi iuris detractus relinquenda fisco, et damnum quod sentit ex transportatione eius detractus ius exercens.* Ius albinagii enim ius potestatis ciuilis non esse ex dictis de his iuribus quoad res priuatorum §. 1489. seq. patet. Ast, cum propter iura potestatis ciuilis quae superiori reipublicae competunt quoad res priuatorum (§. cit.), damnum sentiat respublica, si transportantur in alienum territorium, ex iure damnum

a se auertendi, fluit iuris detractus iustitia, si limites ei positi obseruantur.

§. 1580.

Porro per §. 1578. patet *officiis gentium inter se perfectis repugnare, si, dum gentes inter se commercia exercent, gens tertia iura sua circa commercia §. 1501.) quoad haec commercia exercere vult, illa prohibendo, aut transitum per territorium suum commerciorum causa denegando: licet iis non repugnet, si a transeuntibus exigatur vectigal in compensationem sumtuum, qui in transitus securitatem et commoditatem impenduntur.* Iura potestatis ciuilis circa commercia enim gens, non nisi quoad sua commercia cum aliis gentibus, exercere potest, sicque limites naturales horum iurium potestatis ciuilis transgreditur, si eo ad alias gentes inter se commercia exercentes extendit. Iustitia vectigalium vero fluit ex iure damnum a se auertendi, si dicto modo exigantur.

HERM. CONRING seu potius Resp. IO. WERL. HOPF *de commerciis maritimis* Helmst. 1680. et in opp. CONRINGII p. 857—933.

IOH. FRID. L. B. BACHOFF ab ECHT *de eo quod iustum est circa commercia inter gentes.* Tenae 1730.

IO. GOTTL. HEINECCIVS *de iure principis circa commerciorum libertatem incolam.* Hal. 1738.

§. 1581.

Si gens exercet iura, quae natura iura in potestate ciuili contenta sunt in suo territorio, officia gentium absoluta et perfecta exigunt reliquas gentes

1) *horum*

1) *horum exercitium permittere, nisi inde oriatur damnum positiuum quoad eas gentes;* 2) *effectus, quatenus se exserunt in territorio gentis iura potestatis ciuilis exercentis, agnoscere, non vero extra territorium.* Sic enim si exercentur haec iura, gens vtitur iure suo. Ergo §. 231.

§. 1582.

Si itaque gens vi iurium in potestate ciuili contentorum quoad commercia, libertatem eorum restringit, poenasque constituit in eos qui morem non gerunt, reliquis gentibus non fit iniuria.

IOANN. IACOB. MOSERVS *de iure principis libertatem commerciorum restringendi in vtilitatem subditorum.* Goett. 1753.

§. 1583.

Fluit porro ex principio §. 1581. stabilito *quod, si gens vi potestatis legislatoriae exercet iura in ea contenta (§. 1427.), reliquae gentes hoc permittere debeant. Si tamen inde oritur legum positiuarum diuersarum gentium diuersitas, peregrinis iure dici secundum leges suas officiis gentium erga se non repugnat.* Hincque oritur *retorsio iurium* seu *legum*, a *retorsione factorum* (§. 390.), diuersa.

IO. GODOFR. HAVERI *Meditationes de vero fundamento quo inter ciuitates nititur retorsio iuris.* Lipsiae 1740.

§. 1584.

Nec minus per §. 1581. patet, *quod, si gens quaedam vi iurium in potestate ciuili contentorum noua opera publica exstruit, aut alio quocunque modo territorii sui faciem immutat; velut nouis publicis*

viis

viis territorium instruit; flumina nauigabilia reddit, alia gens non habeat ius illud impediendi, licet ei lucrum quoddam intercipiatur per talem iurium potestatis ciuilis vsum, non vero damnum positiuum inferatur.

§. 1585.

Si, vt gens ius quoddam in potestate ciuili contentum natura competens exercere possit, ab alia gente ei aliquid praestari necesse est, et competit ius absolutum et perfectum talem praestationem ab illis gentibus exigendi, quatenus eam ab iis, salua salute publica, fieri posse manifestum est. Si enim gens suo iure vtitur, quando hic vsus saluti publicae alterius gentis non contrariatur, nulla adest ratio, cur talis iuris vsui impedimentum obiiciendum, et sub data hypothesi per indirectum perfectione, qua gens instructa, priuaretur. Ergo §. 195.

§. 1586.

Si itaque *gens exercendo potestatem iudiciariam, quoad causae cognitionem, documentis et attestatis, vel testium depositionibus, indiget, gens violat officia perfecta, si talia denegat quae ad causae cognitionem necessaria.*

§. 1587.

Quaelibet gens secundum officia gentium inter se absoluta et perfecta abstinere debet ab omni iurium potestatis ciuilis exercitio in territorio alieno. Per principium generale §. 195.

§. 1588.

Repugnat ergo *officiis perfectis et absolutis gentium inter se militum conscriptio et forti alterius exstructio in alieno territorio.*

§. 1589.

Officiis gentium inter se absolutis et perfectis non repugnat, si gens in territorio non exercet iura potestatis ciuilis quae exercere posset; licet tum, si gens per eorum exercitium aliarum gentium perfectiones promouere posset sine suo damno, imperfecta ad eorum exercitium adsit obligatio. Per principium generale §. 195.

§. 1590.

Licet itaque *gens gentem cogere nequeat, vt viis publicis, portubus, academiis, scholis et gymnasiis aliisque institutis et operibus publicis territorium suum instruat, officia imperfecta tamen a qualibet gente exigunt illud fieri.*

TIT. V.
DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE ABSOLVTIS QVOAD HONOREM.

§. 1591.

Licet quaelibet gens absolute et perfecte obligata sit ad exhibendum alteri genti eum honorem, quem meretur secundum perfectiones quibus instructa est, haec obligatio tamen extendi nequit ad talia externa honoris signa, quae gentium aequalitati contraria sunt. Per principium generale §. 195.

§. 1592.

§. 1592.

Gens itaque *perfecte obligata est alii genti ad eum honorem ei exhibiendum, quo, si in territorio alieno sunt, agnoscunt gentis, cuius territorium est, potestatem ciuilem.* Ait et inde sequitur *non dari secundum officia gentium absoluta et perfecta praecedentiam inter gentes.*

LVDOV. MART. KAHLE *de praecedentia gentium.* Goett. 1738.

CHRIST. FRIDER. HOFFMANN *de fundamento decidendi controuersias de praecedentia inter gentes.* Lipf. 1721.

§. 1593.

Quum ii qui potestatem ciuilem reipublicae tenent, sicque gentium superiores et principes sunt, gentem suam repraesentent, porro facile patet: *quae dicta sunt de officiis gentium inter se quoad honorem, ad principes applicanda esse.*

§. 1594.

Hinc fluit, *nec dari inter principes diuersarum gentium, quoad officia gentium perfecta et absoluta, praecedentiam, et quoad honoris titulos, principem quidem quemlibet honoris titulum adsumere posse, sed ab arbitrio reliquorum dependere an et tribuere velint adsumtum titulum.*

IO. BERNVS de LVDEWIG *de auspicio Regum vt et de iure appellandi Reges,* in Opusculis miscellis Tom. I. Lib. I. num. 1. et 2.

§. 1595.

Nec minus ex dictis de officiis gentium erga se quoad honorem patet: *Principem peregrinum, si ter-*

ritorium ingreditur, honorifice excipiendum esse cum suo comitatu. Sed eum manere independentem a potestate ciuili gentis in cuius territorio est, suumque comitatum ei, non vero gentis in cuius territorio est, potestati ciuili subiectum esse, iuris gentium naturalis stricte sic dicti non est; licet, si ad tractanda negotia publica in territorio peregrino est, dicta independentia iuris gentium naturalis socialis sit Per §. 1269. et §. 1561.

LIBER II.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE HYPOTHETICIS.

§ 1596.

In doctrina de officiis gentium inter se hypothetics, tam *de his officiis in genere* agendum, quam in specie *de iis quae legationes concernunt*, seu *de iure legationum*

SECTIO I.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE HYPOTHETICIS IN GENERE.

§. 1597.

Quae de officiis gentium erga se hypotheticis in genere dicenda sunt, partim concernunt *species iuris in re*, partim *species iuris ad rem*, inapplicatione ad gentes consideratas.

TIT. I.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE HYPOTHETICIS QVAE CONCERNVNT IVRA IN RE

§. 1598.

Prout, quoad singulos homines, tria diuersa summa genera iurium in re, nimirum *ius occupandi res nullius*, *dominium* et *iura in re aliena constituta* concipi possunt (§. 541.): ita et quoad gentes eadem haec iura locum habent, et in applicatione ad gentes, praeter ea quae de iure occupandi communi, et de dominio territorii atque potestatis ciuilis, in antecedentibus alia occasione iam dicta sunt, singularia hic non obueniunt, praeter ea, quae quoad iura gentis in re alterius gentis constituta, hic monenda sunt.

§. 1599.

Ad iura gentium in re aliarum gentium constituta vero referri possunt I) *Seruitutes iuris publici* seu potius *iuris gentium*. Est vero *seruitus iuris gentium* ius gentis in re alterius gentis constitutum, vi cuius gens, aut quoad vsumfructum rei suae aliquid pati, aut quoad eius proprietatem aliquid omittere debet. Vt itaque *seruitute iuris gentium constituta secundum officia hypothetica licitum sit, quod secundum officia absoluta illicitum foret, et variae eius species concipi possint species, praesertim quoad singula iura in potestate ciuili contenta. Sicuis praefati in alieno territorio; ius milites conscribendi in eo* etc. *sunt species seruitutum iuris gentium.*

§. 1600.

Porro huc pertinet II) *ius pignoris genti in re alterius gentis constitutum*, veluti si totum territorium oppignoratum; vel singula quaedam iura maiestatica vtilia, veluti vectigal.

§. 1601.

Nec minus III) ad iura gentis realia in re aliena continua referri potest *ius certum tributum quotannis ab alia gente exigendi*, quo casu gens, quae certum tributum soluere debet, dicitur *gens tributaria*.

TIT. II.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE HYPOTHETICIS QVAE CONCERNVNT IVRA AD REM.

§. 1602.

Quae dicta sunt de iuribus ad rem, tam immediatis, quam mediatis ex pactis, quoad singulos homines in iurisprudentia naturali stricte sic dicta §. 626. seqq. et §. 637. seqq. itidem ad gentes applicari possunt, et hic, non nisi quoad iura ad rem mediata ex pactis, in applicatione ad gentes, quaedam addenda, quoad pactorum gentium *species*, *eorum obligationem*, *et firmandi modum per guarantiam* et *obsidum dationem*.

§. 1603.

Quod attinet species pactorum gentium, non solum notandum ea et nonnunquam sub *tracta-*

tuum nomine venire: sed et dari inter pacta gentium quae speciali nomine *foedera* appellantur, et sint pacta gentium inter se, quae praestationes non transitorias concernunt.

§. 1604.

Inter varias pactorum gentium et foederum divisiones, quae parum aut nihil vtilitatis habent e. g. in *foedera amicitiae* et *singularis praestationis*, vnica hic notanda ab obiecto desumta, secundum quod sunt vel *pacta bellica*, quae inter belligerantes perdurante bello memmur, de quibus infra, vel *non*. Posteriora sunt vel *commercia*, vel *belli communicatum*, vel *alias res* concernentia pacta.

§. 1605.

Pacta gentium ab eo cui competit ius foederum (§. 1440.) *inita, vel ad quae eius iussus seu ratibabitio accessit, obligant non tantum superiorem qui tunc temporis ius foederum pactum iniit, sed et ipsam gentem cuius superior tunc regnans pactum iniit.* Ius foederum enim, prout tota potestas civilis, exercetur nomine populi sui a superiore.

§. 1606.

Hinc fluit 1) *gentem non obligare sponsiones*, quae hic sunt promissiones nomine reipublicae factae, a tali, qui nec ius foederum habet, nec ab eo qui illud habet mandato instructus, *nisi accedat eius, qui habet ius foederum, ratibabitio*; 2) *validorum pactorum gentium obligationem non exspirare, licet tempore pacti initi regnans superior mortuus sit, vel alio modo potestatem suam amiserit, sed potius*

tius tum demum eam exspirare, si adest iusta a pacto recedendi causa, quales sunt istae causae, quae tam in genere (§. 339 seqq.), *quam in specie quoad pacta* (§. 769. seqq.), *efficiunt ius et obligationes exspirare.*

IO. IAC. ZIGENHAGEN *de obligatione foederum* Lipf. 1753.

§. 1607.

Ad modos quibus in specie gentes obligationem ex pactis confirmare solent, pertinet *guarantia*, quae est promissio gentis de efficiendo tertium obligationem suam explere, et *obsidum datio*, quae fit, si gens in securitatem faciendae expletionis obligationis suae, tradit vnum vel plures ex suis membris ad detinendum, vsque dum expletio facta.

§. 1608.

Hinc fluit *nec guarantiam, nec obsidum dationem inuoluere fideiussionem, sed guarandam, casu guarantiae existente requisitum, facere debere quod potest, vt tertius obligationi suae satisfaciat, et obsidem datum pati debere tandiu detineri, donec praestitum quod debetur.*

SECTIO II.

DE OFFICIIS GENTIVM ERGA SE QVOAD LEGATOS, SEV DE IVRE LEGATIONVM, IN SPECIE.

§. 1609.

Absolutis officiis gentium erga se hypotheticis in genere, sequuntur ea quae praecise circa legatos